FLORA DALMATICA

SIVE

ENUMERATIO STIRPIUM VASCULARIUM

QUAS HACTENUS

IN DALMATIA LECTAS ET SIBI OBSERVATAS

DESCRIPSIT DIGESSIT

RARIORUMQUE ICONIBUS ILLUSTRAVIT

ROBERTUS DE VISIANI,

DALMATA SIBENICENSIS

MEDICINAE DOCTOR, IN PATAVINA STUDIORUM UNIVERSITATE REI HERBARIAE PROFESSOR HORTIQUE PRAEFECTUS, INSTITUTI ET ATHENAEI VENETI, ACADEMIAE SCIENTIARUM LITERARUM ARTIUMQUE PATAVINAE, SCIENTIARUM TAURINENSIS, GEORGOPHILORUM FLORENTINAE, PONTANIANAE NEAPOLITANAE MEDICAE AGRONOMICAE ET HORTICOLAE VINDOBONENSIUM, MEDICAE ET HISTORIAE NATURALIS DRESDENSIS, NATURAE STUDIOSORUM BEROLINENSIS, LEOPOLDINO-CAROLINAE VRATISLAVIENSIS, BOTANICAE RATISBONENSIS, HISTORIAE NATURALIS ARGENTORATENSIS, MEDICO-BOTANICAE LONDINENSIS, HORTICOLAE ET NATURAE CURIOSORUM MOSQUENSIUM, ALIARUMQUE SODALIS.

VOL. II.

CUM TAB. AENEIS XXVIII.





LIPSIAE,

APUD FRIEDERICUM HOFMEISTER.

1847.

peragro loca nullius ante
Trita solo: — juvat integros accedere fontes
Atque haurire: juvatque novos decerpere flores.

Lucret. de rer. nat. lib. I.

PRAEMONITUS.

Serius quidem ac voluissem, sed tandem aliquando prodit altera Florae dalmaticae pars. In qua concinnanda cum plures profecto offendissem difficultates quam in praecedente, praesertim quod attinet nova genera et species ex generibus speciebusque notis recentius excerpta, quorum nimia copia inque dies increscente ordines plantarum jam jam non dicam auctos sed obrutos, mihi in his admittendis improbandisve leges aliquot, quas jam in prima operis parte secutus eram, arctius amplectendas stricteque servandas proposui. Has vero ut plurimum ex melioris notae scriptoribus, paucas ex propria observatione depromptas, hic loci exponere non abs re fore credo, ut qui librum huncce pervolvere non deignentur, quibus principiis ductus novitates quasdam acceperim, quasdam neglexerim non ignorent.

Et primo cum in generum admissione botanicorum dissensus ex eo potissimum oriatur, quod non omnes eodem modo genus concipiant, praestat profiteri Genus mihi esse consociationem omnem specierum in unica nota validiori aut in pluribus communibus et constantibus convenientium, quae notae in plantis phaenogamis ex organis reproductionis et inflorescentiae, in cryptogamis agamisque ex iisdem organis et ex structura generali petuntur. Si nota communis minori dignitate gaudet, species congeneres hac unica nota junctae Sub-

genus constituunt. Genera speciebus ditissima interdum commodi gratia in subdivisiones quasdam partiuntur nota qualibet inferiori distinctas, etiam ex organis vegetationis deprompta, quae partitiones omnino artificiales Sectionis nomine veniunt.

Genera plantarum sunt vel systematica, sive nota unica essentiali et communi distincta, qua ab omnibus reliquis generibus dignoscuntur, et haec admodum rara: vel naturalia, sive pluribus notis innixa, qno fit ut eorumdem species majori affinitate et similitudine inter se jnnctae jam primo intuitu pro congeneribus agnoscantur, et haec omnium optima: vel demum artificialia, quorum species notis pluribus, sed minus conspicuis, minus validis et gradatim deficientibus insimul copulantur. Quae postrema, sequioris quidem notae, necessario tolerabilia iis in casibus ubi agatur de speciebus minus cognitis, quarum optimi characteres generici hucusque latent: sed e scientia expellenda statim ac species illae accuratius exploratae ad vera genera reduci possint.

Soli fontes characterum pro genere statuendo sunt praesentia aut defectus alicujus organi jam ab origine, nec successiva luxurie vel abortione: eorumdem situs relate ad alia: partium continuitas vel articulatio: adhaerentiae: proportio: figura: numerus. Adduntur in stirpibus cellularibus etiam natura et structura textus organici, consistentia, immo et color.

Nec ullum organum, nec ulla ejusdem organi pars eamdem dignitatem habet quoad constantiam validitatemque characterum in quovis plantarum genere: ideoque nullus etiam character pari vi pollet in quovis genere, quamvis eadem frequentius gaudeat in generibus affinibus ejusdem plantarum ordinis.

Genus eo magis naturale, quo plures et validiores ejusdem notae ex organis reproductionis desumptae, et quo magis cum his conveniant characteres etiam organorum vegetationi inservientium.

Genus tamen et nota unica valida organorum reproductionis inniti potest, dummodo haec constans sit et communis, et simul ejusdem species sint et inter se similes, et ab aliis diversae toto habitu

ac facie. Conditione hac ultima deficiente, species unica nota devinctae, mihi non verum genus, sed subgenus, aut sectionem constituunt.

Genus naturale, sive e speciebus admodum similibus tum notis tum habitu constitutum discerpi nequit in genera plura ob notam unicam discrepantem, quin naturae ipsae vim inferamus: nam character quin faciat genus vix ipsum indicat.

Genus eo melius quo plures ejusdem species, in quibus omnibus notae generis immutatae serventur. Genera unius speciei, si novae plantae ipsi congeneres detegantur, facile in notis suis mutationem quandam patiuntur.

Legum harum veritatem ac convenientiam botanicis accuratioribus bene cognitam, ab aliis frequens pauci habitam fuisse in condendis generibus, exempla in recentiorum operibus phytographicis nimis obvia luculenter testantur. Mihi autem genera omnia legibus hisce haud conformia sunt ficta genera, sensu Linnaeano; quandoque subgeneris, interdum etiam sectionis nomine designanda. At omni ope enitendum ne consociationes istae inferiores nota unica abludentes a genere, nec habitu proprio discriminatae, ad hujusmodi dignitatem evehantur. Ni legi huic cardinali, qua tota innititur regni vegetabilis ordinatio, nam Caesalpino docente, *confusis generibus confundi omnia necesse est*, firmiter inhaereamus, nulla amplius vera et constans distinctio generis, nulla salutis via in hac gravissima scientiae difficultate, nulla amplius lux, qua ducamur in generum admissione vel rejectione.

Pauca haec de generibus. Quod species attinet, hic quoque juvat tum speciei tum consociationum, quae cum illa confundi possunt vel commutari, definitionem praemittere. Species oritur ex individuorum magis inter se quam quibusvis aliis similium, (ita ut putari possint ex unica planta bisexuali vel ex duabus aequalibus unisexualibus procreata), in quibusdam notis communibus constantibusque consensu, quae notae immutatae manent, et infinite propagantur per directam generationem. Subspecies est congregatio individuorum,

quorum notae communes iterata generatione persistunt, sed multo minoris momenti sunt ac specificae. Proles seu stirps est congregatio similis, satione et cultura persistens quoque, sed hoc nec semper, nec in conditionibus quibuscumque, et ad degenerationem proclivis. Varietas e contra satione repetita mutatur, nec alio modo servanda nisi per divisionem partium, sive per extensionem. Variatio seu varietas localis oritur ex characteris cujusdam aberratione ab externis conditionibus coeli, soli aut culturae inducta, qui lusus mutatis illis mutatur ac evanescit, nec ulla industria servari potest. Hybridum denique est individuum ex binis plantis ejusdem generis vel duorum generum apprime affinium invicem foecundatis exortum, qui utriusque parentis notam aliquam retinet, sed ad degenerationem tendit, nec satum cultumve diutissime durat.

Characteres specifici eruuntur ab organis vegetationi inservientium, interdum a reproductivis levioribus, rarius ab essentialibus, et hoc in casu tantummodo ab attributis illis inter notas generis non adhibitis ac minoris momenti. Dignitas characterum in eorumdem immutabilitate consistit, quae probatur observatione iterata et multiplici, vel satione repetita aut cultura diuturna.

Hisce praemissis liceat hic loci praecipuas leges exponere, quas in specierum creatione vel acceptione, et pro characterum specificiorum dignitate recte aestimanda mihi hoc in opere religiosius observandas proposui.

Species vera characteribus validis et constantibus superstruitur; hinc si satione aut cultura aut extrinsecis circumstantiis mutatur, mihi non speciei, sed aut variationis, aut varietatis, aut hybridi nomen obtinet; si vero notae innititur minoris pretii, quamvis constanti, subspecies est.

Species eo melior quo major numerus et dignitas characterum, quibus insistit: potest tamen et unica nota distigui, dummodo immutabili.

Situs partium relate ad alias huc quoque, ut in genere, fons characterum optimus, cujus studium eorumdem anomaliis recte expli-

candis eorumque validitatem recte aestimandam, nedum utile, necessarium.

Numerus partium relativus et constans, scilicet nec abortione nec luxurie nec adhaerentiis auctus vel imminutus, bonas exhibet notas pro specierum distinctione.

Forma quoque hujusmodi notas praebet, sed solummodo ubi ejusdem differentiae ex intima partium structura, sive ex vasorum distributione, oriantur. Legis hujus inscientia aut neglectio falsis speciebus innumeris scientiam obruit, legitimarumque limites in dies obscurat.

Et proportio relativa partium notis specificis accensetur, iisque plantis discriminandis praecipue conducet, quae notis magisconspicuis carent.

Characteres vero e colore, sapore, odore et magnitudine absoluta partium petiti pro specificis haberi nequeunt, saltem in plantis phaenogamis, nec horum unus ullo in casu speciei statuendae par est; tamen ubi constantes sint, possunt interdum indicio esse penitioris cujusdam discriminis sedulo perquirendi.

Habitus similitudo aut diversitas potest quidem, si constans, esse indicium speciei, sed solus speciei condendae non sufficit. Caute tamen consulendus, ut eo duce characteres constantes alii, si qui sint, detegentur.

Quemadmodum jam in generibus, ita nec in speciebus, quamvis affinibus, pars quaelibet eadem dignitate characteristica semper pollet: hinc statui nequit a priori, characteres, quos in data specie constantes animadvertimus, tales necessario fore et in alia affini. Hinc characterum constantia in individuo quocumque accurate studenda, ne analogia decepti falsa interdum de eadem anteferamus judicia.

Species unico specimini superstructae, aut paucis unius loci locorumve similium, aut cultis, vel incompletis, inter legitimas admitti nequeunt usque dum copiosiori observatione illustrentur: ni tamen characteres quibus insistunt tales sint, qui circumstantiis localibus

quibuscumque nullo modo tribui possint, deque eorumdem constantia omnem dubitationem excludant.

Species copiose cum aliis crescens ipsi arcte affinibus, quin transitiones adsint ipsas insimul copulantes, pro legitima haberi debet. Species e contra differens nota quadam ab alia cui similis, at in conditionibus diversis crescens ac illa soleat, priusquam admittatur, sat longo tempore colatur, aut saltem pluries observetur oportet iisdem in conditionibus, quibus altera delectatur, quin in illam mutetur. Hic quoque tamen excipienda erit ea species, cujus discrimina ab affinibus talia sint, quae ex peculiari loci indole nullo in casu progigni posse consensum est.

Planta quaedam regni cujusdam propria, eaque loca inhabitans, quae alibi alia species ipsi similis, at in regno illo deficiens, solet incolere, ita ut illa videatur fere huic succedanea, probabiliter specie differt. Hinc utriusque stirpis differentiae accurate exquirendae, et botanicis ipsas in loco natali explorantibus commendandae.

Ubi agatur de individuis inter species cognitas fere mediis, ea cautius in speciem propriam accipio, etsi nota aliqua ipsis speciali emineant: frequentius enim hybrida sunt, quorum constantia vel observatione multiplici individuorum plurium diversarum stationum, vel sationis repetitae aut diuturnae variataeque culturae periculo comprobanda. Cum tempus deficeret hisce periculis necessarium, satius duxi ambiguas species seponere quam eas pro novis distinctisque exhibere.

Et haec ferme sunt ea, quorum lectores meos monitos esse censui quoad generum specierumque adoptionem vel rejectionem.

Restat nunc, ut de botanicis, qui, praeter illos quorum sermonem habui in prima operis parte, vegetationem dalmaticam investigarunt mentionem faciam, eosque insuper qui collectionem meam novis Dalmatiae plantis augere dignati sunt debito rependam honore gratoque animo prosequar. Doctor Joseph Clementi veronensis in Bergomensi Lyceo jam jam scientias physcias professurus, cum

mihi esset in schola botanica adjutor utilis ac praestantissimus, anno MDCCCXLI ut operi nostro faveret Dalmatiam omnem a Sinu Flanatico ad Rhizonicum, immo et montem Scodrum sedulo rimatus est, plantas aliis invisas plures invenit, et has inter novas aliquot, quarum descriptio prostat in Actis tertii Conventus Sapientum Italicorum Florentiae editis anno MDCCCXLII. Eodem anno autumni tempore Dalmatiae oram lustratus est cl. Joannes Zanardini, qui etsi algis detegendis illustrandisque praecipuam curam impenderet, quod fecit etiam eximie cl. prof. Joseph Meneghini, tamen et plantis aliqnot vascularibus ibidem lectis herbarium nostrum ditare voluit. Longe majorem vero harum plantarum copiam nactus est ibi Londinensis medicus R. C. Alexander, qui anno MDCCCXLIII litoratem et insularem Dalmatiae partem invisit, quarum catalogum etiam mihi largitus est. Anno MDCCCXLIV patriis stirpibus inquirendis autumnale otium penitus devoverunt discipuli eo tempore dilectissimi doctores Antonius Mazzoleni sibenicensis et Georgius Roich Spalatensis, quorum primo plantas plurimas acceptas refero e montibus *Vellebith*, *Dinara*, *Komm*, *Ghnjat*, *Svilaja* et *Prologh* data opera peragratis; altero stirpes aliquot iis in montibus lectas, qui ditionem Signiensem a Bossina limitanea disterminant. Scio alios quoque postremis hisce temporibus Floram nostram cultores praesertim exteros habiusse, quorum tamen doleo plenam certamque notitiam hactenus assequi haud potuisse. Sed omnes profecto longe superat egregius Matthaeus Botteri pharensis, qui natalem insulam et Issam et Brattiam et scopulos circumstantes jamdiu diligentissime explorat, et stirpium lectarum plurimas egr. Al. Stalio mihique communicavit. Cumque idem botanicus in hisce perquisitionibus incessanter insistat, spes arridet certissima novos solertia sua Florae nostrae accessuros esse thesauros. Hisce omnibus de Dalmaticae vegetationis studio praeclare meritis, iisque praeprimis, qui opus hocce plantarum aut observationum copia benevole sunt prosecuti, hic grates quas possum maximas referre gestio. Eorum iusuper qui plantam novam, aut primo in Dalmatia ab ipsis

repertam communicarunt, mentionem specialem suo loco facere non ommittam.

Aequi bonique faciant viri rei herbariae periti curas huic operi longa et assidua sollicitudine impensas, eoque perficiendo favere pergant alacriter qui stirpibus dalmaticis colligendis observandisque impigram navant operam. Quod mihi humaniter praestituris jam me in antecessum quam maxime memorem ac devinctum sollemniter profiteor polliceorque —

Classis III. PHANEROGAMAE DICOTYLEDONES:

Subclass. I. GYMNOBLASTAE.

Legio II. DICHLAMYDEAE.

Coh. I. MONOPETALAE.

Ordo XXXVII. PLANTAGINEAE.

Juss. gen. pl. p. 90. (Plantagines.)

Flores completi. Calyx herbaceus quadrifidus, laciniis margine scariosis aestivatione imbricatis, persistens. Corolla hypogyna scariosa tubulosa quadrifida. Stamina quatuor corollae laciniis alterna, filamentis aestivatione induplicatis, dein longe exsertis, antheris introrsis supra basim affixis, loculis contiguis longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium liberum biloculare, ovulis numero variis placentae septiformi insertis. Stylus unicus stigmate indiviso. Capsula membranacea 2—4 locularis, loculis mono-di-polyspermis, circumscisse dehiscens, seminibus numero variis. Embryo rectus in axi albuminis dense carnosi, radicula infera.

Herbae acaules, foliis rosulato-congestis nervosis simplicibus, raro caulescentes vel suffrutescentes, pedunculis scapiformibus.

CLXXVII. Plantago L.

Gen. pl. ed. II. p. 38.

Char. Flores hermaphroditi calyce quadripartito, corollae tubo ovato, staminibus tubo insertis. Capsula circumscissa, ob placentam centralem liberam bi-quadrialatam bi-quadrilocularis. — Class. Tetrandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

* Plantago Tourn. inst. rei. herb. p. 126. tab. 48. acaules, scapigerae, capsula biloculari.

505. Plantago major L. sp. pl. ed. II. p. 163. Vis. stirp. dalm. p. 43. Host fl. austr. 1. p. 209. Rchb. fl. exc. p. 394. Alsch. fl. jadr. p. 33. Pett. bot. Wegw. n. 708.

P. foliis late petiolatis ovatis subdentatis glabriusculis, scapo tereti, spica elongata, capsula polysperma.

Icon. Sm. engl. bot. t. 1558. Flor. dan. tab. 461. Matth. disc. in Diosc. 1568. p. 507. Fuchs. comment. stirp. p. 38. — Illyr. Márina bókvicza. Páskvicza.

Hab. ad vias et in herbidis totius Dalmatiae. Floret ab aestate in autumnum. Flores sordide albidi. ♃.

Usus. Folia vulneraria sunt. Semina Pl. majoris, mediae, lanceolatae, et Psylii aquam stillatitiam praebent contra oculorum imflammationes frequens adhibitam.

506. Plantago Cornuti Gou. illustr. plant. p. 6.

P. foliis longe petiolatis ovatis basi angustatis crassiusculis integerrimis glaberrimis, scapo tereti, spica elongata, capsula tetrasperma.

Syn. P. Gouani GMEL. syst. veg. 1. p. 251. SPR. syst. veg. 1. p. 433. P. adriatica CAMPANA cat. h. bot. ferrar. p. 22. — Icon. ZANNICHELL. istor. delle piant. tab. 75. CORNUT. canad. p. 163.

Hab. in pratis salsis circa Obbrovazzo, in inundatis ad Cascata della Kerka supra Scardonam. Legi florentem Aug. Sept. Flores sordide albidi. Radix praemorsa. ♃.

507. Plantago media L. sp. pl. ed. II. p. 163. Vis. stirp. dalm. p. 43. HOST fl. austr. 1. p. 210. REICHB. fl. exc. p. 396. ALSCH fl. jadr. p. 33.

P. pilis confervoideis pubescens, foliis breviter lateque petiolatis ovali-lanceolatis ellipticisve subintegris, scapo striato tereti, spica oblongo-cylindrica, capsula disperma.

Icon. Sm. engl. bot. t. 1559. Flor. dan. t. 581. MATTHIOL. disc. in DIOSC. ed. 1568. p. 508. FUCHS. comment. stirp. p. 39.

Hab. in pascuis siccis locisque collinis, montanis, etiam ad vias agrestes circa Zara, Obbrovazzo, Knin, Dernis, Ragusa, Cattaro. Floret a Majo in autumnum. Spica ob calyces scariosos nitida argentea. ♃

508. Plantago lanceolata L. sp. pl. ed. II. p. 164. Vis. stirp. dalm. p. 43. HOST fl. austr. 1. p. 210. REICHB. fl. exc. p. 396. ALSCH. fl. jadr. p. 33. PETT. bot. Wegw. n. 707.

P. foliis petiolatis lanceolatis utrinque attenuatis tri-quinquenervibus subdenticulatis, scapo sulcato, spica oblongo-cylindrica vel globosa, capsula disperma.

Icon. SM. engl. bot. t. 507. Flor. dan. tab. 437. BLACKW. herb. tab. 14. MATTHIOL. disc. in DIOSC. ed. 1568. p. 509. — Illyr. Búkvicza. Mala bókvicza.

Hab. Frequens in herbidis, pratis, pascuis, ad vias totius Dalmatiae. Spica fusca vel pallida. Floret a Majo in aestatem. ♃.

Obs. Planta pro stationum diversitate mirimode varia. In udis pinguioribus glabra est, et scapum bipedalem, folia sesquipedalia, spicam cylindricam exserit, et haec forma est Pl. altissima L. sp. pl. ed II. p. 164, sive P. dalmatica SCHOTT, P. Schottii ROEM. et SCHULT. syst. veg. 3. p. 118, cujus icones habes in Jacq. obs. bot. part. IV. tab. 83. In siccis apricis ludit minor, hirsuta, foliis abbreviatis subdenticulatis, spica ovali, et haec est P. hungarica W. et Kit. pl. rar. hung. III. tab. 203. In arenosis sterilibus saxosis orae maritimae folia exhibet vix pollicaria sericeo-lanata integra et spicam subrotundam, scilicet P. lanatam HOST fl. austr. 1. pag. 210 (ex herb!), non Poir: P. villosam Portenschl. herb!, nec aliorum. Bracteae quoque sunt modo glabrae, modo pubescentes, aut etiam villosae. Laciniae calycis anteriores interdum in unicam coalescunt, et tunc oritur P. ambigua GUSSON. fl. sicul. prodr. 1. p. 185, quae spicae forma refert P. lanatam Hostii, foliis et habitu inter hanc, et P. hungaricam fere media. Collum rhizomatis denique tum in hac, tum in P. maritima L., de qua infra, ludit glabrum lanatum stupposum. Quibus omnibus rite perpensis, et speciei transitionibus bene observatis comparatisque, iis libenter assentior, qui in P. altissima, P. hungaria, P. lanata, et P. ambigua nec species, nec varietates agnoscunt, sed tantum variationes ex loco.

509. Plantago Lagopus L. sp. pl. ed. II. p. 165. Vis. stirp. dalm. p. 43. HOST fl. austr. 1. P. 211. REICHB. fl. exc. p. 395.

P. pilosa, foliis lanceolatis denticulatis tri-quinquenervibus, scapo sulcato, spica ovata, demum oblonga, compacta, bracteis laciniisque calycinis apice villoso-barbatis, capsula disperma.

Syn. P. eriostachya TENOR fl. nap. prodr. p. XIII, fl. nap. III. p. 149. REICHB. fl. exc. p. 395. P. arvensis Presl. delic. prag. p. 69. fl. sicul. prodr. p. XXXVIII. — Icon. SIBTH. fl. graec. cent. II. tab. 144. TENOR. fl. napol. t. 112. f. 2.

Hab. in siccis, arenosis, sterilibus circa Sebenico, Traù, Ragusa, ins. Lacroma, et Budua. Floret a Junio ad Septembrem. Spica alba, aut testacea. ♃.

Obs. P. eriostachya TENOR. omnino eadem, nam denticuli foliorum plus minusve rari, nervi foliorum terni vel quini, collum rhizomatis dense aut parce villosum, scapus apice

teres vel undique sulcatus, spica alba aut testacea, et bractearum color variant in in individuis ejusdem loci, subinde etiam in una eademque planta. Quoad durationem species semper perennis est, et P. eriostachya, ni fallor, speciminibus innititur primo jam anno florentibus, ideoque radice tenuiori praeditis, qua de causa annua videntur. Icon Morisoni hist. ox. 3. sect. 8. tab. 16. f. 13. huc ducta, ob folia nimis sinuata minus bona. Habeo abnormitatem hujusce plantae scapo polystachyo a cl. Tommasinio circa Budua collectam.

510. Plantago argentea Chaix. in Vill. hist. des pl. du dauph. 1. p. 376. p. 302.

P. subsericea, foliis lanceolatis utrinque longe attenuatis subintegerrimis tri-quinque nervibus, scapo striato demum sulcato adpresse piloso, spica demum oblonga compacta, bracteis dorso pilosis, laciniis calycinis alato-carinatis dorso glabris, capsula disperma.

Syn. P. victorialis Poir. enc. bot. ed. Pat. V. p. 357. Pett. bot. Wegw. n. 711. P. capitata Hopp. Tenor. in fl. nap. icon. P. sericea W. et Kit. pl. hung. 2. p. 163. Host. fl. austr. 1. p. 211 Rchb. fl. exc. p. 395. P. erubescens Portenschl. herb.! Host. herb! P. rubens Host fl. austr. 1. p. 211. — Icon. Tenor. fl. nap. tab. 112. f. 1. W. et Kit. pl. hung. tab. 151. Gerard. fl. gallopr. f. 12. Columan. ecphr. 1. p. 259. f. ext.

Hab. in herbidis apricis collium et montium Promina, Svilaja, Marljan, Biokovo, Snjesniza, Vlastiza. Floret a Majo ad Junium. Spicae fuscae. ♃

Obs. Folia exsiccatione interdum rubescunt, seniora glabrescunt et laetius virent. Hac in specie, ut in congeneribus, pubes variat longior vel brevior, adpressa et plus minus nitida, vel patula opaca: spica ludit oblonga aut globosa, fusca vel nigricans, semper glabra, bracteis solum dorso sparsim pilosis. Hinc quibus notis P. sericea Kit. a P. victoriali Poir. discriminetur prorsus ignoro. Bracteae obovatae, obtusae, quas cl. Duby (bot. gall. p. 392) petit in P. argentea Lam., in nostra semper ovatae acutae; in illa e Lamarckio ipso (ill. des genr. 1. p. 340.) spica villosa, in nostra glabra. An igitur P. argentea Lam. ab illa Villarsii distincta?

511. Plantago Bellardi Allion. fl. pedem. 1. p. 82. Vis. stirp. dalm. p. 43. Host. fl. austr. 1. p. 212. Rchb. fl. exc. p. 395. Alsch. fl. jadr. p. 33.

P. villis patentibus hirsuta, foliis lanceolato-linearibus lanceolatisve trinervibus integerrimis subsessilibus, scapo tereti folia subaequante, spica ovata aut cylindrica, bracteis laciniisque calycinis ovatis longe acuminatis pubescentibus, capsula disperma.

Syn. P. pilosa Pourr. mém. de Toul. 3. p. 324. Roth catal. 2. p. 10. Cav. icon. pl. 3. p. 25. P. holostea Lam. ill. gen. 1. p. 340. P. villosa ejusdem ib. 1. p. 341. P. lanata Poir. voy. en Barb. 2. p. 115. — Icon. Sibth. fl. graec. cent. II. tab. 146. Allion. loc. cit. t. 85. f. 3. Cav. icon. pl. 3. tab. 249. Roth catal. 2. tab. 1. Clus. hist. pl. V. p. CXII. f. 1.

Hab. in saxosis apricis insularum Cherso, Ossero, Selve, Lesina, Lacroma, nec non circa Zara, et in arenosis prope Budua. Spicae sordide flavescentes aut testaceae. Floret Majo, Junio. ⊙ —

Obs. Variat summopere magnitudine partium, ut cuilibet icones nuper citatas conferenti facile patebit. Planta quam Portenschlagius invenit in insula Lissa, quaeque in ejus herbario adest sub nomine P. Holostei, P. maritimae pertinet: ideo perperam planta haec ab Hostio in fl. austr. 1. p. 212. P. Bellardi dicitur. Forsitan Vir. cl. ob nominis trivialis similitudinem P. Holosteum Portenschl. herb. cum P. Holostea Lam. commutavit.

512. Plantago Weldeni Rchb. icon. bot. cent. IX. p. 2, et fl. exc. p. 396.

P. pumila, foliis oblongo-linearibus carnosulis glabris uninervibus integris, margine cartilagineis, apice obtusis, scapo adpresse strigoso tereti, spica ovata pauciflora, bracteis ovato-acuminatis laciniisque calycinis ovatis scariosis ciliato-fimbriatis, corollae tubo pilosulo, capsula disperma, seminibus alatis.

Icon. Rchb. Plant. crit. cent. IX. f. 1088—90.

Hab. ad salinas prope Stagno ubi detexit F. Neumayer, et cl. Weldenio mihique communicavit. Spica flavo-viridis. Floret Majo, Junio. ⊙ — Descr. Herbula uni-bipollicaris, radicis annuae axe perpendiculari fibrillisque tortuosis, foliis linearibus basim versus attenuatis, dein in petiolum brevem dilatatis, sursum paullo latioribus, apice obtuso vix angustatis, subtus costatis, margine cartilagineis, undique glabris, interdum basi pilis longiusculis praeditis, carnosulis. Scapus ante anthesin apice cernuus, demum erectus, strigis albidis adpressis tectus, basi tenuior, superne crassior, folia prius aequans, dein duplo longior. Bracteae ovato-acuminatae scariosae ciliato-fimbriatae, inferiorum carina viridi herbacea. Calycis laciniae ovatae obtusiusculae scariosae ciliato-fimbriatae, corolla duplo breviores. Corallae tubus pilosulus, limbi laciniae ovato-oblongae acutae. Stamina fauci corollae subaequalia, stigma exsertum. Capsula ovata bilocularis disperma, seminibus ovatis compressis margine alato-membranaceis.

513. Plantago maritima. L. sp. pl. ed. II. p. 165. Vis. stirp. dalm. p. 43. Host fl. austr. 1. p. 213. Rchb. fl. exc. p. 396.

P. foliis elongato-linearibus carnosulis subtus convexis subtrinerviis, supra canaliculatis, integris dentatisve, utrinque attenuatis, scapo tereti, spica longa cylindrica primum nutante, bracteis ovatis lanceolatisve, laciniisque calycinis ovato-oblongis margine membranaceis, corollae tubo villosulo, capsula disperma.

Syn. P. carinata Schrad. cat. sem. h. gotting. Rchb. fl. exc. p. 396. P. subulata Wulf. in Jacq. collect. 1. p. 204. P. graminea Lam. ill. des genr. p. 343. Rchb. fl. exc. p. 863. P. serpentina Lam. l. c. Rchb. fl. exc. p. 397.

Var. β. subulata: pumila, foliis subtriquetris rigidis, bracteis basi gibbis. — Syn. P. subulata L. sp. pl. ed. II. p. 166. Rchb. fl. exc. p. 396. — Icon. Rchb. Plant. crit. cent. IX. f. 1091 — 92.

Hab. locis sterilibus siccis arenosis saxosis totius Dalmatiae tum litoralis, tum montanae. Floret aestate, et autumno. Spicae e viridi flavescentes. ♃ vel ♄.

Obs. Species pro locorum diversitate ita varia, ut ni evidentes transitiones adessent, rectius e multis conflari, quam unicam efficere videretur. In pratis uliginosis salsis rhizoma simplex, folia late linearia exhibet, nunc integra (Fl. dan. tab. 243), nunc remote dentata (Fl. dan. p. 1634), quarum formarum utraque in Flora nostra hucusque desideratur, et haec est P. maritima genuina auctorum. Locis apricis siccis, etiam montanis, folia duplo, aut triplo angustiora fiunt, lineam lata, nunc integra (Zannich. ist. piant. ven. tab. 60, Sabbat. h. rom. 2. t. 7.), nunc subdentata, ut exhibentur in Dodon pempt. p. 108, quae P. graminea Lam. In statione arenosa steriliori rhizoma dividitur, folia sunt angustissime linearia, scilicet lineae dimidium aequant, et ciliato-serrulata, bracteae lanceolatae vel lanceolato-subulatae longiores, spicae apex ob bracteas elongatas steriles coma viridi ornatur (Wulf in Jacq. collect. 1. tab. 10. Lob. stirp. observ. p. 240. f. 2. Dodon. pempt. p. 109. Mathiol. disc. in Diosc. ed. 1568. p. 523), et haec est P. serpentina Lam. P. carinata Schrad. P. subulata Wulf. Denique in saxosis scopulosis maritimis planta omnis contracta, rhizoma in ramos fere ligneos divisum, folia brevia subtriquetra, rigida mucronata incurva vel recta, bracteae lanceolatae carnosae dorsi basi gibbae, spica multo brevior, quae forma a P. maritima minime separanda, et rectius stationi salsae siccissimae rupestri tribuenda P. subulatam L. exhibet, cujus imaginem, praeter cl. Rchb. icon. bot. cent. IX. f. 1091—92, confer in J. Bauh. hist. 3. p. 511. Lobel. icon. stirp. p. 429, stirp. observ. p. 240. f. 3. Praeter has variationes ita in eodem individuo inconstantes, ut earumdem notae ne ad varietates quidem discernendas sufficiant, praestat observare, collum rhizomatis nunc lana stipari, nunc glabrum esse, nunc parce pilosum; folia quoque modo glabra, modo ciliata, modo pilosa; bracteas nunc adpressas, nunc erecto-patulas, forma, longitudine et crassitie varias; spicas primum ovatas, dein oblongas, aut cylindricas. Inter formas hucusque descriptas P. subulata L. habitu, parvitate et rigiditate partium equidem distincta videtur, sed adsunt specimina intermedia ipsammet cum individuis macrioribus P. maritimae certissime copulantia.

514. Plantago serraria. L. sp. pl. ed II. p. 166.

P. foliis lanceolatis utrinque attenuatis planis quinquenerviis alte pectinato-serr at scapo tereti, spica cylindrica, demum lineari-elongata, primum nutante, bracteis ovatis laciniisque calycinis ovato-oblongis margine membranaceis, corollae tubo basi villosulo, capsula disperma.

Icon. Columm. ecphr. 1. p. 259. f. 1. Moris hist. pl. sect. 8. tab. 16. f. 19. Barell. ic pl. rar. 749.

Hab. ad vias agrestes insulae Lissa, ubi invenit prof. Stalio. Spica flavo-virens. Floret Majo. ♃.

Obs. Affinis habitu formis latifoliis parce breviterque incisis P. Coronopi, a qua vero differt bracteis vix acutis obtusisve nec ovato-subulatis, et praesertim capsula biloculari nec tri-quadriloculari.

** Coronopus Tourn. inst. r. herb. p. 128. tab. 49.
acaules, scapigerae, capsula tri-quadriloculari.

515. Plantago Coronopus. L. sp. pl. ed. II. p. 166. Vis. stirp. dalm. p. 43. Host fl. austr. 1. p. 213. Rchb. fl. exc. p. 394. Alsch. fl. jadr. p. 33. Pett. bot. Wegw. n. 706.

P. subhirsuta, foliis subcarnosis remote dentatis pinnatifidisve, scapo tereti, spica lineari-elongata cylindrica, bracteis ovato-subulatis, calycis laciniis lateralibus dorso alato-membranaceis, corollae tubo villosulo, capsula tri-tetrasperma.

Icon. Sm. Engl. bot. t. 892. Flor. dan. tab. 272. Dodon. pempt. p. 109. f. sinistr. Columm. ecphr. 2. p. 71. Mattiol. disc. in Diosc. ed. 1568. p. 522. — Illyr. Jelini rog.

Hab. ad. litora maris circa Zara, Traù, Spalato, Ragusa, Cattaro, nec non in insula Lesina, Lissa, et alibi. Spica flavo-viridis. Floret ab Aprili in aestatem. ☉ vel ♂. —

Obs. Variat praecipue foliis vel subintegerrimis, scilicet uno alterove dente incisis, vel pinnatifidis, vel etiam bipinnatifidis, laciniis quoque latioribus, vel angustioribus.

*** Psyllium Tourn. inst. r. herb. p. 128. tab. 49.
caulescentes, pedunculatae, capsula biloculari.

516. Plantago Psyllium. L. sp. pl. ed. II. p. 167. Vis. stirp. dalm. p. 43, Host. fl. austr. 1. p. 213. Rchb. fl. exc. p. 397. Alsch. fl. jadr. p. 33. Pett. bot. Wegw. n. 710.

P. piloso-viscida, caulibus herbaceis superne ramosis, foliis linearibus patulis integerrimis vel remote dentatis, spicis ovatis, bracteis ovato-subulatis calyces aequantibus, calycis laciniis lanceolatis, capsula disperma.

Icon. Th. F. Nees. gen. pl. fasc. XVI. f. 16—25. Sibth. fl. graec. cent. 2. tab. 149. Moris. hist. pl. sect. 8. tab. 17. f. 2—4. Boccon. pl. sic. rar. tab. 4. f. A. B. Dodon. pempt. t. 115.

Hab. in collibus aridis, locis arenosis, agris sterilibus circa Zara, Sebenico, Traù. Spalato, Macarsca, nec non in insulis. Capitulum flavo-virens. Floret Majo, Junio. ☉

Obs. Variat caulibus erectis immo strictis, foliis erecto patulis integris vel medio dentatis. Specimina erecta dentata exhibent P. siculam Presl. del. prag. p. 70. P. Psyllium β, Gusson. fl. sic. prodr. 1. p. 193, quae nec pro varietate habenda est, sed forma tantum ex loco aridissimo.

Usus. Semina Psillii mucilagine scatent, hinc ex aqua decocta in ophtalmia, et bronchiorum irritatione laudantur.

Ordo XXXVIII. PLUMBAGINEAE.;

Juss. Gen. pl. p. 92. (Plumbagines.)

Flores completi spicato-paniculati, aut capitati, pedunculis ut plurimum scapiformibus bracteis 1—3 suffulti. Calyx tubulosus 5—10 dentatus plicatus persistens

Corolla regularis pentapetala aut monopetala limbo 5—partito. Stamina quinque corollae lobis opposita, in pentapetalis unguibus petalorum inserta, in monopetalis hypogyna, filamentis aestivatione erectis, antheris introrsis incumbentibus, loculis basi sejunctis, longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium liberum uniloculare, ovulo unico ex apice placentae filiformis pendulo. Styli quinque liberi vel in unum connati, stigmatibus quinis. Fructus monospermus calyce inclusus utricularis indehiscens, vel capsularis apice quinquevalvis. Semen inversum, albumine carnoso parco, embryone recto, radicula supera.

Herbae (nostrates) perennes, foliis simplicibus integerrimis exstipulatis.

CLXXVIII. Armeria. DC.

Fl. franç. tom III. p. 419.

Char. Flores unibracteati in capitulum conglobati bracteis involucratum, harum exterioribus in vaginam cylindricam scapum ambientem productis. Calyx infundibuliformis margine scariosus. Corolla pentapetala unguibus villo connexis staminiferis. Styli quinque apice intus stigmatici. Caryopsis basi lacero-secedens. — Class. Pentandria. Ord. Pentagynia Syst. sex. —

517. Armeria vulgaris. W. en. h. berol. 1. p. 333. Rchb. fl. exc. p. 190.
A. foliis linearibus trinerviis integerrimis margine cartilagineis, bracteis exterioribus lanceolatis acutis, intimis apice rotundatis, tubo calycis villoso-striato pedicellum subaequante.

Syn. Statice Armeria L. sp. pl. ed. II. p. 394. Host. fl. austr. 1. p. 406. Statice elongata Hoffm. Deutschl. fl. ed. 2. vol. 1. p. 150. Host. l. c. S. canescens. Host. l. c. ex herb! Armeria denticulata Portenschl. en. pl. dalm. p. 14. Rchb. fl. exc. p. 190. Alsch. fl. jadr. p. 71. (excl. diagn.) Pett bot. Wegw. n. 101. non Bertol. — Icon. fl. dalm. tab. III. f. 2. Portenschl. l. c. tab. 5. Flor. dan. tab. 1092.

var. *β* latifolia: foliis latiuscule linearibus. Bertol. fl. ital. III. p. 509. — Syn. A. scorzoneraefolia Balb. et Nocc. fl. ticin. 1. p. 151. — Icon Balb. et Nocc. l. c. tab. 6. Munting. phyt. cur. fig. 174. — Illyr. Bàbbina svila.

Hab. in arenosis, locis siccis, pascuis montanis vulgatissima in tota Dalmatia: var. locis herbidis montium Dinara, et Orien. Flores rosei, raro albi. Floret a Majo in autumnum. ♃ —

Obs. Foliorum margo, et scapi basis utplurimum glabri, interdum pubescentes. Folia omnia integerrima, nec primitiva denticulata, hinc planta nostra ab A. denticulata Bertol. diversa. Icon Portenschlagi sub. lit. *b.* peccat forma, et numero denticulorum calycis, qui revera nec ita parvi nec ita crebri, sed multo latiores rotundati et tantummodo deni: peccat insuper forma et longitudine aristarum calycis, quae capillares nec lanceolatae et breviores. S. canescens Host. herb.! et flor., cujus folia in diagnosi dicuntur glabra, in descriptione canescentia, reapse glabra est, et nullo modo differt ab A. vulgari. Variat foliis anguste lateque linearibus, et haec postrema insuper foliis abbreviatis ut in icone fl. ticin., duplove longioribus ut in illa Muntingi.

Expl. tab. III. f. 2. *a* calyx cum bractea scariosa amplexante erosa; *b* calyx nudus; *c* petalum ungue staminiferum; *d* pistillum; *e* caryopsis.

CLXXIX. Statice W.

en pl. h. berol. 1. p. 335.

Char. Flores bi-tribracteati spicati secundi paniculatim digesti. Calyx infundibuliformis margine scariosus. Corolla pentapetala, unguibus imberbibus staminiferis, raro con-

natis. Styli quinque apice intus stigmatici. Caryopsis basi lacero-secedens. — Class. Pentandria Ord. Pentagynia Syst. sex. —

518. Statice Limonium L. sp. pl. ed. II. p. 394. Vis. stirp. dalm. p. 48. Host fl. austr. 1. p. 407. Rchb. fl. exc. p. 191. — Alsch. fl. jadr. p. 71. Pett. bot. Wegw. n. 911.

S. laevis viridis, foliis obovato-oblongis petiolatis uninervibus mucronatis, scapo erecto superne paniculato ramisque teretibus, floribus dense spicatis.

Syn. S. serotina Rchb. fl. exc. p. 191. — Icon. Rchb. icon bot. VIII. f. 997—998. Engl. bot. tab. 102. Lobel icon. stirp. p. 295. f. 1. Dodon. pempt. p. 351. Mathiol. disc. in Diosc. ed 1568. p. 1033. — Illyr. Vranjemil czarljeni.

Hab. ad litora maris, ad scopulos, in salinis tum continentis tum insularum. Flores lilacini. Floret Augusto Septembri. ♃.

Usus. Herba omnis adstringens in profluviis quibuscumque utiliter propinatur. —

Obs. Folia ludunt in eodem caespite obtusa, et acuta. In illis frequentius costae apex secedit a lamina infra hujus apicem, et tunc mucronem fere dorsalem efficit, recurvum aut rectum: quandoque vero in iisdem foliis costae apex e summa lamina prominet, et tunc folia mucrone terminali instruuntur. Scapi rami variant corymbosi, vel fastigiato-paniculati, aut paniculati tantummodo.

519. Statice incana L. mant. 1. p. 59. Alsch. fl. jadr. p. 71. Pett. bot Wegw. n. 910.

S. laevis glauca rigida, foliis obovato-lanceolatis basi longe attenuatis trinerviis subundulatis apice mucronatis, scapo tereti erecto, ramis effusis divaricato-patentibus sub-alato-triquetris paniculatis, floribus dense spicatis.

Syn. S. tatarica Host fl. austr. 1. p. 408. et herb! Rchb. fl. exc. p. 191. (excl. diagn.) non L.

Hab. in arenosis salsis insulae Pago, et circa Nona, nec non in arvis sterilibus circa Spalato, Grabovaz, Duare. Flores albi. Floret Julio, Augusto. ♃. —

Obs. Differt stirps dalmatica a S. tatarica L. colore admodum glauco, unde nomen specificum, foliis undulatis, et praecipue floribus dense breviterque imbricato-spicatis, nec distantibus ut de hac ultima auctores omnes, Linnaeo praeeunte. Confer quoad veram S. tataricam iconem Gmel. fl. sib. Vol. II. tab. 92. a Linnaeo ipso citatam, et inflorescentiam a nostra prorsus alienam reperies. S. tatarica insuper ex Ammanno stirp. rar ruth. p. 99. est planta tenuior ac S. speciosa L. ramis floriferis longioribus, floribus non compactis, sed in spicam dispositis unciam plus minus longam, et scorpioideam, foliis insuper laetius virentibus, quae omnia plantae nostrae repugnant. E contra verba cuncta a Linnaeo prolata de S. incana arabica in stirpem dalmaticam optime cadunt. Folia cano-glauca, et squamis albis subrotundis adspersa, ut in S. speciosa, cui nostra quodammodo affinis.

520. Statice oleaefolia Pourr. Sm. fl. graec. prodr. I. p. 212. Rchb. fl. exc. p. 191. non Scop.

S. laevis virens, foliis obovato-spathulatis obtusis retusisve basi longe attenuatis uninerviis margine revolutis, scapo tereti erecto, ramis paniculatis, inferioribus sterilibus erectiusculis, superioribus patulis subteretibus, floribus laxe spicatis subincurvis, dentibus calycinis obtusis.

Syn. S. reticulata Host fl. aust. I. p. 408. Rchb. fl. exc. p. 190 non L. — Icon. Rchb. icon. bot. II. tab. 193. Zannich. ist. piant ven. tab. 232.

Hab. in maritimis insulae Pago, circa Spalato, et Ragusa. Flores lilacini. Floret Majo, Junio. ♃. —

Obs. Quoad veram S. reticulatam L melitensem conf. cl. Bertolonii fl. ital. Vol III. p. 520. — S. oleaefolia Scop. del. insubr I. p. 24. tab. 10. differt a nostra colore glauco, foliis acutis trinerviis, spicis densifloris: hinc jure merito ab ipso Bertolonio loc. cit. p. 528. nomine S. Scopolianae distinguitur.

521. Statice articulata Loisl. fl. gall. ed. I. p. 723. Rchb. ic. bot. 2. p. 65.

S. viridis tuberculata, foliis obovato-spathulatis basi longe attenuatis subtrinervis

obtusis, scapo tereti ramosissimo, ramisque divaricato-dichotomis articulatis erectis, internodiis subarcuatis, inferioribus sterilibus, floribus laxe spicatis subincurvis, dentibus calycinis obtusis.

Syn. S. rorida SIBTH. et SM. fl. graec. III. p. 91. — Icon RCHB. ic. bot. II. tab. 172. opt! SIBTH. et SM. fl. gr. III. tab. 298. LOISL. fl. gall. ed. II. tab. 6.

Hab. in scopulosis maritimis circa Ragusa, ubi legit Neumayer. Flores lilacini. Floret Sept. Oct. ♃. —

Obs. Ramis ad nodos facile secedentibus, et internodiis apicem versus crassioribus a praecedentibus, glabritie et ramis erectis a sequente distinguitur. Huc quoque probabiliter referenda S. dictyophora Tausch. in syll. pl. ad. calc. Botan. Zeit. 1827 p. 254. potius quam ad praecedentem, a qua differt scabritie, scapo articulato, articulis divaricatis.

522. Statice cancellata BERNHARD in RCHB. fl. exc. p. 190. Nr. 1127.

S. cinereo-pubescens, foliis obovato-spathulatis basi longe attenuatis uninerviis obtusis retusisve, scapo tereti cancellato-ramosissimo, ramis deflexis implexis articulatis, inferioribus sterilibus, floribus laxiuscule breviterque spicatis, dentibus calycinis acutis.

Syn. S. rorida VIS. stirp dalm. p. 48. PETT. bot Wegw. n. 912. nec SM. S. reticulata HOST herb! ALSCH. fl. jadr. p. 71. nec L. S. furfuracea RCHB. Plant. crit. II. pag. p. 80 et fl. exc. p. 190. an LAG.? — Icon. RCHB. ic. bot. II. tab. 188. — Illyr. Mrixicza.

Hab. in saxosis maritimis totius orae Dalmaticae, etiam in insulis frequentissima. Flores lilacini. Floret Autumno. ♃. —

Usus. Planta omnis ex aqua cocta utiliter propinatur ab incolis in catarrho vesicali, nam muci et urinae excretionem promovet. —

Obs. Nomen a cl. Bernhardio jamdiu huic plantae impositum, praeeunte cl. Bertolonio, retineo, cum hactenus dubium sit an S. furfuracea Lag. ob diagnosim nimis brevem vix nota, sit eadem ac nostra. In herbario cel. DC. planta dalmatica habetur pro varietate S. pubescentis DC. quae tamen apprime differt ramis erectis nec deflexis cancellatisque, ideoque habitu omnino alieno.

523. Statice caspica W. en h. berol. 1. p. 336. RCHB. fl. exc. p. 190.

S. viridis, granulato-scabra, foliis obverse lanceolatis basi longe attenuatis trinerviis apice acutis, scapo tereti ramosissimo, ramis inferioribus sterilibus scopariis erectis, floribus dense breviterque spicatis, scapi squamis bracteisque margine albo-scariosis, dentibus calycinis obtusis.

Syn. S. reticulata PORTENSCHL. herb. dalm! — Icon. RCHB. ic bot. II. tab 194. opt! BOCCON. Mus. piant. rar. tab. 103. (Limon. minus flag. tort.)

Hab. ad litora saxosa maris PORTENSCHL. herb. sine loci specialis indicatione. Flores coerulei. Floret a Majo ad Sept. ♃.

524. Statice ferulacea L. sp. pl. ed. II. pag. 396.

S. scabriuscula, foliis angustissime linearibus fugacibus, scapis pluribus teretibus adscendentibus ramulosis nodulosis, squamis alternis omnino scariosis albis ovatis amplexicaulibus pilo terminatis, caulinis internodio brevioribus patulis, ramulorum imbricatis adpressis.

Icon. PLUKEN. phyt. tab. 28. f. 3. 4. MORIS hist. pl. sect. XV. tab. 1. f. 23.

Hab. ad litora maris in peninsula Sabbioncello propre Rosario, ubi legit cl. Portenschlag. (v. s. absq. fl. in PORTENSCHL. herb! Floret Julio, Augusto. Flores ex L. lutei. ♃. —

Obs. Planta haec ob foliorum praesentiam, quae a Poiretio non visa, a Bertolonio negata, S. diffusae Pourr. propius accederet. Sed haec postrema e descriptionibus Poir. in enc. meth. VII. p. 404. et DC. fl. fr. III. p. 423. ramis gaudet diffusis patentissimis, ramulis arcuato-retroflexis, dum in nostra rami erecti sunt, ramuli vel erecti vel vix adscendentes, quod habitum plantae mutat. Hinc mihi tutius agere videtur

putans auctores illos, qui S. ferulaceae folia negarunt, specimina florifera hujusce plantae ob oculos habuisse, quo in statu jam folia amiserat, quam speciem nostram sola foliorum praesentia a S. ferulacea diversam ad alioquin dissimilem S. diffusam referre.

CLXXX. Plumbago Tourn.

inst. rei herb. p. 140. tab. 58.

Char. Flores spicati tribracteati. Calyx tubulosus, angulis glandulosis. Corolla monopetala infundibuliformis, limbo quinquelobo. Stamina hypogyna. Stylus unicus, stigmatibus quinis. Capsula apice quinquevalvis dehiscens. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

525. Plumbago europaea L. sp. pl. ed. II. p. 215. Vis. stirp. dalm. p. 43. Host fl. austr. I. p. 258. Rchb. fl. exc. p. 191. Alsch. fl. jadr. p. 44. Pett. bot. Wegw. n. 712.

P. caule stricto ramis patentibus, foliis inferioribus obovatis petiolatis, superioribus ovato-lanceolatis, supremis linearibus, omnibus basi amplexicaulibus subdenticulatis.

Icon. Lam. enc. bot. pl. 105. f. 1. Columm. ecphr. 1. tab. 161. Clus. hist. pl. libr. V. p. 124. — Illyr. Vranjemil, Vranjenja.

Hab. ad sepes, in dumetis, locisque saxosis totius Dalmatiae. Flores violacei. Floret ab aestate in autumnum. Planta acris. ♃.

Ordo XXXIX. GLOBULARIEAE.

DC. fl. fr. ed. III. p. 427.

Flores completi irregulares unibracteati, receptaculo communi paleaceo impositi, in capitulum solitarium involucratum congesti. Calyx herbaceus quinquefidus persistens. Corolla monopetala hypogyna tubo cylindrico, limbo labiato, labio superiore minore ut plurimum bifido, altero longiore plus minus trifido. Stamina quatuor didynama fauci corollae inserta, ejusque lobis alterna, quinto abortivo, filamentis aestivatione incurvis, antheris introrsis incumbentibus, loculis demum confluentibus rima unica communi longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium liberum uniloculare, ovulo solitario e loculi summitate pendulo. Stylus uuicus stigmate indiviso, aut bifido. Fructus caryopsis indehiscens calyce obtecta, styli basi persistente mucronata. Semen inversum albumine carnoso, embryone recto, radicula supera.

Herbae perennes aut suffrutices foliis simplicibus integris vel apice tridentatis, exstipulatis.

CLXXXI. Globularia L.

gen. pl. ed. II. p. 32.

Char. Idem ac Ordinis.

526. Globularia vulgaris L. sp. pl. ed. II. p. 139. Host. fl. austr. I. 184. Rchb. fl. exc. p. 364. Alsch. fl. jadr. p. 29.

G. herbacea erecta, foliis radicalibus oblongo-spathulatis emarginatis tridentatisve petiolatis, caulinis lanceolatis sessilibus integris.

Icon. Sims. botan. magaz. tab. 2256. Clus. hist. pl. IV. p. VI. Tabern. icon. 329. 330. Camer. hort. med. tab. VII.

Hab. in pascuis montium Vellebith, et insulae Lesina. Flores caerulei. Floret a vere in autumnum. ♃.

527. Globularia cordifolia L. sp. pl. ed. II. p. 139. Host fl. austr. 1. p. 184. Rchb. fl. exc. p. 364. Alsch. fl. jadr. p. 30. Pett. bot. Wegw. n. 454.

G. suffruticosa procumbens, foliis oblongo-spathulatis emarginatis tridentatisve longe petiolatis, omnibus radicalibus, pedunculis scapiformibus subnudis.

Syn. G. cordifolia *β*. L. loc. cit. G. bellidifolia Tenor. fl. nap. III. p. 117. — Icon. Jacq. fl. aust. 2. tab. 295. Tenor. fl. nap. tab. CIX. Lam. enc. bot. pl. 56. f. 2. Clus. hist. pl. lib. IV. p. V.

Hab. in collibus circa Zara, Obbrovazzo, Scardona, Dernis, Clissa, Sign, Vrullia, Macarsca, et in insula Veglia, nec non in montibus Vellebith, Svilaja, Biokovo et Vissosniza. Flores caerulei. Floret aestate. ♄. —

Obs. Variat hic quoque foliis tridentatis vel emarginatis, obtusis acutisve quandoque in eodem caespite.

Ordo XL. DIPSACEAE.

Vaill. mém. sur les Dips. in hist. de l'Acad. des Scienc. 1722.

Flores completi irregulares vel subregulares receptaculo communi bracteato impositi, et in capitulum solitarium bracteis involucratum congesti. Flos singulus ex involucello externo calyciformi (calyx exterior) tubo sulcato foveolatove, limbo scarioso (corona); calyce (calyx interior), cujus tubus germini adhaeret, limbus cyathiformis dentatus vel setaceo-partitus (pappus); corolla calycis fauci inserta monopetala tubulata inaequaliter 4—5 loba; staminibus quatuor basi corollae insertis, antheris introrsis longitudinaliter dehiscentibus; ovario uniloculari, ovulo solitario e loculi summitate pendulo; stylo unico, stigmate indiviso aut bifido. Fructus caryopsis involucello, et calycis tubo inclusa, hujusque limbo scarioso, aut setiformi, aut papposo coronata. Semen inversum albumine carnoso, embryone recto, radicula supera.

Herbae annuae aut perennes, foliis oppositis simplicibus, integris aut varie sectis, sessilibus, exstipulatis.

Clavis analytica generum.

Florum receptaculo bracteato	vid. Nr. 1	Florum receptaculo ebracteato	Scabiosa.
1. Involucro foliaceo subbiseriali	- - 2	Involucro squamoso imbricato	Cephalaria.
2. Corolla quinquefida	- - 3	Corolla quadrifida	vid. Nr. 4
3. Setis calycinis vix quinis scabris	Asterocephalus.	Setis calycinis pluribus plumosis	Pterocephalus.
4. Bracteis receptaculi herbaceis muticis	Succisa.	Bracteis receptaculi basi scariosis aristatis	Dipsacus.

CLXXXII. Dipsacus Tourn.

inst. rei herb. p. 466. tab. 265.

Char. Flores in capitulum aggregati, involucro foliaceo elongato radiante paleas scariosas aristatas receptaculi superante. Involucellum tetragonum octosulcatum apice limbo brevi dentato terminatum. Calyx limbo supero cyathiformi vel disciformi dentato. Corolla quadrifida. Stigma longitudinale. Caryopsis involucello inclusa, limbo calycis dentato apice coronata. — Class. Tetrandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

528. Dipsacus sylvestris Mill. garden. dict. n. 2. Vis. stirp. dalm p. 33. Host fl. austr. 1. p. 185. Rchb. fl. exc. p. 197. Alsch. fl. jadr. p. 30. Pett. bot. Wegw. n. 344.

D. foliis oblongo-lanceolatis indivisis dentatis, paleis receptaculi obovatis cuspidato-linearibus flexilibus rectis, foliolis involucri lineari-subulatis adscendentibus capitulo longioribus.

Syn. D. fullonum α. L. sp. pl. ed. II. p. 140. D. sylvestris β horridus Tausch syll. pl. II. p. 249. in Botan. Zeit. 1827. Rchb. fl. exc. in add. p. 846. — Icon. Jacq. fl. austr. V. tab. 402. Engl. bot. t. 1032. Blackw. herb. tab. 50. Matthiol. disc. in Diosc. ed. 1568. p. 699. — Illyr. Sikavaz. Sikaviza glavata. Çiçak veliki.

Hab. ad margines agrorum, et secus aquas circa Zara, Dernis, Knin, Spalato, Salona, Cattaro. Floret Junio, Augusto. Corollae violaceae. ♂.

Obs. Varietas a cl. Tausch indicata non differt nisi aculeis validioribus crebrioribusque.

529. Dipsacus laciniatus L. sp. pl. ed. II. p. 141. Host fl. austr. 1. p. 136. Rchb. fl. exc. p. 197.

D. foliis pinnatifido-laciniatis ciliatis, lobis sinuato-dentatis, paleis receptaculi oblongis cuspidato-linearibus flexilibus rectis arcuatisque, involucri foliolis lanceolato-subulatis adscendentibus capitulo subbrevioribus.

Icon. Jacq. fl. austr. V. tab. 403. Lam. enc. bot. pl. 56. f. 2 Moris. hist. oxon. sect. tab. 17. tab. 36. f. 4. — Var. β divaricatus: foliorum lobis divaricatis basi pinnatifidis, paleis arcuatis. Syn. D. divaricatus Presl del. Prag. p. 117. et fl. sicul. p. 57. — Illyr. Sikaviza bila.

Hab. species promiscue cum varietate ad agrorum margines circa Dernis, Verlika, Metkovich. Floret Julio, Sept. Corollae albidae aut carneae. ♂.

CLXXXIII. Succisa Mert. et Koch.

Deutschl. fl. 1. p. 743.

Char. Flores in capitulum aggregati, involucro herbaceo laxiusculo in receptaculi bracteas herbaceas continuato iisque longiore. Involucellum tetragonum octosulcatum, apice limbo herbaceo quadrilobo terminatum. Calyx limbo supero disciformi. Corolla quadrifida. Stigma lougitudinale. Caryopsis involucello inclusa, et limbo calycis aristato aut mutico coronata. — Class. Tetrandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

530. Succisa pratensis Moench meth. pl. p. 489. Rchb. fl. exc. p. 196.

S. radice praemorsa, foliis inferioribus ovali-lanceolatis integerrimis, superioribus lanceolatis subintegris, capitulis fructiferis globosis, limbo involucelli hirsuto, calycis quinqueseto.

Syn. Scabiosa Succisa L. sp. pl. ed. II. p. 142. Host fl. austr. 1. p. 189. — Icon. Flor. danic. tab. 279. Engl. bot. tab. 878. Blackw. herb. t. 142. Mattiol. disc. in Diosc. ed. 1568. p. 658.

Hab. in pratis secus flumen Kerka ad Cascata di Scardona, ubi legi mense Augusto. Flores caerulei. ♃.

531. Succisa australis Rchb. fl. exc. p. 196.

S. radice repente stolonifera, foliis stolonum obovatis subdentatis, caulinis lineari-lanceolatis integris, capitulis fructiferis ovatis, limbo involucelli glabro, calycis mutico.

Syn. Scabiosa australis Wulf. in Roem. arch. 3. p. 316. Rchb. icon. bot. IV. p. 23. Alsch. fl. jadr. p. 30. Scabiosa repens Brign. fasc. pl. foroj. p. 19. Balb. et Nocc. fl. ticin. 1. p. 68. Host. fl. austr. 1. p. 189. S. pseudoaustralis Roem. et Sch. syst. veg. 3. p. 61. — Icon. Rchb. icon. bot. IV. f. 505. Balb. et Nocc. fl. ticin. 1. tab. II.

Hab. ad rivulos, locisque aquosis circa Zara loco dicto alla Fontana, circa Kliake, et Dernis, etiam in agris siccis prope Verlika et in monte Mossor. Floret Augusto. Flores albidi vel vix incarnati. ♃. —

Obs. Involucellum fructus ad angulis pubescens. Icon TRIUMF. observ. p. 26. huc ab autoribus ducta recedit a nostra foliis inciso-serratis, et omnibus lanceolatis. — Succisae genus a cl. MERTENS et KOCH egregie limitatum, characteribus supra expositis magis differt a Cephalaria, cum quo ab omnibus copulatur, quam a Dipsaco, a quo potius habitu quam notis recedit.

CLXXXIV. Cephalaria Schrad.

Cat. hort. goetting. 1814.

Char. Flores in capitulum aggregati, involucro coriaceo arcte imbricato in receptaculi paleas continuato iisque breviore. Involucellum tetragonum laeve, dentibus cartilagineis, aut limbo scarioso multifido terminatum. Calyx limbo supero cyathiformi. *Corolla quadrifida. Stigma longitudinale.* Caryopsis involucello inclusa limbo calycis mutico coronata. — Class. Tetrandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

532. Cephalaria leucantha SCHRAD. loc. cit. VIS. stirp. dalm. p. 30.

C. perennis, capitulis hemisphaericis, involucri squamis ovatis obtusis paleisque muticis, involucelli limbo lacero-multifido.

Syn. Scabiosa leucantha L. sp. pl. ed. II. p. 142. HOST fl. austr. 1.! p. 187. RCHB. ic. bot. IV. p. 44. Succisa leucantha MOENCH meth. pl. p. 489. RCHB. fl. exc. p. 196. (excl. syn. HOST.) ALSCH. fl. jadr. p. 30. Cephalaria centauroides, et C. leucantha γ Scopolii VIS. stirp. dalm. spec. p. 30.

Hab. in collibus locisque apricis saxosis totius Dalmatiae frequens. Flores albi, aut albidi. Floret Julio, Septembri. ♃. —

Obs. Folia hujusce stirpis magnopere variant, sed variationes istae notis adeo vagis circumscribuntur, et tali gradu una in alteram transeunt, ut saepe nescias cuinam e varietatibus a botanicis huic plantae tributis ejusdem specimina referre debeas. Nunc folia sunt simpliciter pinnato-partita lobis linearibus integris, vel uno alterove lobulo incisis, radicalium segmentis latioribus, glabra vel solo margine vel undique hirtella, et haec est Sc. leucantha L. sp. pl. ed. II. et syst. nat. ed. XII. ubi folia espresse dicuntur linearia pinnata, C. leucantha ROEM. et SCH. syst. veg. 3. p. 47, C. leucantha var. α. DC. prodr. syst. nat. 4. p. 649, cujus iconem habes in CLUS. hist. pl. libr. IV. p. 4. f. 1. LOBEL. icon. p. 538. f. 2. MORIS. hist. oxon. sect. VI. tab. 13. f. 12. Nunc foliorum segmenta sunt lanceolata, et inciso-pinnatifida, ciliata vel glabra, et tunc oritur C. albescens R. et SCH. l. c. p. 48, quae C. leucantha var. γ DC. l. c., et cujus iconem dedit cl. RCHB. in icon. bot. IV. f. 537, exclusa fig. a. b. quae fructum quadridentatum et paleas elongatas lanceolato-acuminatas exhibet a nostra alienas, et potius C. centauroidi adscribendas. Modo laciniae foliorum latiores fiunt, oblongae, aut ovales, aut lato-lanceolatae, et incisae aut serratae, ciliatae vel glabrae, et sistunt C. leucanthemam R. et SCH. l. c. C. leucantham var. β. DC. l. c., quam confer in VIVIAN. fl. ital. fragm. fasc. I. tab. XVII. Modo planta omnis robustior, hirsuta, foliorum inferiorum lobis ovalibus integris, supremis simplicibus linearibus, et haec est Scabiosa leucantha SCOP. fl. carn. ed. II. vol. I. p. 95, C. leucantha γ Scopolii VIS. stirp. dalm. p. 3 C. leucantha δ DC. l. c. Interdum etiam folia indivisa vix margine dentata sunt, ovali-lanceolata, ciliata, supremis linearibus integris. Denique locis siccissimis oritur quandoque forma simplicissima singularis, foliis oblongo-subspathulatis in petiolum longe attenuatis, integris vel apice tantum bi-tridentatis, ciliatis, superioribus acuminatis supremisque linearibus integris, quae Scabiosa mediterranea VIVIAN. append. ad fl. corsic. spec. p. 1.; C. leucantha β BERTOL. fl. ital. II. p. 24. Tres formae priores in collibus, locisque apricis totius Dalmatiae obviae; quarta in rimis rupium montium Promina, et Biokovo: postremae in saxosis apricissimis circa Ragusa, ubi legit Neumayer. — Scabiosa Trenta HACQ. pl. carn. f. 24. tab. 4. f. 1. habitu, duratione perenni, et foliorum forma est specimen macrum simplex C. leucanthae, potius

quam C. transylvanicae. Nec obstant auctoris verba, squamulis (involucri) mucronato-aristatis, cum in icone sua squamulae pingantur ovatae, et non aristatae, sed vix acutae, quales reapse sunt squamae involucri interiores. Scabiosa humilis HOST. fl. austr. l. p. 195. (Asterocephalus humilis) utpote genere discrepans cum hisce confundi nequit.

533. Cephalaria transylvanica SCHRAD. cat. sem. h. goetting. 1814.

C. annua, capitulis ovoideis, involucri squamis paleisque ovato-lanceolatis euspidato-aristatis, involucello octo subulatis coronato.

Syn. Scabiosa transsylvanica L. sp. pl. ed. II. p. 141. HOST fl. austr. 1. p. 187. RCHB. icon. bot. II. p. 11. Succisa transsylvanica SPR. syst. veg. 1. p. 378. RCHB. fl. exc. p. 196. — Icon. RCHB. ic. bot. II. f. 234. JACQ. hort. vindob. 2. tab. III.

Hab. ad margines agrorum, et sepes circa Sebenico, ubi legi. Floret Julio, Septembri. Corollae radii dilute caerulescentes, disci albidae. ⊙ vel ♂. —

Obs. Variat hirsuta et glabriuscula, lobo foliorum terminali maximo vel lateralibus paullo majore. Caules tum in hac tum in praecedente vidi semper angulosos nec teretes, paleas canescentes, et ciliatas.

CLXXX. Asterocephalus Vaill.

Mém. sur les Dips. in hist. de l'Acad. des Scienc. 1722. p. 178. tab. 13. f. 17—21.

Char. Flores in capitulum aggregati, involucri herbacei foliolis subbiseriatis, receptaculo paleaceo. Involucrum teretiusculum, foveolis costisve 4—8 notatum, limbo scarioso campanulato, aut rotato. Calyx setis subquinis scabris radiantibus terminatus, raro muticus. Corolla quinquefida. Stigma emarginatum. Caryopsis limbo calycis setigero aut mutico coronata.— Class. Tetrandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

534. Asterocphalus Columbaria WALLR. sched. crit. p. 48. ALSCH. fl. jadr. p. 30.

A. canescens, foliis radicalibus oblongo-spathulatis obtusis crenatis indivisis lyratisque, caulinis bipinnatifidis, supremis pinnatipartitis, involucelli costati corona erecta, fructu duplo breviore, pappi sessilis setis corona duplo longioribus aut nullis.

Syn. A. columbarius RCHB. fl. exc. p. 195. Scabiosa columbaria L. sp. pl. ed. II. p. 143. VIS. stirp. dalm. p. 46. HOST fl. austr. 1. p. 192. PETT. bot. Wegw. n. 827. — Icon. RCHB. icon. bot. IV. f. 535. Flor. dan. tab. 314. CAMER. epit. pl. p. 711. MATTHIOL. disc. in DIOSC. ed. 1568. p. 1021. —

var. β mutica: calycis limbo orbicnliformi prominulo mutico. — Syn. A. agrestis RCHB. fl. exc. p. 195. Scabiosa lejocephala HOPP. MERT. et K. Deutschl. fl. 1. p. 753. Scabiosa agrestis RCHB. icon. bot. 1. p. 77. — Icon. RCHB. l. c. f. 194. — var. γ Columnae: foliis caulinis omnibus bipinnatifidis, laciniis oblongis lanceolatisque. — Syn. A. Columnae RCHB. fl. exc. p. 195 (excl. syn.). Scabiosa Columnae TENOR. fl. napol. 1. p. 29. S. Columbaria β DC. prodr. syst. 4. p. 659. — Icon. TENOR. l. c. tab. 7. — var. δ gramuntia: foliis caulinis omnibus bipinnatifidis, laciniis linearibus angustissimis. — Syn. A. gramuntius SPR. syst. veg. 1. p. 383. RCHB. fl. exc. p. 195. Scabiosa gramontia L. sp. pl. ed. II. p. 143. S. mollis RCHB. icon. bot. IV. p. 42. — Icon. RCHB. l. c. f. 534. GER. the. herb. p. 719. f. 2. — Illyr. Komunika.

Hab. in campis, collibus siccis: omnium frequentior est var. β: varr. γ et δ praediligunt loca montana editiora in Krivoscie, et Orien. Flores coerulei aut violacei. Setae calycis fuscae aut nigrescentes. Floret Julio, Septembri. ♃. —

Obs. Varietates supra indicatae sola foliorum divisione distinctae una in alteram transeunt, et vel exhibent folia inferiora bipinnatifida, et suprema pinnatifida, vel

utraque bipinnatifida, laciniis modo oblongis latisque, modo linearibus, ac fere setaceis. In var. β loco pappi adest orbiculus viridis absque ullo setarum rudimento. Varietates γ, et δ sola latitudine laciniarum diversae. Postrema folia caulina exhibet tenuius divisa ac in iconibus supra citatis. Nomen *triviale* Columbaria adjective sumptum a Linnaeo, reapse substantivum est, nempe mutuatum a vulgari nomine Columbaria, quo Lobelius omnium primus in icon. stirp. 535. f. 2. plantam hanc designavit.

535. Asterocephalus suaveolens WALLR. sched. crit. p. 51. RCHB. fl. exc. p. 194.

A. foliis coriaceis, petiolis ciliatis, radicalibus obovato-cuneatis lanceolatisque integerrimis, caulinis lineari-pinnatifidis integrisque, involucelli costati corona erecta fructu triplo breviore, pappi sessilis setis coronam duplo excedentibus.

Syn. A. canescens SPR. syst. veg. 1. p. 380. Scabiosa suaveolens DESF. cat. h. paris. p. 110. RCHB. icon. bot. 1. p. 62. S. canescens WALDST. et KIT. pl. hung. 1. p. 53. HOST fl. austr. 1. p. 193. — Icon. RCHB. icon. bot. 1. f. 156. W. et KIT. l. c. tab. 53. —

var. β silenifolia: *pumila, foliis enerviis utrinque glabris.* — Syn. A. silenifolius SPR. syst. veg. 1. p. 380. A. suaveolens var. RCHB. fl. exc. p. 194. Scabiosa silenifolia W. et KIT. pl. hung. 2. p. 170. HOST fl. austr. 1. p. 196. — Icon. W. et KIT. l. c. tab. 157. — Illyr. Bùkviza. Kàmeniza

Hab. in rupestribus elatioribus montium Dinara, et Ghnjat. Flores caeruleo-purpurei suaveolentes. Floret Julio, Septembri. ♃ vel ♄. —

Obs. Ex transitionibus mihi obviis in speciminibus A. suaveolentis, et A. silenifolii persuasus fui de identitate specifica utriusque plantae. Illa collium humiliorum vindobonensium et hungaricorum habitum quidem elatiorem exhibet quam quae enascitur in rimis rupium montium altiorum Dalmatiae, et Croatiae; sed praeter magnitudinem e stationis differentia diversam, desunt notae costantes, quibus illa ab ista dividi queat. Folia in toto ordine admodum variabilia, hic quoque ludunt: primitiva in A. silenifolio obtusa sunt, immo etiam retusa, sed in ipso A. suaveolente tum spontaneo tum culto folia obtusa inveniuntur cum acutis indiscriminatim commixta. Venae foliorum radicalium, quarum defectum pro specifico habuit in A. silenifolio cl. BERTOLONIUS fl. ital. 2. p. 52, adsunt quoque evidenter in speciminibus magis evolutis hujusce plantae: nec omnino deficiunt in ipsis individuis macrioribus, sed ob majorem parenchymatis foliacei densitatem atque opacitatem, in hisce minus conspicuae sunt. Hinc potius censeo A. silenifolium varietatem esse alpinam contractam A. suaveolentis, quam speciem propriam ab isto diversam. Quod attinet ad Pterocephalum palaestinum, quem A. silenifolio identicum suspicatur cel. CANDOLLEUS in prod. syst. veg. 4. p. 653, hae plantae non solum specie, sed genere differunt. Icon TRIUMFETTI obs. pl. p. 78. stirpem hactenus expositam certe refert, sed folia infima lyrata, lobis subrotundis, iconis hujus omnino fictitia sunt, nam horum foliorum segmenta semper vidi linearia et acuta.

536. Asterocephalus holosericeus SPR. syst. veg. 1. p. 381.

A. mollissime cano-tomentosus, foliis inferioribus obovato-spathulatis obtusis crenatis integrisve, superioribus lanceolatis acutis serratis, basi indivisis pinnatifidisve, laciniis oblongis, involucelli costati corona erecta fructu triplo breviore, pappi sessilis setis corona vix duplo longioribus.

Syn. Scabiosa holosericea BERTOL. rar. pl. ital. dec. III. p. 49. VIS. stirp. dalm. p. 47. HOST fl. austr. 1. p. 194. PETT. bot. Wegw. n. 828. Asterocephalus Columnae var. RCHB. fl. exc. p. 195.

Hab. in elatioribus montis Biokovo prope jugum Troglav, et in editiori cacumine montium Prologh, quod Kamesniza dicitur. Flores caeruleo-purpurei. Floret a Julio ad Septembrem. Setae calycis nigrae. ♃. —

Obs. Folia ludunt in eodem cespite indivisa vel basi pinnatifida: hinc nota haec nec pro varietate integrifolia statuenda sat est. Differt ab A. Columbaria achenio subcylindrico angustiore, nec conico; limbo involucelli fructu suo triplo, nec duplo breviore, foliis multo minus divisis, et indumento velutino cano. In planta dalmatica pubes brevior densior et magis adpressa ac in speciminibus ex alpibus Apuanis, quae humanitati debeo cl. BERTOLONII.

537. Asterocephalus graminifolius SPR. syst. veg. 1. p. 380. RCHB. fl. exc. p. 194.

A. caule ramoso suffruticoso, foliis argenteo-sericeis linearibus integerrimis, involucelli albo-villosissimi basi teretis corona patula fructu paullo breviore, pappi sessilis setis vix corona longioribus.

Syn. Scabiosa graminifolia L. sp. pl. ed. II. p. 145. HOST fl. austr. 1. p. 196. — Icon. WALDST. et KIT. pl. hung. 2. tab. 188. CASP. BAUH. phytop. tab. 4. et prodr. p. 127.

Hab. in asperis montium Vellebith ad Pakleniza, in Dinara, et Biokovo. Flores caerulei. Floret Julio, Augusto. ♄.

538. Asterocephalus maritimus SPR. syst. veg. 1. p. 382.

A. viridi-pubescens, foliis radicalibus oblongo-spathulatis incisis pinnatifidisve, caulinis pinnatifido-linearibus, involucelli costati corona margine inflexa crenata fructum subaequante, pappi stipitati setis corona duplo longioribus.

Syn. A. ambiguus RCHB. fl. exc. p. 194. A. acutiflorus RCHB. fl. exc. p. 194. A. agrestis ALSCH. fl. jadr. p. 31 (non SPR. et excl. diagn.). Scabiosa ambigua TENOR. append. V. p. 7. et flor. nap. 3. p. 126. S. Saviana RCHB. hort. bot. 1. p. 38. (excl. syn.) S. acutiflora RCHB. icon. bot. IV. p. 24. S. agrestis PETT. bot. Wegw. n. 824. nec alior. S. maritima L. sp. pl. ed. II. p. 144. (excl. syn. Boccon.) — Icon. RCHB. hort. bot. 1. f. 53. opt! et icon. bot. IV. f. 506.

Hab. ad agrorum margines, et locis collinis circa Zara, Traù, Castelli, Spalato, Ragusa, nec non in insulis Lesina, et Lissa. Flores carnei, aut lilacini. Floret Julio, Septembri. ♃. —

Obs. Teste cl. GUSSONE in BERTOL. fl. ital. II. p. 54. haec est Scabiosa maritima herbarii Linnaeani, nec quae LINNAEUS de hac scripsit in Amoen. acad. 4. p. 304. et operibus posterioribus, hanc sententiam infirmant, si demas synonimon Bocconi, et quaedam verba descriptionis Linnaeanae, quae S. rutaefoliae VAHL pertinent. Capitula fructifera ovato-oblonga, setae rufae elongatae. Caulis nunc simplex nunc brachiato-ramosus, herba omnis nunc glabra nunc canescens nunc etiam villosa. Habui ex insula Lesina ab egregio prof. STALIO comunicatam monstrositatem proliferam hujusce plantae, quae S. maritima β BERTOL. fl. ital. II. p. 35. S. Cornucopia VIVIAN. nov. spec. diagn. ad calcem fl. lyb. p. 67. Abnormitas haec non solum species sed nec varietas habenda, nam in eodem individuo prolifero capitula quaedam normalia inveniuntur. S. acutiflora RCHB. quam habui ab ipso ill. WELDENIO, a quo et cl. auctor, non differt nisi corollis radiantibus interdum acutiusculis.

CLXXXVI. Pterocephalus Vaill.

Mém. sur les Dips. in hist. de l'Acad. des Sc. 1722. p. 183. pl. 13. f. 23, 24.

Char. Flores in capitulum aggregati, involucri herbacei foliolis subbiseriatis, receptaculo paleaceo. Involucellum octogonum apice octo-foveolatum, limbo urceolato scarioso denticulato. Calyx setis plumosis pluribus radiantibus terminatus. Corolla quinquefida. Stigma emarginatum. Caryopsis limbo calycis setigero coronata. — Class. Tetrandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

X **539. Pterocephalus palaestinus** COULT. dipsac. p. 31.

P. villosus, foliis inferioribus obovatis oblongisve integris, serratis, aut lyrato-pinnatifidis lobo impari ovato, superioribus lobo impari lanceolato integrisve, limbo involucelli fructum dimidium aequante, limbo calycis setis sublinearibus denis planis patentibus glabris margine pectinato-ciliatis.

Syn. P. brachiatus SPR. syst. veg. 1. p. 384. —

var. α indivisa: foliis omnibus indivisis, vel supremis basi utrinque appendiculatis. — Syn. Knautia palaestina L. mant. alt. p. 197. Scabiosa brachiata SIBTH. et SM. fl. graec. prodr. 1. p. 84. et. fl. graec. 2. p. 9. Pterocephalus palaestinus

β calabricus DC. prodr. syst. nat. 4. p. 653. — Icon. Flor. graec. II. tab. 109. — var. β lyrata: foliis lyrato-pinnatifidis, summis lineari-pinnatifidis. Syn. Scabiosa Sibthorpiana Sibth. et Sm. fl. graec. prodr. 1. p. 84. S. decemaristata Portenschl. herb! S. multiseta Vis. stirp. dalm. p. 13. Pett. bot. Wegw. n. 831. S. papposa Host fl. austr. 1. p. 196. ex herb! nec alior. Asterocephalus brachiatus Rchb. fl. exc. p. 194. (nec Coult.) ex herb. Portenschl.! P. palaestinus γ dalmaticus DC. prodr. IV. p. 653 (excl. syn. W. et. Kit.). P. Sibthorpianus Bertol. in fl. ital. II. p. 35. — Icon. Flor. graec. II. tab. 110. Vis. stirp. dalm. tab. 1. — var. γ. triphylla: foliis lyrato-pinnatifidis, verticillato-ternis. — Illyr. Ressèta. Persèniza.

Hab. species cum varietatibus promiscue ad margines agrorum, et in arvis argillosis siccis, locis apricis circa Slap, Sebenico, Traù, Spalato, Salona, Clissa, Almissa, et in insula Lesina. Flores magni, corollis in ambitu radiantibus violaceis, in centro regularibus albidis. Floret a Majo ad Julium. ⨀. —

Obs. Diligentiori examine instituto, et characterum quibus *S. Sibthorpiana* innititur variabilitate recognita, *aperte patuit omnia illa plantarum nomina superius enumerata* ad unam eamdemque *speciem pertinere. Planta* enim in Dalmatia vulgaris pro locorum diversitate nunc major ramosior, nunc minor subsimplex: pubes modo mollior, modo rigidior, longior ut villositatem, vel brevis adpressa ut canescentiam referat: folia divisione sua admodum varia, ab integritate perfecta ad formam lyrato-pinnatifidam transeuntia. Corollae marginales undulato-serrulatae; pappi stipes coronam aequat, setarum dimidium superat. Descriptioni plantae hujus jamdiu editae in Stirp. dalm. spec. p. 2. sequens descriptio fructus addenda, utpote qui in icone illa immaturus exhibitus. Involucellum obovatum truncatum sericeum, supra medium foveolis oblongis angulos dirimentibus pertusum, limbo seu corona membranacea patula, basi viridi, de reliquo albida, nervoso-plicata, urceolata, acute denticulata superius ornatur. In hujus fundo delitescit caryopsis ovalis sericeo-pubescens, apice abrupte constricta in stipitem teretem viridem coronae oram attingentem, apice coronatum setis constanter denis patulis planis sublinearibus, superne attenuatis, utrinque glabris, et solo margine pectinato-ciliatis, basi viridibus, caeterum fuscis. Differt planta haec a P. papposo Coult. involucello coronato mutico, nec coronae loco aristis 1—3 elongatis instructo, setis calycinis 10 nec 20—24; a P. plumoso Coult. corona involucelli ampla, nec obsoleta, setis calycinis 10 utrinque glabris, nec 11—13 undique pilosis. — Planta ex incolarum sententia acris, praesertim si oculo admoveatur. —

CLXXXVII. Scabiosa Vaill.

Mém. sur les Dips. in hist. de l'Acad. des Sc. 1722. p. 176—7. (excl. n. 9.) pl. 13. f. 1. 3. 6. 7. 8. 9. 11—16.

Char. Flores in capitulum aggregati, involucri herbacei foliolis subbiseriatis, receptaculo ebracteato hirsuto. Involucellum breviter stipitatum compressum apice 4—foveolatum, limbo denticulato. Calyx cyathiformis substipitatus, limbo multifido-setoso vel aristato. Corolla quadrifida. Stigma subbifidum. Caryopsis limbo calycis coronata. — Class. Tetrandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

540. Scabiosa arvensis L. sp. pl. ed. II. p. 143. Host fl. austr. 1. p. 190. Rchb. fl. exc. p. 193. Alsch. fl. jadr. p. 30. Pett. bot. Wegw. n. 825.

S. perennis, foliis ovato-lanceolatis oblongisve basi pinnatifidis, inferioribus in petiolum attenuatis, superioribus sessilibus, involucelli margine brevissime denticulato, calycis limbo setis suboctonis hirsutis.

Syn. Knautia arvensis Coult. mém. sur les dips. p. 29. Trichera arvensis Schrad. cat. sem. h. goett. 1814. — Icon. Engl. bot. t. 659. Flor. dan. t. 447. Tabern. icon. 159. f. 2. Fuchs. hist. stirp. p. 716. —

var. β. collina: foliis pectinato-pinnatifidis, laciniis oblongo-linearibus obtusis subintegris, caule subnudo. — Syn. S. collina Req. in Guer. vaucl. ed. II. p. 248. Rchb. fl. exc. p. 193. Alsch. fl. jadr. p. 30. Pett. bot. Wegw. n. 826. —

var. γ. indivisa: foliis indivisis integerrimis aut subdentatis — Syn. Knautia arvensis δ integrifolia COULT. dips. p. 29. (excl. syn. L. et RCHB.). BERTOL. fl. ital. 2. p. 29—30.

Hab. species in arvis et pratis insularum Ossero, et Vago, nec non circa Zara, Wrana, Zaton, Knin, Dugopolje, Clissa, Ragusa, Cattaro, Krivoscie: var. β in siccis apricis saxosis circa Zara, Dernis, Zagorie, Vergoraz, Ragusa, Cattaro, Pastrovichio, et in insula Brazza, nec non in montibus Vellebith, Dinara, Biokovo: var. γ. legi in pascuis sylvatics Mavize supra Verlika, et in monte Promina. Flores caerulei. Floret Julio, Augusto. ♃. —

Obs. Pubes variat minor et canescens vel longior, rigida aut mollis, quandoque viscida, nec ideo notas constantes exhibet. Folia in specie, seu forma vulgatiori, sunt lyrato-pinnatifida lobis integris; interdum hi lobi omnes vel quidam crenati sunt. In varietate β, quae semper plantam macriorem sistit, folia sunt fere omnia radicalia pinnatipartita, lobis approximatis parallelis linearibus oblongisve, integris dentatis vel etiam pinnatilobis, qui tamen in statione minus sicca explanantur et duplo latiores fiunt. In var. γ. quae nec cum S. integrifolia L. de qua infra, nec multo minus cum S. uralensi RCHB. quae ad Cephalarias pertinet, confundi potest, folia sunt oblongo-lanceolata acuminata indivisa, alia integerrima, alia leviter dentata, ad formam foliorum S. longifoliae WALDST. et KIT. proxime accedentia, quae forsan specie non differt. Huic etiam probabiliter referenda S. pubescens W. en h. berol. 1. p. 146. RCHB. fl. exc. p. 193.

541. Scabiosa integrifolia L. sp. pl. ed II. p. 142. RCHB. fl. exc. p. 192.

S. annua, foliis inferioribus obovatis petiolatis, superioribus lanceolatis sessilibus subserratis, involucelli margine bicuspidato, cuspidibus utrinque basi bi-tridentatis, calycis limbo villis plurimis coronato.

Syn. Trichera integrifolia ROEM. et SCHULT. syst. veg. 3. p. 59. Knautia integrifolia BERTOL. fl. ital. 2. p. 32. — Icon. Savi fl. pisan. 1. tab. 2. f. 1. a. I. BAUH hist. pl. 3. p. 3. LOBEL. hist. stirp. p. 291. f. 3. et icon. 536. f. 2. —

var. β. hybrida: foliis inferioribus lyrato-pinnatifidis, lobis oblongis obtusis dentatis crenatisve. — Syn. Knautia hybrida COULT. dips. p. 30. Trichera hybrida ROEM. et SCH. syst. veg. 3. p. 58. Scabiosa hybrida ALLION. auct. fl. pedem. p. 9. RCHB. fl. exc. p. 192. PETT. bot. Wegw. n. 829. S. bidens SIBTH. et SM. fl. graec. prodr. 1. p. 80. et fl. graec. II. p. 6. RCHB. fl. exc. p. 192. — Icon. SIBTH. et SM. fl. graec. II. tab. 104. — var. γ. angustiloba: foliis lyrato-pinnatifidis, lobis omnibus lanceolatis acuminatis integris.

Hab. species cum var. β. ad margines agrorum, ad sepes, in umbrosis circa Spalato, Clissa, Cattaro, Lastva, Budua, et in insula Lesina: var. γ. in hac ipsa insula. Flores lilacini aut rosei. Floret aestate. ☉ —

Obs. Ex herbario Tournefortiano, et Linnaeanno patuit hanc esse veram S. integrifoliam L. Haec quoque tamen magnopere variat foliis, quae nunc indivisa integerrima, nunc indivisa serrata, nunc lyrato-pinnatifida lobis ovatis crenatis integrisve, nunc in var. γ. lobis lanceolatis acutis integris. Legi insuper ad sepes circa Balke prope Dernis specimen abnorme hujusce plantae, pumilum, foliis omnibus oblongis obtusis indivisis integerrimis, caule apice dichotomo, floribus 2—3 in dichotomia, et totidem in ramorum apice bracteis subternis sessilibus involucratis. — S. bidens SIBTH. et SM. pertinet ad S. hybridam ALL. potiusquam ad S. integrifoliam L. ob folia lyrata, et icon Fl. graec. rem confirmat. — Genericam Scabiosearum distributionem a VAILLANTIO propositam jam ab anno 1722, post TOURNEFORTIUM, nempe post generum fundationem, maxima ex parte cum SPRENGELIO retinendam existimo, et posterioribus SCHRADERI, ROEMERI, et COULTERI jure anterioritatis praeferendam. Nec video cur auctores pro solo Pterocephalo VAILLANTIUM secuti, Scabiosam, et Asterocephalum ejusdem respuerint, etsi haec genera sint aeque bene ac Pterocephalus circumscripta. Scabiosa VAILL. respondet Tricherae SCHRAD. et Knautiae COULT. nec L.-Knautia, LINNAEO ipso docente, differt a Scabiosis VAILL. inflorescentia cylindrica, involucro erecto, bracteis florum numero aequalibus, floribus uniserialibus paucis, receptaculo angusto, corollis valde irregularibus. Quae nisi

sufficerent ad Knautiam orientalem a Scabiosis generice distinguendam, multo aequius esset Knautiae genus utpote recentius supprimere, quam Scabiosae nomen, sub quo jam VAILLANTIUS cum Tricheris SCHRAD. Knautiam ipsam comprehenderat, ad alienas plantas, sive Asterocephalos significandos transferre. Succisam VAILL. justa restrictionem a cl. MERTENS et KOCH indicatam, recepi, cum sub hoc nomine VAILLANTIUS species heterogeneas compinxerit. Genus hoc sic limitatum naturalem transitionem efficit a Dipsaco ad Cephalariam.

Ordo XLI. VALERIANEAE DC.

fl. franç. vol. IV. p. 416.

Flores completi, aut abortu unisexuales, dichotome cymosi, aut corymbosi, aut capitati, aut in ramorum dichotomia solitarii, bracteati. Calyx superus triquadrifidus persistens, vel pappiformis deciduus. *Corolla* monopetala epigyna tubuloso-infundibuliformis, tubo inferne *interdum in gibber aut calcar producto*, limbo tri-quinquelobo, *lobis aestivatione imbricatis*. Stamina corollae tubo inserta, *limbi lobis alterna, ab uno ad quatuor*, filamentis exsertis, antheris introrsis *incumbentibus*, longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium uniloculare vel bitriloculare, loculo unico fertili, ovulo solitario pendulo, stylo simplici, stigmatibus 2—3. Fructus indehiscens 1—3 locularis monospermus. Semen inversum, embryone exalbuminoso, cotyledonibus crassiusculis radicula supera multoties longioribus.

Herbae annuae aut perennes, foliis oppositis simplicibus indivisis pinnatifidisque exstipulatis.

Clavis analytica generum.

Corollae tubo basi calcarato, aut gibbo . . . . . . vid. Nr. 1	Corollae tubo basi aequali Valerianella.
1. Floribus monandris Centranthus.	Floribus triandris Valeriana.

CLXXXVIII. Valerianella Moench.

meth. plant. p. 486.

Char. Flores cymosi aut capitati aut in dichotomiis solitarii. Calyx limbo dentato. Corolla tubulosa basi aequalis, limbo quinque-lobo regulari. Stamina tria. Pistillum stigmate indiviso vel trifido, ovario et fructu triloculari. — Class. Triandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

542. Valerianella echinata DC. flor. fr. 4. p. 242. HOST fl. austr. 1. p. 39. RCHB. fl. exc. p. 199.

V. fructu oblongo trisulco tridentato glabro, dentibus conico-subulatis rigidis recurvis, exteriore longiore.

Syn. Fedia echinata VAHL en. pl. 2. p. 19. VIS. stirp. dalm. p. 35. RCHB. icon. bot. 1. p. 55. PETT. bot. Wegw. n. 406. Valeriana echinata L. sp. pl. ed. II. p. 47. — Icon. RCHB. ic. bot. 1. f. 137. opt! COLUMN. ecphr. p. 206. GARID. pl. d'Aix t. 94. MORIS. oxon. sect. 7. tab. 16. f. 28.

Hab. in cultis circa Sebenico, Traù, Spalato, et in insula Lesina. Flores carnei. Floret Aprili, Majo ⊙. —

Obs. Tum haec tum sequentes variant foliis integris vel dentatis vel basi incisis pinnatifidisve: hinc nota haec speciebus hisce discriminandis inepta.

543. Valerianella gibbosa DC. mém. sur les Valer. p. 22. et prodr. syst. nat. 4. p. 626.

V. fructu subrotundo-compresso edentulo glabro, loculo posteriore gibbo unisulco, anterioribus planis bisulcis, sulco antice discretis, bracteis integris glabris.

Syn. Fedia gibbosa Gusson. fl. sicul. prodr. 1. p. 28. — Icon. DC. mém. sur les Valer. tab. 3. f. 3.

Hab. in satis montis Svilaja, ubi legi mense Julio. Flores carnei ⨀. —

Obs. Habitus V. olitoriae, a qua differt bracteis glabris nec ciliatis, fructu triloculari nec biloculari, apice mutico nec denticulis minimis coronato, dorso convexo nec sulco longitudinali exarato. Folia integra. Loculus posterior intus cellulosus, extus dorso unisulcus: anteriorum quisque bisulcus, et insuper sulco longitutinali divisi.

544. Valerianella pumila DC. fl. fr. 4. p. 242. et prodr. syst. nat. 4. p. 628. (excl. syn. Rchb.)

V. fructu hemisphaerico inaequaliter tridentato glabro, postice bisulco, antice excavato-umbilicato, loculo dorsali carinato angusto in auriculam obtusam oblongam producto, lateralibus inflatis brevissime apiculatis, bracteis margine membranaceis villosis.

Syn. V. membranacea Lois. not. p. 150. Rchb. fl. exc. p. 198. V. sphaerocarpa DC. prodr. syst. nat. 4. p. 628. Fedia pumila Vahl. en. pl. 2. p. 21. Rchb. icon. bot. 2. p. 6. F. sphaerocarpa Gusson. fl. sicul. prodr. 1. p. 28. et pl. rar. p. 14. F. olitoria Alsch. fl. jadr. p. 14. nec alior. et excl. diagn. — Icon. Rchb. icon. bot. 1. f. 223. A. B. C. D. Gusson pl. rar. tab. 4. f. 1. Moris. oxon. sect. 7. tab. 13. f. 32.

Hab. in herbidis, et cultis circa Zara, Sebenico, Dernis, Zagorie. Corollae roseae. Floret Aprili, Majo. ⨀. —

Obs. Bracteae ovatae vel lanceolatae, margine membranaceae, villo ciliatae, nervo carinatae, in fructu patulae. Fructus semiglobosus, basi et apice emarginatus; posterius convexus ob loculum intermedium fertilem salientem angustum, in auriculam obtusam denticulis lateralibus multo majorem productum; anterius planiusculus, et medio longitudinaliter excavatus umbilico lineari aut ovali, loculis lateralibus sterilibus turgidis vix obsoleto denticulo apiculatis. Fedia tridentata Rchb. icon. bot. 1. f. 131. a cel. DC. huc dubitanter adducta omnino aliena, et V. dentatae DC. synonima.

545. Valerianella eriocarpa Desv. in journ. de Bot. 2. p. 314. DC. prod. syst. nat. 4. p. 626.

V. fructu ovato hispido, loculo posteriori multo majore postice convexo, utrinque angulato, anterioribus angustissimis umbilicum ovalem crasse marginantibus, calycis limbo auriculaeformi fructus latitudinem subaequante cuspidato hyalino reticulato-venoso inaequaliter acute denticulato, bracteis margine membranaceis ciliatis.

Syn. Fedia eriocarpa Roem. et Sch. syst. veg. 1. p. 364. Rchb. icon. bot. 1. p. 53. F. microcarpa Vis. stirp. dalm. p. 35. Pett. bot. Wegw. n. 407. nec Rchb. F. minuta Alsch. fl. jadr. p. 14. nec Spr. et excl. diagn. — Icon. DC. mém. sur les Valer. tab. 3. f. 5. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 13. f. 33.

Hab. inter segetes, et in herbidis cultis circa Zara, Dernis, Zagorie, Sebenico, Traù, Spalato, et in insula Lesina. Flores carnei. Floret Aprili, Majo. ⨀. —

Obs. Species coronae forma admodum ludibunda. Nunc enim dentes sex exhibet, quorum tres dorsales majores, ut in cl. Rchb. icon. bot. 1. fig. 132, quae forma alibi vulgatior, in Dalmatia hactenus non inventa. Nunc dentes anteriores brevissimi, aut nulli, et horum loco setae albidae rigidae strictae, posteriores in auriculam ovatam cuspidatam foliaceam coaliti. Haec vero quandoque dente brevissimo utrinque stipatur: quandoque margine suo acute et inaequaliter dentata est: vel ut in icone Candolleana repanda, vel etiam fere integra, ut in illa Morisoni, superius citatis. Tamen sub quavis forma species haec a sequente distinguitur corona cuspidata reticulato-venosa, venarum interstitiis diaphanis, umbilico elliptico.

546. Valerianella Morisonii DC. prodr. syst. nat. 4. p. 627.

V. fructu ovato-conico hirsuto, loculo posteriore multo majore postice convexo, utrinque angulato, anterioribus angustissimis umbilicum ovato-conicum crasse marginantibus, calycis limbo auriculaeformi fructu angustiore acutiusculo opaco denticulato, bracteis margine membranaceis subciliatis.

Syn. V. microcarpa Loisl. not. p. 181. V. mixta DC. prodr. 4. p. 627. V. dentata β. dasycarpa Rchb. fl. exc. p. 198. Fedia dasycarpa Stev. mem. Soc. mosq. 5. p. 348. F. Morisonii Spr. pug. pl. 1. p. 4. F. mixta Vahl. enum. pl. 2. p. 21. (ex parte) Valeriana mixta L. sp. pl. ed. II. p. 48. (ex parte). — Icon. Rchb. icon. bot. 1. f. 127. E. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 16. f. 35.

Hab. in apricis, saxosis, etiam sylvaticis circa Dernis, Zagorie, Ragusa, et Cattaro, et in insula Lesina. Flores carnei. Floret Aprili, Majo. ⊙. —

Obs. Differt a praecedente fructu superne attenuato, corona dimidiam fructus latitudinem subaequante, opaca, nec conspicue reticulata. Valeriana mixta Sauv. monsp. p. 275, cujus plantae *utrique ignotae (quod signo apposito † testati sunt)* descriptionem et synonima *transcripsere* Linnaeus *in sp. pl. ed. II.* p. 48. et Vahl sub F. mixta *in enum. pl. 2.* p. 21., est planta omnino fictitia, et revera mixta ex Centrantho Calcitrapa quoad folia et pappum, et ex V. Morisonii quoad reliqua, uti ex Morisoni synonimo a Sauvagesio citato luculenter evincitur. Hinc V. mixtae nomen a scientia delendum, utpote quod ex errore natum nil nisi erroris memoriam servat.

547. Valerianella Auricula DC. flor. fr. 4. p. 241. Rchb. fl. exc. p. 198.

V. fructu turgido subgloboso-ovato glabro, loculo posteriore convexo tenuissime quinque-costato, anterioribus majoribus suco lineari-oblongo immarginato divisis, calycis limbo auriculaeformi obtusato subintegerrimo, denticulis anterioribus obsoletis, bracteis ciliatis.

Syn. Fedia Auricula Mert. et K. deutschl. fl. 1. p. 400. Gaud. fl. helv. I. p. 84. Rchb. icon. bot. 1. p. 52. F. olitoria Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 36. — Icon. DC. mém. sur les Valer. tab. 3. f. 6. Rchb. icon. bot. 1. f. 128, 129. A. B. C. D. opt.! Gaud. fl. helv. I. tab. 1. Gaertn. l. c. tab. 86.

Hab. inter segetes circa Dernis, ubi legi mense Junio. Flores carnei. ⊙. —

Obs. Fructus globosus apice attenuatus, loculis sterilibus inflatis fertili majoribus, antice longitudinaliter excavatus, dorso et lateribus lineis filiformibus quinquecostatus.

548. Valerianella hamata Bast. in DC. fl. fr. 5. p. 494. Rchb. fl. exc. p. 199.

V. fructu ovato villoso subtetragono, loculis subaequalibus, anterioribus sulco divisis, calycis limbo rotato foliaceo reticulato-venoso utrinque glaberrimo sexfido, laciniis ovatis lanceolatisve integris aristatis, apice uncinatis, bracteis margine membranaceis ciliatis.

Syn. V. coronata Rchb. loc. cit. Fedia coronata Rchb. icon. bot. 1. p. 54. Pett. bot. Wegw. n. 405. nec alior. — Icon. DC. mém. sur les Valer. tab. 3. f. 7. Rchb. icon. bot. f. 133. 134. 135. Columm. ecphr. p. 209. fig. super. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 16. f. 30.

Hab. inter segetes circa Dernis, Torrette, Sebenico, Traù, Spalato, Salona, Clissa, Ragusa, et in insula Lesina. Floret Aprili, Majo. Flores carnei capitati. ⊙. —

Obs. Huc spectat etiam V. coronata Host. fl. austr. 1. p. 40, quoad plantam dalmaticam. Differt haec a vera V. coronata DC. calycis fauce glabra, quae in ista est villosa. Num ad V. hamatam Bast. vel ad V. coronatam DC. pertineat Valeriana Locusta γ coronata L. sp. pl. ed. II. p. 48. extricari nequit absque inspectione herbarii Linnaeani, ex qua sola erui poterit utrum immortalis Vir hanc vel illam hoc sub nomine intellexerit. Probabile tamen est plantam Linnaeanam esse V. hamatam Bast.; V. coronatam autem DC. et recentiorum esse V. discoideam Loisl. Valerianam Locustam ξ Linnaei, de qua modo.

549. Valerianella discoidea Loisl. not. p. 148. Vis. stirp. dalm. p. 35. Rchb. fl. exc. p. 199. Host. fl. austr. 1. p. 41.

V. fructu ovato villoso subtetragono, loculis subaequalibus, anterioribus sulco divisis, calycis limbo rotato foliaceo reticulato-venoso, intus villoso, subsexfido, laciniis lanceolatis breviter aristatis, apice uncinatis, plerisque inciso-dentatis, bracteis margine membranaceis ciliatis.

Syn. V. coronata β discoidea DC. prodr. syst. nat. 4. p. 628. Fedia discoidea Vahl en. pl. 2. p. 21. Valeriana Locusta ξ discoidea L. sp. pl. ed. II. p. 48. — Icon. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 16. f. 29.

Hab. in apricis herbidis circa Sebenico, Traù, Spalato, et in insula Lesina. Flores carnei capitati. Floret Aprili, Majo. ⊙. —

Obs. Caulis dichotomus, ramis divaricatis diffusis, quandoque fere prostratis, ad angnlos scaber. Coronae dentes rarius sex integri, saepius a quinque ad septem, omnibus vel quibusdam irregulariter inciso-serratis ciliatis, dentibus apice subulatis uncinatis glabris. V. coronata DC. solo dentium numero et integritate distincta ab hac ferme non differt. Iconem unicam Morisonii citavi utpote quae coronae formam dentiumque irregularitatem, quales in planta nostra observantur, caeteris exactius adumbrat. Iconem Dufr. valer. f. 3. f. 9. non vidi. — V. vesicaria Moench. meth. pl. p. 497. Portenschlagi fide ab auctoribus inter dalmaticas recensita, nec in ipsius herbario dalmatico, nec in Hosteauo invenitur, nec hactenus ab aliis quod sciam in Dalmatia reperta.

CLXXXIX. Centranthus Neck.

emend. DC. fl. fr. vol. IV. p. 238.

Char. Flores secus paniculae ramos unilaterales. Calyx limbo involuto demum in pappum plumosum deciduum abeunte. Corolla tubulosa basi calcarata, limbo quinquelobo regulari. Stamen unicum. Pistillum stigmate capitato, ovario et fructu uniloculari monospermo. — Class. Monandria. Ord. Monogynia. Syst. sex. —

550. Centranthus ruber DC. fl. fr. 4. p. 229. Rchb. fl. exc. p. 197.

C. foliis ovatis lanceolatisque, integris aut basi subdentatis, superioribus acuminatis, calcare tubi apicem multo excedente.

Syn. Valeriana rubra L. sp. pl. ed. II. p. 44. (excl. var. β.) Host fl. austr. 1. p. 34. Alsch. fl. jadr. p. 15. — Icon. Lam. enc. bot. pl. 24. f. 2. Engl. bot. t. 1531. Sabbat. hort. roman. tab. 17. Rivin. monop. irr. tab. 3. f. 2.

Hab. ad muros in insula Cherso, et ad vicum Perasto prope Cattaro. Flores rubri vel albi. Floret Julio, Augusto. ♃.

551. Centranthus Calcitrapa Dufr. hist. des Valer. p. 39. Rchb. fl. exc. p. 197.

C. foliis inferioribus indivisis, caeteris lyrato-pinnatifidis pinnatifidisque, calcare tubi apicem vix superante, ramis paniculae dichotomis binatisve.

Syn. Valeriana Calcitrapa L. sp. pl. ed. II. p. 44. — Icon. Clus. hist. pl. IV. p. 54. f. 2. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 14. f. 7.

Hab. in insula Pelagosa, unde misit prof. Stalio. Flores rubelli. Floret Majo. ⊙.

CXC. Valeriana Neck.

elem. botan. I. p. 123.

Char. Flores corymbosi capitati, aut paniculati. Calyx limbo involuto, demum in pappum plumosum deciduum abeunte. Corolla tubulosa basi gibba, limbo quinquelobo regulari. Stamina tria. Pistillum stigmate capitato, ovario et fructu uniloculari monospermo. — Class. Triandria. Ord. Monogynia. Syst. sex. —

552. Valeriana montana L. sp. pl. ed. II. p. 45. Host fl. austr. 1. p. 37. Rchb. fl. exc. p. 200. Alsch. fl. jadr. p. 14.

V. foliis indivisis subdentatis, radicalibus subrotundis obovatisve obtusis, caulinis ovatis acuminatis.

Icon. Jacq. fl. austr. 3. tab. 269. Sims botan. mag. tab. 1825. Clus. hist. pl. IV. p. 55.

Hab. in subalpinis umbrosis montium Vellebith, Biokovo, et Orien. Floret a Julio ad Augustum. Corollae rubellae. ♃. —

Obs. Folia variant dentata et integerrima, supremis quandoque profundius dentatis longe acuminatis, ut in icone Clusiana, et haec forma in Biokovo obvia est Valeriana montana x Bertol. fl. ital. 1. p. 174. V. montana γ. DC. prodr. syst. nat. 4. p. 636. Icon. C. Bauh. prod. p. 87. f. 1. minus vera ob folia radicalia cordata.

553. Valeriana tripteris L. sp. pl. ed. II. p. 45. Vis. stirp. dalm. p. 50. Host fl. austr. 1. p. 37. Rchb. fl. exc. p. 200. Alsch. fl. jadr. p. 14.

V. foliis *subdentatis, radicalibus indivisis cordatis* vel subrotundis, caulinis tripartitis laciniis *inaequalibus.*

Icon. Jacq. fl. austr. 3. tab. 268. C. Bauh. prodr. p. 86. Barrel. icon. pl. 742. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 14. f. 10.

Hab. in subalpinis umbrosis montium Vellebith, Dinara, et Biokovo. Floret Junio, Julio. Corollae albae. Radix ingrate aromatica. ♃.

554. Valeriana tuberosa L. sp. pl. ed. II. p. 46. Vis. stirp. dalm. p. 50. Host fl. austr. 1. p. 36. Rchb. fl. exc. p. 199. Alsch. fl. jadr. p. 13. Pett. bot. Wegw. n. 989.

V. radice tuberosa, foliis subintegris, radicalibus ellipticis oblongisve indivisis, superioribus lineari- pinnatipartitis.

Syn. Nardo montano Anguill. sempl. p. 23. — Icon. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 15. f. 21. Lobel. icon. stirp. p. 717. Camer. epit. pl. p. 16.

Hab. in saxosis collinis totius Dalmatiae tum montanae tum litoralis et insularis frequens. Corollae carneae odorae. Floret Aprili, Majo. ♃.

Obs. Radix crassa carnosa valde aromatica, olim in re unguentaria percelebris, tuber exhibet modo oblongum, ut in iconibus nuper citatis, nunc ovoideum, ut in icone Matthiol. disc. sopra Diosc. ed. 1568. p. 39., quae caeterum mala.

555. Valeriana officinalis L. sp. pl. ed. II. p. 45. Vis. stirp. dalm. p. 50. Host fl. austr. 1. p. 35. Rchb. fl. exc. p. 200. Alsch. fl. jadr. p. 14. Pett. bot. Wegw. n. 988.

V. foliis omnibus pinnatipartitis 7—10—jugis, segmentis lanceolatis dentato-serratis, integerrimisque, caule sulcato ad nodos pubescente.

Icon. Lam. enc. bot. pl. 24. f. 1. Engl. bot. tab. 698. Flor. dan. t. 570. Matthiol. disc. sopra Diosc. ed. 1568. p. 44. Clus. hist. pl. IV. p. 55. — Illyr. Odoljn.

Hab. in sylvis, locisque saxosis montium Vellebith, Promina, Dinara, Mossor, Biokovo, circa Almissa, et Ragusa, et in Krivoscie prope Cattaro. Floret Junio, Julio. Flores carnei. ♃.

Obs. Variat foliorum laciniis angustioribus subintegerrimis, cui lusui videtur inniti V. angustifolia Tausch, Host fl. austr. 1. p. 36, et ovato-lanceolatis profunde serratis, quae V. altissima Mik.

Usus. Radix acute aromatica inter praestantiora pharmaca nervina, anthelminthica, menagoga, et febrifuga locum obtinet. Paratur ex ipsa pulvis, infusum, tinctura, et extractum.

Ordo XLII. COMPOSITAE.

Adans. Famill. des plant. II. p. 103.

Flores in capitulum bracteis involucratum collecti, receptaculo communi expanso, vel raro globoso, impositi: aut omnes hermaphroditi, et tunc capitula homogama, vel externi neutri aut foeminei, interni hermaphroditi aut masculi, et capitula heterogama constituentes: corollis omnium tubulosis et capitula discoidea, vel omnium ligulatis et capitula ligulata, vel externis ligulatis et centralibus tubulosis et capitula radiata, vel denique externis majoribus et capitula coronata conficientibus. Calyx monosepalus ovario adhaerens, limbo supero (pappo) integro, aut varie fisso, aut obsoleto ovarii verticem coronante. Corolla calycis fauci inserta monopetala, limbo quinquefido aestivatione valvato, vel in ligulam lateralem producto. Stamina, ubi adsunt, quina tubo corollae adnata ejusque lobis alterna, filamentis prope apicem articulatis, antheris linearibus erectis introrsis in tubum stylum includentem coalitis, longitudinaliter dehiscentibus, apice in appendicem, basi in binas caudas plerumque desinentibus. Ovarium uniloculare, disco annulari coronatum, ovulo erecto solitario, stylo terminali, in floribus foemineis, et completis bifido, ramis superne planis ibique glandulis stigmaticis biseriatim marginantibus praeditis, subtus convexis nudis vel pilis collectoribus obsitis. Achenium uniloculare monospermum siccum receptaculo articulatum, inferne areola laterali, aut basilari instructum, superne pappo coronatum vel calvum, et disco annulari nectarium centrale cum ovario continuum cingente, terminatum. Semen in funiculo brevissimo erectum, embryone exalbuminoso recto, radicula infera.

Herbae (nostrates) ut plurimum perennes, raro suffrutices, foliis alternis, oppositisve integris, aut varie sectis, simplicibus: ramis saepius corymbosis, centralibus praecocioribus.

Obs. Primus, qui ordinem Compositarum fundaverit, etsi nomen non dederit, est Linnaeus in prima editione Generum plantarum. Leydae. 1737. inter Fragmenta methodi naturalis sub n. XXI., nec Vaillantius, ut alii perhibent, qui in Hist. de l'Acad. roy. des Sc. Paris 1719. p. 143 non solum ordinem hunc non condidit, sed ejus plantas in tres ordines dispertivit. Primus autem, qui eas Compositarum nomine nuncupaverit est Adansonius jam ab anno 1763, cum hoc nomen non adhibuerit Linnaeus nisi in editione sexta Generum plantarum. Holmiae. 1764. sub n. XLIX. Ordinum naturalium.

Clavis analytica Tribuum Compositarum.

Stylo floris hermaphroditi superne cylindrico . . . . . . vid. Nr. 1	Stylo floris hermaphroditi superne nodoso-incrassato Subord. I. Cynarocephalae. vid. Nr. 2
1. Capitulis aut discoideis, aut radiatis. Subord. II. Corymbiferae. . - - 10	Capitulis ligulatis. Subord III. Cichoraceae. . - - 18
2. Capitulis multifloris . . . . - - 3	Capitulis unifloris in unicum globoso-congestis. Trib. I. Echinopsideae.
3. Staminum filamentis liberis . - - 4	Staminibus monadelphis. Trib. VII. Silybeae.
4. Capitulis homogamis . . . . - - 5	Capitulis heterogamis . . . . . - - 8

5. Pappo deciduo . . . . . vid. Nr. 6	Pappo persistente, vel nullo . vid. Nr. 7
6. Pappo piloso plumosove indiviso. Trib. VIII. Carduineae.	Pappo ramoso. Trib. IV. Carlineae.
7. Involucri squamis omnibus subaequalibus. Trib. IX. Serratuleae.	Involucri squamis exterioribus magnis foliaceis. Trib. VI. Carthameae.
8. Floribus radii foemineis . . - - 9	Floribus radii neutris. Trib. V. Centaureaceae.
9. Receptaculo nudo. Trib. II. Calendulaceae.	Receptaculo paleaceo. Trib. III. Xeranthemeae.
10. *Styli ramis linearibus superne puberulis* . . . . - - 11	*Styli ramis subclavatis a basi* puberulis. Trib. X. Eupatorieae.
11. Styli ramis extus aequaliter, minuteque puberulis . . . - - 12	Styli ramis apice penicillato-pilosis . . . . - - 15
12. Antheris caudatis . . . . - - 13	Antheris ecaudatis. Trib. XI. Asterineae.
13. Capitulis radiatis . . . . . - - 14	Capitulis discoideis. Trib. XII. Tarchonantheae.
14. Receptaculo nudo. Trib. XIII. Inuleae.	Receptaculo paleaceo. Trib. XIV. Buphthalmeae.
15. Antheris ecaudatis . . . - - 16	Antheris caudatis. Trib. XVI. Gnaphalieae.
16. Styli ramis truncatis . . . . - - 17	Styli ramis superne attenuatis. Trib. XVIII. Heliantheae.
17. Pappo nullo, aut coroniformi. Trib. XVII. Anthemideae.	Pappo piliformi. Trib. XV. Senecioneae.
18. Receptaculo paleaceo . . . - - 19	Receptaculo nudo . . . . . . - - 21
19. Acheniis papposis . . . . - - 20	Acheniis calvis. Trib. XX. Lampsaneae.
20. Pappo coroniformi, aut paleaceo. Trib. XIX. Scolymeae.	Pappo plumoso. Trib. XXII. Hypochoerideae.
21. Pappo coroniformi, paleaceo, aut plumoso . . . . . . - - 22	Pappo piliformi. Trib. XXIV. Lactuceae.
22. Pappo coroniformi, aut paleaceo. Trib. XXI. Hyoserideae.	Pappo acheniorum centralium plumoso, vel omnium basi villoso. Trib. XXIII. Scorzonereae.

SUBORDO I. CYNAROCEPHALAE. *Vaill.*

Hist. de l'Acad. des Scienc. 1718. p. 149.

Capitula discoidea, vel radiata. Stylus floris hermaphroditi superne nodoso-incrassatus.

Trib. I. Echinopsideae. *Less.*

in Linnaea vol. VI. p. 88.

Capitula uniflora, supra receptaculum commune globosum articulata, congesta, capitulum unicum sphaericum bracteis involucratum simulantia: floribus omnibus hermaphroditis fertilibus tubulosis, involucello polyphyllo singillatim circumdatis, pappi setis liberis, aut in coronam concretis.

CXCI. Echinops. L.

Gen. pl. ed. II. p. 294.

Char. Idem, ac Tribus. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia segregata Syst. sex. —

556. Echinops Neumayeri Vis.

E. foliis bipinnatifidis supra cauleque glanduloso-pubescentibus, subtus cano-tomentosis, laciniis late lanceolatis valide spinosis margine revolutis, involucelli setis exterioribus squamarum interiorum longitudine dimidio brevioribus, squamis glabris, externis spathulato-cuspidatis serrulato-ciliolatis, mediis elongatis lanceolato-acuminatis medio utrinque unidentatis superne tenuissime serrulatis, intimis a basi ad medium in tubum concretis, pappi cupulaeformis setis linearibus apice discretis pilosis.

Icon. Flor. dalm. tab. X[ter.]

Hab. in Dalmatia, unde absque loci specialis indicatione, sed probabiliter ex Narenta communicavit Fr. Neumayer. Flores albidi. ♃?

Descr. Caulis ramosus sulcato-angulatus pilis glandulosis dense pubescens, aut villosus, foliis bipinnatifidis basi semiamplexicaulibus, laciniis lacinulisque late lanceolatis valide spinosis, supra glanduloso-pubescentibus, subtus dense cano-tomentosis margine revolutis. Pedunculi cauli similes. Involucrum e foliolis reflexis oblongis pinnatifidis spinosis (litt. g.). Receptaculum obovatum (litt. h.) in areolas hexagonas partitum, singulis areolam minorem subcircularem albidam inscriptam gerentibus, cui capitulum articulatur (litt. i. magn. aucta). Capitulum pentagonum basi penicillo setaceo cinctum, breviter cuneato, setis albis planiusculis nitidis capitulo ipso plus quam dimidio brevioribus, et fere tertiam ejusdem partem aequantibus (litt. a.). Squamae capituli glaberrimae complicato-carinatae rectae, externis spathulatis (litt. b. duplo auct.), mediis bidentatis (litt. c.) intimis connatis (litt. d.). Fructus apice villis plurimis stramineis densis circumdatus (litt. e. magn. auct.), pappum cupulaeformem e paleolis planis obtusis ad medium conferruminatis, apice liberis, pilosis compositum includentibus et paullo superantibus (litt. l. magn. nat., litt. e. magn. auct. et pilis apicis anterius ablatis.).

Obs. Affinis E. spinoso L. E. viscoso DC. et E. horrido Desf. Differt a prioribus prae reliquis, squamis involucelli interioribus ad medium concretis, nec distinctis et liberis; ab hoc, cui similior, pube densa glandulosa longiuscula faciei foliorum et caulis, foliorum forma Carduum lanceolatum referente, spinis validis, capitulorum penicillo breviter cuneato, squamisque internis fere triplo breviore, nec dimidiam earumdem longitudinem superante, uti exhibentur in E. orientali Trauttv. diss. de Echin. p. 22. f. 8, qui E. horridus Desf.

557. Echinops Ritro L. sp. pl. ed. II. p. 1314. Vis. stirp. dalm. p. 34. Host fl. austr. 2. p. 524. Rchb. fl. exc. p. 292. Alsch. fl. germ. jadr. p. 189. Pett. bot. Wegw. n. 350.

E. foliis bipinnatifidis subtus cauleque albo-tomentosis, supra glabris vel arachnoideis, laciniis lanceolatis linearibusve spinulosis, involucelli setis exterioribus squamis interioribus triplo brevioribus, squamis omnibus lanceolatis dorso glabris, margine piloso-ciliatis, liberis, pappi cupulaeformis setis linearibus a medio ad apicem discretis ciliatis.

Icon. Trauttv. diss. de Echin. f. 9. Rchb. icon. bot. cent. X. f. 1322. Mill. icon. pl. tab. 130. Barrel. icon. pl. 411. 413. 414. —

Var. β elegans Bertol. in Vis. stirp. dalm. spec. p. 34. foliis tripinnatifidis, laciniis linearibus. — Syn. E. Ritro β tenuifolius DC. prodr. syst. nat. b. p. 524. — Icon. Gmel. fl. sibir. II. tab. 26. mediocr. — Illyr. Sikavicza bila.

Hab. in agris sterilibus, locisque saxosis circa Zara, Dernis, Almissa, Macarsca, in montibus Biokovo et Sniesniza, et in insula Lesina: varietas praecipue in montibus. Flores cyanei. Floret aestate. ♃.

Obs. Variat caule simplici aut superne ramoso, foliis latius tenuiusve dissectis, supra glabris vel arachnoideo-lanuginosis, subtus albis vel raro canescentibus. Icon Gmelini haud bene refert tenuitatem, et longitudinem laciniarum in foliis varietatis β.

Trib. II. Calendulaceae. *DC.*

in Lindl. nat. syst. ed. II. p. 261.

Capitula multiflora solitaria, involucro subbiseriali herbaceo, receptaculo nudo, floribus radii ligulatis foemineis fertilibus, disci tubulosis quinquedentatis sterilibus, acheniis difformibus calvis.

CXCII. Calendula L.

Gen. pl. ed. II. p. 320. (excl. Dimorphoth.)

Char. Flores radii stigmatibus binis gracilibus, disci hermaphroditis sterilibus stigmate capitato. Achenia omnia marginalia incurva, dorso echinata, exterioribus rostratis. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia necessaria Syst. sex. —

558. Calendula arvensis L. sp. pl. ed. II. p. 1303. Vis. stirp. dalm. p. 29. Host. fl. austr. 2. p. 522. Rchb. fl. exc. p. 211. Alsch. fl. jadr. p. 201. Pett. bot. Wegw. n. 172.

C. foliis pubescentibus margine subincanis remote denticulatis, inferioribus subspathulatis, superioribus cordato-oblongis amplexicaulibus, acheniis muricatis.

Icon. Bull. herb. de la Fr. tab. 279. Gaertn. de fr. II. tab. 168. Moris. hist. pl. sect. VI. tab. 4. f. 6.

Var. β rugosa: acheniis fere omnibus dorso transverse rugosis plicatisve, plicis muricatis granulatisve. — Syn. C. sublanata Rchb. in herb. Noe! — Illyr. Bileck. Neren. Zimirod.

Hab. in arvis locisque herbidis, cultis totius Dalmatiae vulgaris: var. in insula Lesina, et circa Ragusa. Flores lutei. Floret toto anno. ⊙. —

Obs. Achenia admodum variant in hac specie, ne dicam in omnibus hujusce generis. Nunc enim exteriora omnia angusta sunt, sublinearia, dorso longe echinata, rostro elongato retuso, emarginato aut bifido terminata, ut in icone citata Gaertneri f. e. E. Quandoque cum istis commixta sunt achenia ovata cymbaeformia secus dorsi medium vix muricata, erostrata, membrana inflexa utrinque marginata, ut in icone Bulliardi litt. H. I. K. Saepius achenia intima sunt fere annularia angusta, dorso muricata, erostrata,

ut in icone Gaertneri litt. d. D. Interdum etiam achenia omnia tum exteriora tum intima plus minus cymbaeformia et incurva dorso rugis transversis plicantur, quae rugae papillis inermibus brevissimis exasperantur, ut in var. β, cui forsitan referri debent species aliquot sola acheniorum forma distinctae, et C. arvensi proximae, ut C. parviflora, et C. sicula. — Habeo stirpis hujus abnormitatem proliferam in ditione Ragusina collectam, ubi non ex axillis bractearum involucri, quemadmodum in C. officinali observavit cl. DC. in prodr. syst. nat. b. p. 451, sed ex toto receptaculo oriuntur pedicelli capitulo instructi, et bracteis linearibus basi stipati.

Trib. III. Xeranthemeae. *Less.*

Syn. gen. compos. p. 14.

Capitula multiflora involucro multiseriali scarioso inermi, squamis intimis longioribus, receptaculo paleaceo, floribus radii foemineis, disci hermaphroditis tubulosis, aequaliter quinque-dentatis, achenii pappo paleaceo.

CXCIII. Xeranthemum Tourn.

Inst. rei herb. p. 499. tab. 284.

Char. Receptaculum paleis tripartitis scariosis. Achenia disci pappo paleaceo, radii obsoleto. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

559. Xeranthemum inapertum W. sp. pl. 3. p. 1902. Host fl. austr. 2. p. 462. Rchb. fl. exc. p. 291.

X. involucri ovoideo-subcylindrici squamis glaberrimis mucronatis, exterioribus obovatis, interioribus lanceolatis erectis, pappi paleis basi ovatis sensim caudato-acuminatis paleas receptaculi subaequantibus, foliis lineari-lanceolatis.

Syn. X. erectum Presl. del. prag. p. 106. Fisch. et Mey. in nouv. mém. Soc. mosq. 4. p. 333. X. annuum β inapertum L. sp. pl. ed. II. p. 1201. — Icon. Fisch. et Mey. l. c. ic. Rchb. icon. bot. 7. tab. 863. Hall. hist. pl. helv. tab. 23. Moris. hist. pl. sect. 6. tab. 12. f. 1. —

Var. β oleaefolia: foliis obovato-lanceolatis triplo latioribus.

Hab. locis sterilibus siccis circa Ragusa: varietas iisdem locis circa Sebenico. Floret Majo, Junio. Flores violacei. ⊙.

CXCIV. Amphoricarpos Vis.

Char. Capitulum heterogamum. Involucrum imbricatum squamis membranaceis virescentibus margine scariosis, intimis angustioribus, longioribusque. Receptaculum paleis scariosis integris fissisque, saepissime trifidis. *Flores tubulosi obtuse quinquefidi*: disci hermaphroditi 16—24, staminum filamentis liberis, antheris basi caudato-laceris, stylo subcylindrico, stigmatibus recurvo-patentibus papilloso-puberulis: radii foeminei uniseriales, stylo vagina bulbiformi basi cincto, stigmatibus vel in clavam coalitis vel solo apice discretis erectis. Achenia omnia papposa fertilia, disci conico-turbinata nervosa villo scabra, radii complanata elliptica pilosa, facie interna convexo-carinata, carina intra pappum, et ultra thorum desinente, marginibus alatis, alis superne in cornua introflexa obtusa productis. Pappus e paleis lineari-lanceolatis parallelis uniserialibus rigidis ima basi connatis, in radio brevioribus validioribus, ibique in facie interna achenii e thori margine crenato-gibboso, in externa ex ipsius margine integro plano exorientibus. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. — Nomen ex ἀμφορεύς, amphora, et καρπός, fructus, ob acheniorum radialium formam amphoram referentem. —

560. Amphoricarpos Neumayeri Vis.

Syn. Iurinea Neumayeriana Vis. Icon. fl. dalm. — Icon. Fl. dalm. tab. X. f. 2. (excl. a. b.) et tab. X. bis.

Hab. in rupestribus sylvaticis elatioribus montis Orien (in Krivoscie supra Risano) ubi rarissimam plantam detexit Fr. Neumayer. Flores purpurei. Floret Augusto. ♃.

Descr. Rhizoma sublignosum repens fibris validis capillatum. Folia lineari-lanceolata, utrinque longe attenuata, supra glabriuscula aut arachnoidea, subtus albo-tomentosa costata, margine revoluta integra: radicalia plurima longe petiolata, caulina 1—3 in infima caulis parte. Caulis floccoso-lanatus albicans sulcato-angulatus adscendens, superne nudus aut bracteola lanceolata praeditus, elongatus monocephalus vel raro dicephalus, sub capitulo incrassatus ibique albo-tomentosus. Capitulum ovatum glabrum squamis subcoriaceis, intimis ovato-subrotundis (tab. X. bis. f. 1.) mediis oblongis (f. 2.) intimis oblongo-linearibus. (f. 3.) Paleae receptaculi plani inaequales varie fissae, (f. 4. 5. 6. 7.) exterioribus lanceolato-cuspidatis integris. (f. 8.) Flores disci hermaphroditi (f. 9. 10.) corollis obconico-tubulosis (f. 24 magnit. aucta), antheris basi caudis binis in tubulos solutis, (f. 15. m. a.) polline globoso echinulato, (f. 16. m. a.) stylo tereti vix basi incrassato et stigmatibus recurvis. (f. 17—18. m. a.): radii foeminei (f. 12.) corollis basi subgloboso-ampliatis, tubo filiformi, limbo campanulato, (f. 26. m. a.) styli basi vagina bulbiformi circumdata (f. 19—20.), stigmatibus vel clavatis apice discretis (f. 19—20.), vel in clavam vix divisam (f. 21.), vel indivisam (f. 22.) coalitis. Achenia disci villosissima recta, vel leviter incurva (f. 9. 10. magn. natur. et f. 23. m. a.): intermedia quandoque ala unica, et corniculo aucta (f. 11.): achenia radii utrinque marginata, et corniculata (f. 12.), facie interna carinata et villosa (f. 25. m. a.), externa plana et parce villosa (f. 27. m. a.), pilis acheniorum omnium apice bifidis (f. 14. m. a.). Pappus paleis scabris (f. 13. magn. auct.).

Obs. Genus a Xeranthemeis quidquam recedens involucro nec omnino scarioso nec radiante, et corollis omnibus quinquedentatis nec radii tridentatis aut bilabiatis: tamen tanta est inter hoc, et Chardiniae genus affinitas, ut malim characteres tribus hujus leviter mutare, quam genera partibus fructificationis simillima dissociare. Chardinia differt filamentis staminum monadelphis, stylo floris foeminei basi aequali, nec bulboso, cornubus achenii rectis acutis, et praecipue pappo non thoro, sed calyci innato, et cum hujus membrana exquisite nervosa continuo, quod fructus externam fabricam prorsus mutat. Xeranthemum differt multo magis, acheniis radii rudimentariis, alis et cornubus destitutis, pappi paleis basi dilatatis et invicem imbricatis, nec simpliciter et parallele contiguis angustis, praeter corollas radii bilabiatas, et involucrum scariosum. Inter Xeranthemeas, quae omnes annuae sunt, distinguitur etiam hoc genus perennitate, et habitu, quo praesertim deceptus, et acheniis radii maturis adhuc ignotis, plantam hanc olim pro Iurinea habui.

Trib. IV. Carlineae *DC.*

Prodr. syst. nat. 6. p. 531.

Capitula multiflora, involucri multiserialis squamis saepissime spinosis, intimis interdum scariosis coloratis radiantibus, floribus omnibus hermaphroditis quinquefidis conformibus, achenii pappo setaceo ramoso.

CXCV. Staehelina L.

Gen. pl. ed. II. p. 298. (excl. spec.)

Char. Capitulum cylindraceum squamis integris imbricatis adpressis conformibus. Receptaculum paleaceum, paleis angustis liberis vel ima basi connexis. Pappus ramis simplicibus. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

561. Staehelina dubia L. sp. pl. ed. II. p. 1176. Host fl. austr. 2. p. 450. Koch fl. germ. et helv. ed. I. p. 406.

S. foliis linearibus remote denticulatis, supra canescentibus, subtus albo-tomentosis, squamis involucri lanceolatis, ovario glabro, pappi setis laevibus involucrum longe excedentibus.

Syn. S. rosmarinifolia Cassin. dict. des. sc. nat. 50. p. 439. Rchb. fl. exc. p. 290. — Icon. Gerard. fl. galloprov. p. 190. tab. 6.

Hab. in siccis sterilibus insularum Cherso, et Ossero juxta Wulf. et I. Host (v. in herb. Host! absque loci indicatione). Floret Junio. Flores purpurei. ♄. —

Obs. Variat foliis integris qualia pinguntur in Lam. illustr. des genr. pl. 666. f. 4, et Lobel. ic. stirp. 482. f. 1—2, quae forma in Dalmatia deest. Capitula etiam in hac specie saepius bracteis involucrata, nec nuda ut habet cl. DC. prodr. syst. nat. VI. p. 544.

CXCVI. Carlina. Tourn.

Inst. rei herb. p. 500. tab. 285.

Char. Capitulum hemisphaericum, squamis exterioribus foliaceis dentato-spinosis patentibus, intimis scariosis coloratis radiantibus. Receptaculum alveolatum, foveolis fimbrillis basi concretis circumdatis. Pappus ramis plumosis. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

562. Carlina vulgaris L. sp. pl. ed. II. p. 1161. Host fl. austr. 2. p. 434. Rchb. fl. exc. p. 291.

C. caule subcorymboso floccoso-arachnoideo, foliis amplexicaulibus lanceolatis sinuato-dentatis, dentibus abbreviatis tenuiter spinosis, bracteisque subtus arachnoideo-canescentibus, involucri squamis radiantibus lineari-lanceolatis, medio adpresse setoso-ciliatis.

Icon. Sow. engl. bot. tab. 1144. Flor. dan. tab. 1174 opt.! Camer. epit. pl. p. 439. Clus. hist. pl. 5. p. 156. f. 2. Fuchs. hist. stirp. p. 121.

Hab. locis sterilibus apricis ad Pakleniza ad pedem montis Vellebith, et in agris circa Gelsa in insula Lesina. Flores pallidi. Floret Augusto. ⊙.

Obs. Tum in hac, tum in sequente bracteae triplicis formae involucrum constituunt, quarum exteriores foliaceae dentato-spinosae, mediae squamosae, apice mucronatae aut spinosae, breviores, intimae scariosae ligulatae elongatae, pallide flavae.

563. Carlina corymbosa L. sp. pl. ed. II. p. 1160. Host fl. austr. 2. p. 434. Rchb. fl. exc. p. 292.

C. caule corymboso glabriusculo, foliis amplexicaulibus lanceolatis pinnatifido-dentatis, dentibus lanceolatis valide spinosis bracteisque glabris at sparsim floccosis, involucri squamis radiantibus lanceolatis, medio glabriusculis aut laxe ciliatis.

Syn. C. vulgaris Vis. stirp. dalm. p. 29. Alsch. fl. jadr. p. 187. nec L. — Icon. ColumN. ecphr. 1. tab. 27. f. 1. Barrel. icon. stirp. tab. 594.

Hab. in saxosis apricis totius Dalmatiae frequens. Floret Julio, Augusto. Flores flavi. ⊙.

Obs. Squamae interiores coloratae nec in hac specie omnino glabrae sunt, sed pili in iisdem rariores, distantes, et patuli.

564. Carlina lanata L. sp. pl. ed. II. p. 1161. Host fl. austr. 2. p. 187. Rchb. fl. exc. p. 292. Alsch. fl. jadr. p. 187.

C. caule mono-tricephalo floccoso-arachnoideo, foliis amplexicaulibus lanceolatis sinuato-dentatis, dentibus abbreviatis spinosis utrinque arachnoideis, et subtus floccosis, involucri squamis radiantibus lanceolatis glabris.

Syn. C. Pola HACQ. pl. carn. p. 16. — Icon. HACQ. loc. cit. tab. 4. f. 3. GARID. pl. d'Aix p. 86. t. 21. COLUMN. ecphr. 1. tab. 27. f. 2.

Hab. in apricis saxosis circa Lossin piccolo in insula Ossero, circa Zara, et Budua, et in insula Lesina. Floret Julio. Flores purpurei. ⊙.

565. Carlina acanthifolia ALLION. fl. pedem. 1. p. 156. HOST fl. austr. 2. p. 433. RCHB. fl. exc. p. 291.

C. acaulis, foliis supra sparsim subtus dense floccoso-arachnoideis, petiolatis, pinnatifidis, lobis angulato-dentatis spinulosis, capitulo unico sessili, involucri squamis exterioribus foliaceis sinuato-dentatis, mediis pectinato-spinosis, intimis scariosis lineari-lanceolatis medio ciliatis.

Syn. C. Utzka HACQ. pl. carn. p. 9. — Icon. ALLION. fl. ped. tab. 51. HACQ. pl. carn. tab. 1. DALECH. hist. pl. lugd. p. 1453. CLUS. hist. pl. V. p. 155. f. 2.

Hab. in collibus sterilibus circa Mioçich supra Dernis, ubi legi mense Julio. Flores albi maximi. ♃.

566. Carlina acaulis *L. sp.* pl. ed. II. p. 1160. HOST fl. austr. 2. p. 434. RCHB. fl. exc. p. 291. ALSCH. fl. jadr. p. 187.

C. caule subnullo, aut monocephalo, foliis glabris, vel subtus sparsim floccosis, petiolatis pinnatipartitis, laciniis dentatis spinosis, involucri squamis exterioribus foliaceis pinnatifidis, mediis bipinnatifido-spinosis, intimis scariosis lanceolatis infra medium ciliatis basi latioribus.

Syn. C. caulescens LAM. enc. bot. ed. PAT. 1. p. 616. C. subacaulis DC. fl. fr. 4. p. 122. — Icon. CAMER. epit. pl. p. 430. CLUS. hist. pl. V. p. 155. f. 3. —

var. *β.* simplex: squamis intimis scariosis a medio ad basim angustatis. — Syn. C. simplex WALDST. et KIT. pl. hung. 1. p. 164. C. aggregata W. sp. pl. 3. p. 1694. — Icon. WALDST. et KIT. l. c. 2. tab. 152. — Illyr. Sikavacz. Oslobad. Kravjak. Postriljenicza.

Hab. in devexitatibus montium Vellebith, Dinara, Biokovo: var. in Biokovo. Flores albi. Floret Julio, Augusto. ♂.

Obs. Carlina simplex KIT. non differt a specie nisi squamis intimis a basi ad medium exacte linearibus, dum in C. acauli sunt basi quidquam latiores. Folia variant in utraque latius, tenuiusve dissecta.

Trib. V. Centaureaceae. *

DC. dissert. compos. 1. p. 23. (nom. emend.)

Capitula multiflora, involucri imbricati squamis saepe apice appendiculatis, floribus quinquefidis, disci hermaphroditis, radii saepe majoribus neutris, achenii pappo paleaceo, aut setaceo, areola laterali.

Obs. Nomen Tribus nec Centaurieae ut cl. DC., nec Centaureae ut egr. WALPERS, sed Centaureaceae exactius vocandum.

CXCVII. Cnicus Vaill.

in Hist. de l'Acad. roy. des Sc. 1718. p. 163. non L.

Char. Squamae involucri apice appendiculatae. Flores omnes subaequales. Achenia longitudinaliter sulcata, pappo triplici, exteriore corneo coroniformi dentato, reliquis setaceis, setis medii longissimis, cum intimis alternantibus. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia frustranea Syst. sex. —

567. Cnicus benedictus L. sp. pl. ed. I. p. 826. Rchb. fl. exc. p. 218.

Syn. Centaurea benedicta L. sp. pl. ed. II. p. 1296. Vis. stirp. dalm. p. 30. — Icon. Blackw. herb. t. 476. Gaertn. de fr. et sem. 2. tab. 162. f. 2. Camer. epit. pl. p. 562. — Illyr. Udsveti. Biskupovo zelje. Çkal blaxeni. Bābbino zelje. Scikalina.

Herba annua ramosa villosa, foliis oblongis sinuato-dentatis pinnatifidisve spinulosis subdecurrentibus, capitulis foliaceo-bracteatis, inter bracteas, et squamas arachnoideo-lanatis, squamis extimis inerme cuspidatis, reliquis appendice lanceolato-subulata dura spinoso-pinnata terminatis: flosculis flavis: achenio magno tereti profunde snlcato nitido, areola laterali dimidium fructum aequante, pappo exteriore corneo nitido acute dentato, intermedii setis sparse setulosis fructu duplo longioribus, intimi triplo brevioribus fibrilloso-glandulosis. Hab. in arvis argillosis circa Sebenico. Flores citrini. Floret aestate. ⨀.

Usus. Folia, et summitates hujusce plantae, quae Carduus benedictus, vel C. sanctus officinarum, amara sunt, et laudantur in febribus, arthritide, dyspepsia, et morbis chronicis pectoris, sub forma pulveris, aquae destillatae, et extracti.

CXCVIII. Centaurea L.

Gen. pl. ed. VI. p. 442. (excl. specieb.)

Char. Squamae involucri apice appendiculatae. Flores radii saepius caeteris ampliores. Achenia laevia, pappo pluriseriali setaceo, serie intima breviore, interdum paleacea. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia frustranea Syst. sex. —

*Jacea Pers. syn. pl. 2. p. 484.

Involucri squamae appendice scariosa subrotunda non decurrente terminatae.

568. Centaurea alba L. sp. pl. ed. II. p. 1293. Rchb. fl. exc. p. 212.

C. foliis pinnatisectis lobis lanceolatis linearibusve mucronatis, supremis bracteantibus lanceolatis subintegris, involucri ovati squamis appendice elliptico-subrotunda cuspidato-aristata integra pellucida inflato-convexa, achenii pappo setis intimis brevissimis.

var. *α.* genuina: foliis simpliciter pinnatifidis, superioribus lanceolato-linearibus dentatis integerrimisque. — Icon. Tabern. icon. stirp. p. 153. f. 1.

var. *β.* splendens: foliis inferioribus bipinnatifidis, canlinis omnibus pinnatifidis. — Syn. C. splendens Host fl. austr. 2. p. 515. Rchb. fl. exc. p. 212. Alsch. fl. jadr. p. 190. Pett. bot. Wegw. n. 232. an L.? C. deusta *β.* Vis. stirp. dalm. p. 30, et 54. — Icon. Clus. hist. pl. 2. p. 10. f. 1. Dodon pempt. p. 125. f. 2. Lobel. icon. stirp. p. 544. 1/IV/

Hab. in apricis insularum Ossero, et Pago nec non agrorum Dernis, Knin, Clissa, Ragusa, et in monte Biokovo. Involucri squamae nitidae argenteae unicolores, vel medio fusco-maculatae. Flores purpurei, vel albi. Floret aestate. ⨀.

Obs. Folia variant dentata, pinnatifida, et bipinnatifida, lobis linearibus, vel lineari-lanceolatis, vel oblongis; capitula majora, aut minora; involucri squamae longius, vel brevius aristatae, seta ex apice squamae acuminato, vel saepius obtuso exoriente; omnino albae, et tunc oritur C. alba *α* concolor DC. prod. syst. nat. 6. p. 569; vel in medio appendicis fusco maculatae, qui levis lusus sistit C. deustam Tenor. fl. neapol. prod. p. 57., quae iterum variat foliis pinnatifidis, ut in specimine ab ipso auctore cl. communicato e Castellamare, vel bipinnatifidis, ut in icone Florae neapolitanae tab. 84. Cl. Gussone in Fl. sic. syn. 2. p. 513 distinguit C. deustam a C. splendente defectu pappi, sed pappus omnino non deest nec in illa, sed brevissimus est et fere sola setarum interiorum serie conflatus: interdum tamen adsunt setae quaedam etiam seriei exterioris, et achenia utriusque plantae prorsus aequalia. Capitula maculata occurrunt quandoque inter immaculata, et vice versa,

immo in eodem capitulo adsunt squamae maculatae et unicolores. Quarum notarum omnium mutabilitate perpensa in suspicionem adducor ipsam C. splendentem L. sp. pl. ed. II. p. 1293. a C. alba minime diversam esse, et icon Clusii a Linnaeo citata pro sua C. splendente, quae nostram varietatem β bene exhibet, et squamas acutas pingit, suspicionem confirmat.

569. Centaurea Jacea L. sp. pl. ed. II. p. 1293. Host fl. austr. 2. p. 515. Rchb. fl. exc. p. 213.

C. foliis inferioribus petiolatis integris lobatisve, caulinis sessilibus lanceolatis linearibusve, supremis bracteantibus integris, involucri ovati squamis mediis et intimis appendice subovata scariosa mutica terminatis, acheniis calvis.

var. β. amara: squamarum omnium appendicibus subrotundis integris dentatis, aut fissis squamam subaequantibus. — Syn. C. amara L. sp. pl. ed. II. p. 1292. Vis. stirp. dalm. p. 30. Reichb. fl. exc. p. 213. Alsch. fl. jadr. p. 190. (excl. syn.) Pett. bot. Wegw. n. 220. C. bracteata Scop. del. fl. insubr. 2. p. 17. C. Weldeniana Rchb.! fl. exc. p. 213. — Icon. Scopol. loc. cit. tab. 9. — Illyr. Nosan cārljen poljski.

var. γ. pratensis: *squamarum inferiorum* appendicibus lanceolatis pectinato-fimbriatis, *caeteris scariosis* lacero-dentatis. — Syn. C. pratensis Thuill. fl. paris. ed. II. p. 444. Rchb. fl. exc. p. 213. et icon. bot. 10. p. 23. — Icon. Rchb. icon. bot. 10. f. 1294.

var. δ. nigrescens: squamarum appendicibus ovatis acutis longe ciliatis, intimis appendice subrotunda scariosa lacera. — Syn. C. nigrescens W. sp. pl. 3. p. 2288. Vis. stirp. dalm. p. 30. Host fl. austr. 2. p. 516. Rchb. fl. exc. p. 213. — Icon. Zannich. piant. lid. vent. tab. 206. f. 2.

Hab. in agris siccis, locisque incultis totius Dalmatiae vulgatissima. Flores dilute violacei. Floret aestate. ♃.

Obs. Stirps admodum polymorpha ludit glabra, scabra, canescens, floccosa, decumbens, aut erectà: foliis lobatis, dentatis, basi incisis aut integris, lanceolatis linearibusve: capitulis bracteatis, vel raro nudis: squamis vel omnibus appendice subrotunda scariosa concava magna integra, aut dentata, aut demum fissa terminatis, et haec est C. amara L. quae nil nisi varietas australis C. Jaceae, cui quoque referri debet abnormitas illa appendicibus cucullatis exsertis a cl. Reichb. appellata C. Jacea var. cuculligera fl. exc. p. 213. et. icon bot. 10. p. 22. f. 1293, quae sola parvitate appendicum a C. amara diversa: vel squamis fere omnibus appendice lacero-dentata, aut ciliata terminatis: vel exterioribus appendice lanceolata ciliato-dentata acuta apice reflexa, reliquis appendice subrotunda dentato-lacera, quae C. pratensis Thuill.; vel denique squamis fere omnibus appendice ovata acuta longe ciliata, intimis appendice subrotunda scariosa lacera terminatis, quae C. nigrescens W. In hac postrema èquidem squamarum appendices acutiores, et cilia multo longiora, ita ut si abrupte compares cum C. amara certe diversam putes, sed appendicum forma ita variat in hac specie, et C. pratensis, quae squamas superiores gerit C. amarae, reliquas C. nigrescentis tam evidentem transitionem statuit ab una ad alteram, ut qui hosce lusus accurate observet, et conferat, necessario sibi persuadeat oportet, plantas has ob characterum specificorum defectum semper male distinctas, et saepius invicem commutatas nil nisi varietates esse unius speciei, silicet C. Jaceae. Appendices semper exacte terminales sunt, nec decurrunt secus squamarum margines nec in C. amara, nec in C. Jacea.

**Cyanus L. sp. pl. ed. II. p. 1287.

Involucri squamae secus marginem membranaceae ciliato-serratae.

570. Centaurea Cyanus L. sp. pl. ed. II. p. 1289. Vis. stirp. dalm. p. 30. Host fl. austr. 2. p. 518. Rchb. fl. exc. p. 215. Alsch. fl. jadr. p. 190. Pett. bot. Wegw. n. 224.

C. annua floccoso-tomentosa, foliis linearibus trinerviis integerrimis, superioribus sessilibus, squamis involucri lanceolatis, extimis argenteo, interioribus fusco fimbriato-ciliatis, pappi fructu minoris serie intima connivente duplo breviore.

Icon. Engl. bot. p. 277. Bull. herb. de la Fr. t. 221. Blackw. herb. t. 270. Lobel. icon. stirp. p. 546. — Illyr. Razliçak. Sogafilje. Mētlina.

Hab. inter segetes totius Dalmatiae vulgaris. Flores radii violacei, disci cyanei. Floret aestate. ⊙.

571. Centaurea tuberosa Vis.

C. floccoso-tomentosa, radice tuberoso-fasciculata, caule simplicissimo monocephalo, foliis linearibus uninerviis, inferioribus remote pinnatifidis runcinatisve, vel omnibus integerrimis, superioribus semi-decurrentibus, involucri squamis lanceolatis nigro-marginatis serrato-ciliatis, pappi fructum dimidium aequantis setis exterioribus inaequalibus, serie intima connivente breviore.

Icon. Flor. dalm. tab. XII. f. 2.

Hab. in montosis sylvaticis Mioçich, et Mavize inter Dernis, et Verlika, nec non circa Pavkovosello, Balke, et Umljanovich prope Dernis. Flores marginales coerulei, disci violacei. Floret aestate. ♃.

Descript. Radix fasciculata tuberibus 2—5 fusiformibus apice filo simplici aut fibrilloso terminatis, mucilagine glutinosa refertis. Caulis ex radice unicus, raro duo, simplicissimus uniflorus strictus angulosus subsericeus. Folia primordialia oblongo-lanceolata, basi longe attenuata, subtus canescentia, apice obtuso, integerrima; successive runcinata laciniis parvis lanceolatis integris, supra viridia, vel utrinque canescentia, subtus flocculosa; caulina linearia runcinata, aut denticulata margine subrevoluta acuta; suprema linearia integerrima revoluta mucronata; omnia alterna semidecurrentia, vel subalata, costa subtus prominula, enervia. Caulis sub flore incrassatus angulosus. Capitulum ovatum glabrum squamis imbricatum lanceolatis viridibus nigro-marginatis, albo vel raro fusco fimbriatis, fimbriis pectinatis angustis marginis latitudinem superantibus extrorsum flexis squarrosis, exterioribus lanceolatis (fig. d.) interioribus ovatis oblongisve (fig. e.). Corollae radii ampliatae 6—8 caeruleae, aut violaceae longe tubulatae inaequaliter quinquefidae, laciniis lineari-lanceolatis acutis longitudinaliter complicatis, infima profundius secta (fig. a.); disci 18—20 tubo radialium paullo brevioribus, tubo proprio brevi conico, limbi laciniis quinis conniventi-erectis triplo longioribus violaceis (fig. b.), antherarum tubo fusco-caeruleo limbum corollae superante, stigmatibus breviore. Receptaculum planum setosum, setis confertissimis albidis nitidis. Achenium oblongum nitidum cinereum compressum, basi oblique areolatum, ibique villis aliquot praeditum, apice horizontaliter truncatum, setis setulosis, extimis brevioribus, mediis longioribus, intimis conniventibus, omnibus fuscis rigidis coronatum (fig. c.). —

Obs. Affinis C. montanae L. et praecipue illius formae, quae C. variegata Lam.: differt radicibus fasciculato-tuberosis, quae in C. montanae varietatibus ramosae, et fibrosae sunt, et squamis involucri non late ovatis, sed lanceolatis, vel extimis tantum ovato-lanceolatis; pappi insuper longitudine, quae fructum dimidium aequat, dum in sequente est a triplo ad sextuplum brevior; serie intima distincta et connivente, dum in altera series confusae sunt; setis denique copiosioribus, et hilo brevius villoso nec lanugine longa barbato.

572. Centaurea montana L. sp. pl. ed. II. p. 1289. Vis. stirp. dalm. spec. p. 30. Host fl. austr. 2. p. 518. Rchb. fl. germ. exc. p. 215. Alsch. fl. jadr. p. 190. Pett. bot. Wegw. n. 225.

C. lanuginosa, radice fibrosa, foliis oblongo-lanceolatis lanceolatisve integris, vel inferioribus sinuatis, superioribus decurrentibus, involucri squamis ovatis marginatis serrato-ciliatis, pappi fructu triplo brevioris setis inordinatis aequalibus.

var. α. integrifolia: foliis omnibus indivisis. — Syn. C. mollis W. et Kit. pl. hung. 3. p. 343. C. stricta W. et Kit. pl. hung. 2. p. 194. Rchb. fl. germ. exc. p. 215. — Icon. W. et K. l. c. 2. tab. 178, et 3. tab. 219. Curt. bot. mag. tab. 77. Blackw. herb. t. 66. Lobel. icon. stirp. p. 548. f. 1.

var. β. sinuata: foliis caulinis inferioribus sinuato-lobatis. — Syn. C. axillaris W. sp. pl. 3. p. 2290. C. variegata Lam. enc. bot. 1. p. 661. Rchb. fl. germ. exc. p. 215. C. seusana Vill. hist. des pl. du Dauph. 3. p. 52. C. Triumfetti Allion. fl. ped. 1. p. 161. C. carniolica Host fl. austr. 2. p. 517. — Icon. Triumfetti. obs. pl. p. 26. Boccon. mus. piant. rare. p. 20. t. 2. Barrel. ic. 389. (fig. ead.).

Hab. in pascuis montanis totius Dalmatiae. Flores radii cyanei, disci rubro-violacei. Floret aestate. ♃. —

Obs. Variat glabriuscula viridis, vel lanuginosa candicans, caule unifloro, aut paucifloro, foliis latioribus, vel angustis, integris, denticulatis, vel sinuatis, squamis margine nigris, vel dilute fuscis ciliis argenteis, vel sordide albidis, his margini aequilongis, longioribusque. Hinc species supradictae hisce lusibus superstructae. In icone Triumfetti folia infima integra, quod nunquam vidi in varietate sinuata.

573. Centaurea cuspidata Vis. in Ergänz. zur Flora 1829. 1. B. p. 22. Rchb. fl. germ. exc. p. 215.

C. glabriuscula, foliis coriaceis lanceolatis basi longe attenuatis apice cuspidatis utrinque glanduloso-punctatis, integris vel subdentatis, viscidulis, supremis sessilibus bracteantibus, capitulo hemisphaerico squamis ovatis late membranaceo-marginatis fimbriatis fissis inermi-aristatis, pappi setis exterioribus patulis fructum subaequantibus, intimis conniventibus triplo brevioribus.

Icon. Flor. dalm. tab. XII. f. 1.

Hab. in rupium rimis montis Biokovo, ubi legi mense Junio. Flores dilute violacei. ♃.

Descript. Planta palmaris in rupestribus radices agens, glabriuscula, vel floccosa praesertim in caule, qui acute angulatus adscendens simplex, vel apice bifidus, mono-dicephalus. Folia inferiora lanceolata in petiolum angustum longum ima basi dilatatum attenuata, superiora brevius attenuata, suprema sessilia, omnia glabra glanduloso-punctata, subtus glutine exsiccato albescentia et nervosa, margine integra, vel paucis et raris dentibus argute serrata, apice cuspidata. Capitula sessilia, seu foliis supremis 1—3 bracteata, hemisphaerica, squamis inferioribus ovatis (f. a.), superioribus sensim angustioribus longioribusque (f. b.), omnibus medio fuscis, margine lato membranaceo albo fimbriato fisso a medio ad apicem cinctis, inermibus, sed apice arista seu mucrone longo flexili gracili terminatis. Flores marginales radiantes neutri (f. d.), centrales regulares infundibuliformes, hermaphroditi (d. c.). Receptaculum dense setosum setis pallidis. Achenia oblonga, nitidissima, subangulata, vix lineam longa, setis coronata glabris, exterioribus patulis fructus longitudini aequalibus, interioribus triplo brevioribus (f. e.).

Obs. Planta ejusdem nominis in Pett. bot. Wegw. n. 223, ob minus veram loci natalis indicationem dubia. Nostra pertinet ad Sect. XV. DC. prod. syst. nat. VI. p. 578., et inter species ibidem enumeratas uni C. atratae W. videtur affinis. At ex inspectione originalis plantae in herbario Willdenowiano eam tum habitu tum characteribus distinctam novi, foliis angustioribus, remote denticulatis, margine cano-lanuginosis, squamis omnino nigris argenteo ciliatis ut in C. montana.

574. Centaurea Scabiosa L. sp. pl. ed. II. 1291. Vis. stirp. dalm. p. 30. Host. fl. austr. p. 516. Rchb. fl. germ. exc. p. 216. Pett. bot. Wegw. n. 250.

C. scabra aut floccosa, foliis coriaceis lyratis pinnatifidisve, laciniis lanceolatis mucronulatis integris dentatisve, capituli ebracteati ovati squamis adpressis lanceolatis nigro marginatis ciliatisque, pappi setis exterioribus fructu paullo brevioribus, intimis erectis triplo brevioribus.

Syn. C. coriacea Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 2. p. 214. Rchb. fl. germ. exc. p. 216. C badensis Tratt. arch. 50. Rchb. l. c. — Icon. Engl. bot. t. 56. Flor. dan. t. 1231. W. et K. l. c. tab. 195. Moris. hist. oxon. sect. 7. t. 28. f. 10.

Hab. in agris, vineis, ad agrorum margines Dalmatiae montanae circa Verlika, Dizmo, Koinsko, in collibus circa Ragusa, et Cattaro, in insulis Lesina, et Brazza. Flores violacei. Floret aestate. ♃.

Obs. Variat caule subsimplici, et ramoso: foliis inferioribus ovali-lanceolatis indivisis dentatis, vel lyrato-pinnatifidis, vel pinnatifidis, aut etiam bipinnatifidis: laciniis linearibus, vel lanceolatis, integris, vel praecipue basi dentatis, acutis, obtusisve, sed semper mucronulo obtuso crassiusculo apiculatis, undique, vel tantum margine scabris: squamis involucri lanuginosis, vel glabris: appendice latiuscula nigra, vel anguste marginata brevissima fusca. Huic lusui forsan innititur ipsa C. stereophylla Bess. en. pl. podol. p. 35. Rchb. pl. crit. id. 635! et cujus appendices a cl. Koch in syn. fl. germ. p. 412. dicuntur minutissimae ex autopsia speciminis e manu auctoris.

575. Centaurea ragusina L. sp. pl. ed. II. p. 1290. Host fl. austr. 2. p. 519. Rchb. fl. germ. exc. p. 216. Alsch. fl. jadr. p. 190. Pett bot. Wegw. n. 227.

C. albo-tomentosa, caule subramoso, foliis radicalibus petiolatis pinnatipartitis, laciniis oblongis obtusis integris lobatisque, caulinis paucis sessilibus pinnatilobis integrisque, capituli ebracteati subrotundi squamis adpressis rotundatis, infimis late ovatis, caeteris oblongis fusco ciliatis, hyalino marginatis, inermi-aristatis, pappi fructum subaequantis setis exterioribus inaequalibus patulis, interioribus erectis triplo brevioribus.

Icon. Curt. bot. mag. t. 494. Mill. fig. gard. dict. 2. t. 152. f. 1.

Hab. ad rupes mare spectantes circa Spalato, et in insula Lesina, nec circa Ragusam. Floret Majo, Junio. Flores flavi. ♃.

Obs. Appendix scariosa squamarum apici insidet, et est fimbriato-ciliata fusca, cilia suprema impari crassiore, et longiore: decurrit autem secus squamae marginem membrana angusta hyalina integerrima. Receptaculum setis deciduis obsitum in ambitu profunde favosum, alveolis alte marginatis. Achenium pallidum vel cinereum nitidum oblongum puberulum, hilo pilosiusculo, radicula exserta conica: pappi setis extimis brevissimis imbricatis, dein sensim longioribus, et fructum aequantibus series externas efficientibus: intimis triplo brevioribus conniventibus, omnibus setulosis. Icon Zanon. hist bot. p. 107. t. 43. peccat caule nimis ramoso, et folioso, quod habitum plantae mutat, et capitulis basi fere calyculatis quod falsum: icon Barrel. t. 309. mala ob involucri squamas angustas acutas. Zanonius primus plantam hanc ragusinam dixit, unde ex falsa patria falsum nomen mutuatus est Linnaeus, et posteriores; haec tamen circa Ragusam non crescit. An Zanonius ob nominis antiqui similitudinem plantam ex alterutro Epidauro graeco missam Epidauro dalmatico (hodie Ragusa vecchia) adscripsit?

576. Centaurea Cineraria L. sp. pl. ed. II. p. 1290. (excl. var. β.). DC. prod. syst. nat. 6. p. 580.

C. cano-tomentosa, foliis bipinnato-partitis, inferioribus petiolatis, lobis oblongo-linearibus acutiusculis, capituli bracteati ovati squamis adpressis fusco-marginatis longe ciliatis, seta terminali indurata, pappi setis exterioribus inaequalibus patulis fructum subaequantibus, intimis conniventibus triplo brevioribus.

Syn. Centaurea candidissima Lam. enc. bot. 1. p. 662. — Icon. Moris. hist. oxon. sect. VII. t. 26. f. 20. super. Barrel. ic. pl. 348.

Hab. in Dalmatia, unde sine loci specialis indicatione communicavit cl. Welwitsch (v. s.). Flores purpurei. Floret aestate. ♃.

577. Centaurea salonitana Vis. in Ergänz. zur bot. Zeit. 1829. 1. p. 23. Pett. bot. Wegw. n. 229.

C. viridis, scabra aut floccosa, foliis coriaceis pinnato-partitis, lobis oblongis mucronatis indivisis lobatisve, inferioribus petiolatis, supremis indivisis, capituli ebracteati ovato-conici squamis inferioribus late ovatis rotundatis albido marginato-ciliatis, appendice lutea triangulari acuta aut spinosa terminatis, intimis oblongis appendice scariosa ciliata inermi, flosculis aequalibus, pappi fructum aequantis setis exterioribus inaequalibus patulis, intimis erecto-conniventibus paleaceis triplo brevioribus.

Syn. C. collina Rchb. fl. exc. p. 217. an L.?

var. *α.* obovata: foliorum lobis oblongo-obovatis, integris basi decurrentibus apice obtusis, pappo fusco, floribus citrinis. — Syn. C. latisquama *β.* salonitana DC. prodr. syst. nat. 6. p. 589. — Icon. Flor. dalm. tab. XIII. —

var. *β.* lanceolata: foliorum lobis lanceolatis petiolatis acutis subdentatis, pappo albo, floribus aurantiacis. — Syn. C. latisquama *α* taurica DC. l. c.?.

Hab. species in agris prope Salona ad Cappella di S. Cajo, nec non inter Salona et Spalato, et ad pedem montium Vellebith, et Dinara: var. *β.* in arvis sterilibus, et lapidosis circa Ragusa. Floret junio. ♃.

Descr. Radix perennis perpendicularis fibrillosa. Caulis angulatus erectus. Folia nunc omnia pinnatifida, nunc inferiora lobis parce lobatis bipinnatifida, interdum lobulis minoribus interpositis interrupte bipinnatifida, lobis oblongo-obovatis lanceolatisque, obtusis aut acutis semper mucronatis, basi longius vel brevius attenuatis, hinc petiolulatis, vel e basi angustata decurrentibus, margine integris aut denticulatis. *Capitula, uti et caeterae plantae partes, glabra, scabra, vel lanuginosa, squamis omnium viridibus* rotundatis, apice, et apicis margine appendice *angusta* albida medio lutea ciliato-fimbriata, nunc inermi, nunc brevius longiusve spinosa terminatis. Receptaculum laeviter favosum, areolis pentagonis magnis. Achenia immatura pubescentia, adulta glaberrima, pappi setis exterioribus obsolete serrulato-ciliatis inaequalibus fructum aequantibus, vel superantibus, erecto-patulis, vel patentibus, fuscis, vel in var. *β.* albis: interioribus paucis planis latioribusque apice setulosis, in conum clausum, vel in var. *β.* frequentius in tubum apertum conniventibus; hilo pilosulo. —

Obs. Admodum affinis C. collinae L. sp. pl. p. 1298, a qua tantum differre credo capitulis pedunculatis nec inter bracteas sessilibus (ut in icone Clus. hist. pl. IV. p. 8. a Linnaeo citata pro sua C. collina), squamis inferioribus involucri rotundatis nec acuminatis, et albido nec nigrescente ciliatis. — Quae notae cum parvi momenti sint, et achenia adulta sint in utraque glaberrima, suspicio inest has plantas in unicam forsitan coire posse, ni pappus, quem in C. collina observare nequivi, differentiam confirmet.

C. tatarica Rchb. icon. bot. V. f. 636., quae eadem ac C. sulphurea Lag. Rchb. l. c. f. 652. accedit foliis, differt a nostra squamis infimis lanceolatis acutis, appendice nigrescente. — C. centauroides L. videtur diversa foliis lyratis, squamis lanceolatis.

578. Centaurea rupestris L. sp. pl. ed. II. p. 1298. Host fl. austr. 2. p. 521. Rchb. fl. germ. exc. p. 217. Pett. bot. Wegw. n. 228.

C. lanuginosa, foliis coriaceis pinnato-partitis, lobis linearibus subfalcatis setula terminatis integris pinnatifidisve, inferioribus petiolatis, capituli ovato-conici squamis inferioribus ovatis obtusis marginato-ciliatis, appendice lanceolata acuta aut spinosa terminatis, intimis oblongis appendice scariosa lacera inermi, flosculis aequalibus, pappi nigrescentis fructu triplo brevioris setis intimis erecto-conniventibus conformibus subaequalibus.

Syn. C. collina Scop. fl. carn. 2. p. 141. Host fl. austr. 2. p. 521. (ex syn. Scop. et locis natalibus) non L. C. variabilis *α.* et *β.* Bartl. in Wendl. beitr. 2. p. 114. C. adonidifolia Rchb. fl. germ. exc. p. 217. — Icon. Columm. ecphr. 1. p. 35. fig. inf.

Hab. in apricis saxosis collinis Dalmatiae montanae, et in montibus supra Clissa, Sign, Macarsca, Imoschi. Flores flavi. Floret a Majo in aestatem. ♃. —

Obs. Pappi forma, et brevitate essentialiter differt a praecedente, et a sequente. Caeterum haec quoque ludit glabriuscula, ramosa, lobis foliorum latiusculis, et tenuioribus, squamarum mucrone in eodem individuo longitudine admodum vario, ciliis fuscis, aut raro albis et longioribus, ita ut hae notae ne ad varietates quidem ab auctoribus propositas discernendas semper sufficiant. Huc pertinet ex habitu C. ceratophylla

TENOR. fl. nap. 2. p. 274. tab. 75, dempto pappo, qui ibidem pingitur fructui subaequalis, quod nostrae repugnat.

579. Centaurea sordida W. sp. pl. 3. p. 2323. RCHB. fl. germ. exc. p. 216.

C. lanuginoso-pubescens, foliis pinnato-partitis, lobis lineari-lanceolatis subfalcatis integris aut inciso-serratis mucronatis, inferioribus petiolatis, capituli ovati squamis inferioribus ovatis obtusis marginato-ciliatis appendice triangulari acuta, mediis spinosa terminatis, intimis oblongis appendice scariosa subrotunda fissa inermi, flosculis aequalibus, pappi fusci fructum dimidium aequantis setis omnibus erecto-patulis.

Syn. C. sordida α. lutescens KOCH syn. fl. germ. p. 413, et hoc teste C. pubescens W. herb.! C. variabilis γ. sordida BARTL. in WENDL. beitr. 2. p. 114.

Hab. locis saxosis apricis circa Koinsko, unde misit prof. Petter. Flores citrini, Floret aestate. ♃. —

Obs. Affinis praecedenti, a qua differt foliorum lobis non seta pellucida, sed mucrone crassiusculo opaco brevissimo terminatis, et praecipue pappi setis omnibus inordinatis erecto-patulis et fructus dimidio aequalibus; nec intimis seriem discretam conniventem, efficientibus. Habitus C. rupestris latifoliae. Ludit haec quoque armata, et inermis.

580. Centaurea divergens VIS.

C. scabra aut floccosa, caule ramosissimo divaricato, foliis inferioribus petiolatis, superioribus sessilibus pinnatipartitis, lobis omnibus integris linearibus subfalcatis setula terminatis, supremis oblongo-linearibus, capituli ovoidei bracteati squamis laevibus acutis, utrinque ala scariosa fissa vix decurrente auctis, appendice lanceolata ochracea alte ciliata et spinulosa terminatis, intimis oblongis apice scariosis fissis, flosculis subaequalibus, pappi setis exterioribus fructu duplo, intimis conniventibus triplo minoribus.

Icon. GMEL. fl. sibir. II. tab. XLIII.? Flor. dalm. tab. XII^{b.}

Hab. in saxosis collium, et montium circa Lesina, unde misit prof. Stalio. Flores dilute violacei. Floret junio. ♂.

Descr. Radix conica inferne ramosa. Herba omnis scabra, saepe floccoso-lanuginosa. Caulis acute multi-angulatus, ad angulos serrulato-scaber, superne ramossisimus, ramis divaricatis aut patentibus. Folia bipinnato-partita, pinnato-partita, ramulorum simplicia, summa capitulo plus minus proxima, solitaria vel bina aut terna, lobis omnium plus minus linearibus obtusiusculis setula pellucida mucronatis. Capitula in ramulorum apice solitaria, ante anthesin ovalia, sub anthesi ovato-oblonga, fructifera ovata, squamarum ciliis obtecta. Squamae ovatae dorso virides obsolete nervosae vel enerves, margine utroque ala scariosa fissa vix vel non decurrente auctae; dein versus apicem ciliis longis albis flexuosis scabris cum illis squamarum proximarum fere intertextis ornatae; apice appendice lanceolata fusca ciliis 5—7 rigidioribus concoloribus ipsa duplo longioribus, supremo spinuloso longiore, terminatae, intimis linearibus apice scariosis fissis. Receptaculum setis persistentibus obsitum. Achenium lineare-oblongum vix linea longius glabriusculum, pappi albi setis exterioribus fructu duplo brevioribus, intimis conniventibus caeteris paullo brevioribus: radii abortiva at papposa.

Obs. Affinis C. paniculatae, et C. Biebersteinii DC. prod. syst. nat. 6. p. 583: differt ab utraque membrana scariosa medium squamae marginem utrinque augente qua propter pertinet ad Pterolophoides DC. l. c. p. 581, nec ad Acrolophos CASS. dict. 50. p. 253. DC. l. c. p. 583, quibus spectant supradictae duae species. A C. Biebersteinii DC. mihi ignota, differt insuper ex descriptione Candolleana habitu a C. Cineraria, cui suam comparat DC., omnino diverso; a C. paniculata capitulis duplo minoribus, squamis non distincte quinquenervibus, ciliis longioribus albis squamas tegentibus, et saepe intertextis. Icon GMELINI a cl. DC. ad suam C. tenuifloram l. c. p. 584—5 relata habitum nostrae sat bene exhibet: haec vero differt ab illa acheniis omnibus papposis nec radialibus calvis.

581. Centaurea Kartschiana Scop. fl. carn. 2. p. 140? Koch. syn. fl. germ. ed. 1. p. 414.

C. glabra, caule ramosissimo caespitoso, foliis inferioribus breviter petiolatis subbipinnati-partitis, superioribus pinnatipartitis sessilibus, lobis lanceolatis superne latioribus mucronatis, capituli ovati bracteati squamis ovato-triangularibus striatis, utrinque ala scariosa fissa vix decurrente auctis, appendice lanceolata ochracea alte ciliata et spinulosa terminatis, intimis oblongis margine scariosis serratis, apice spinulosis, flosculis radiantibus, pappi fructum aequantis serie intima connivente triplo breviore.

Syn. C. carstiana Host fl. austr. 2. p. 521. — C. Karschtiana Rchb. fl. germ. exc. p. 217. Ic. bot. 9. p. 4. — Icon. Rchb. ic. Plant. crit. IX. f. 1096.

Hab. in apricis saxosis in insula Veglia, in scopulo Plavnik, et ad Foiba di Smergo in insula Cherso, unde misit cl. Tommasini. Flores purpurei. Floret aestate. ♂. —

Obs. Planta nostra differt a descriptione *Scopolii pinnis foliorum copiosioribus* nec bi-trijugis, *impari reliquis subaequali* nec longiore et majore, *squamis appendice ochracea terminatis nec unicoloribus,* nec non ab illius icone in Fl. carn. 2. tab. 55. foliorum, capituli, et *squamarum* forma. Differt etiam a descriptione DC. prodr. syst. n. 6. p. 582. laciniis lanceolatis mucronatis, nec linearibus obtusis, et squamarum appendicibus discoloribus, nec concoloribus. Convenit vero cum diagnosi cl. Kochii, et icone cl. Reichenbachii, in qua tamen folia obtusiora quam in planta dalmatica. Perperam cl. Tausch in syll. pl. soc. bot. ratisb. in bot. zeit. 1827. p. 250. eam commiscuit cum sequente, a qua eximie differt pappi praesentia, et longitudine.

582. Centaurea cristata Bartl. in Wendl. beitr. 2. p. 119. Rchb. fl. germ. exc. p. 217.

C. scabra viridis aut floccoso canescens, caule ramosissimo divaricato, foliis subsessilibus, inferioribus bipinnato-partitis, superioribus pinnato-partitis, lobis foliisque supremis linearibus mucronatis, capituli ovoidei bracteati squamis ovatis obtusis quinquestriatis, utrinque ala scariosa fissa decurrente ornatis, superne albo-ciliatis, appendice ovato-lanceolata acuminata fusca ciliato-spinulosa terminatis, intimis linearibus, apice scariosis fissis, flosculis radiantibus, pappo obsoleto vel nullo.

Syn. C. spinoso-ciliata Bernh. in Spr. syst. veg. 3. p. 403. Host fl. austr. 2. p. 520. Alsch. fl. jadr. p. 191. C. paniculata Vis. stirp. dalm. spec. p. 30. Alsch. fl. jadr. p. 190. Pett. bot. Wegw. n. 226. (excl. synon.) non L. C. Scopolii Vest in flor. ratisb. 1829. ergänz. 1. p. 31. C. acutiloba DC. prodr. syst. nat. 6. p. 581. Rhaponticum paniculatum Scop. fl. carn. 2. p. 136.

Hab. in apricis saxosis circa Zara, Sebenico, Salona, Cattaro, Pastrovichio, et in insulis Ossero, et Pago. Flores carnei. Floret aestate. ♂ —

Obs. Variat *foliorum lobis obtusiusculis* cum mucrone, vel acuminato-mucronatis tenuioribus, et haec forma mihi est C. acutiloba DC.: squamis involucri breviter, aut longe ciliatis, nunc inermibus et tunc ala laterali scariosa magis evoluta, vel spina rigida patula terminatis et ala minore ad appendicis basim praeditis: acheniis vel apice omnino nudis, vel margine acuto coronatis, vel setis paucis brevissimis hoc margine inclusis. Hinc distingui possent sequentes varietates: α. squamis late ovatis appendice ovata abrupte-acuminata breviter ciliata inermi, basi utrinque membranula scariosa lineari decurrente marginatis, quae probabiliter vera planta Bartlingiana: — var. β. squamis ovatis, appendice ovata longe et rigide ciliata inermi, basi utrinque ala scariosa triangulari vix decurrente praedita: — var. γ. squamis ovato-lanceolatis appendice lanceolata longe et rigide ciliata spina patula terminata, basi utrinque ala scariosa minore non decurrente ornata, quae C. spinoso-ciliata Bernh. Sed adsunt frequentes transitiones ab una ad alteram. Achenia oblonga minima grisea aut nigrescentia, lineis albis longitudinalibus picta, ut de sua notavit Scopolius.

583. Centaurea incompta Vis.

C. scabra aut floccosa subsimplex, foliis inferioribus petiolatis, superioribus sessilibus, omnibus parce lobato-pinnatifidis, lobis oblongis obtusiusculis terminali

majore, folio supremo indiviso bracteante, capituli ovati squamis late ovatis obtusis quinquestriatis, utrinque ala scariosa fissa decurrente auctis, superne nigro late marginatis ciliatisque, apice inermibus, intimis oblongo-linearibus apice scariosis fissis, flosculis radiantibus, pappi setis fructu obovato duplo, intimis triplo brevioribus.

Icon. Flor. dalmat. tab. XIII b. f. 1.

Hab. in pratis circa Narenta, ubi legit Neumayer. Floret aestate. Flores dilute violacei. ♃.

Descr. Radix tortuosa lignosa. Caulis simplex, vel ramulis 1—2 floriferis sursum auctus, angulatus scabriusculus, interdum flocculosus. Folia scabra, inferiora petiolata parce pinnato-lobata, superiora sessilia basi lobata, lobo terminali majore lanceolato subintegro acuto, supremum capitulo proximum lanceolatum indivisum. Capitulum in apice caulis solitarium ovatum, squamis late ovatis nervis haud prominulis lineatis; medio utrinque membrana scariosa alba fissa decurrente ornatis, supra medium membrana nigra nigro-ciliata et inermi marginatis, ciliis membrana longioribus squamam non obtegentibus, squamis externis (litt. a.) mediis (litt. b.), intimis oblongo-linearibus apice scariosis pallidis vel dilute fuscis, irregulariter fissis (litt. c.). Achenium obovatum glabrum pappo coronatum (litt. d. duplo auct.) setis inaequalibus, exterioribus fructu dimidio brevioribus, intimis conniventibus etiam minoribus (litt. e. m. a.). Pertinet ad sect. Pterolophoidum in DC. prod. 6. p. 581.

584. Centaurea punctata Vis. in Ergänz. zur bot. zeit. 1829. 1. p. 23. Rchb. fl. germ. exc. p. 248.

C. glabra laevis insculpto-punctata, caule ramosissimo divaricato, foliis omnibus subsessilibus, inferioribus bipinnato-partitis, superioribus pinnatopartitis, lobis supremisque indivisis linearibus mucronatis integris, capituli ovoidei bracteati squamis ovatis lanceolatisque tristriatis, utrinque ala scariosa fissa decurrente auctis, superne breviter ciliatis, appendice lutea ovato-acuta ciliata inermi terminatis, intimis linearibus subintegris, flosculis radiantibus, pappo brevissimo aut obsoleto.

Syn. Centaurea virgata Portenschl. herb! Host herb! et fl. austr. 2. p. 517, non Lam. et excl. diagnosi et descriptione. C. glaberrima Tausch in syll. ad bot. zeit. 1827. p. 249—50. — Icon. Flor. dalmat. tab. XI.

Hab. in agris lapidosis sterilibus ad Lossin piccolo in insula Ossero, prope Duare, et circa Ragusa, ubi frequentior. Capitula livescentia, squamarum appendice sordide lutea. Floret aestate. Flores rosei. ⊙ et ♂. —

Descr. Radix perdendicularis ramosa annua aut biennis. Herba glabra glanduloso-punctata viscidula. Folia omnia sessilia, et fere usque ad basim pinnatisecta: primordialia bipinnati-secta, lobis latiusculis brevibus lanceolatis; radicalia successive bi-tripinnati-partita et caulina pinnatipartita lobis linearibus mucronatis integris subfalcatis, quandoque angustissimis, supremis saepe indivisis, summis bracteantibus. Caulis angulatus erectus divaricate ramosissimus paniculatus. Capitula in apice ramulorum solitaria, involucro parvo bilineari, illo C. paniculatae saltem duplo minore, ante anthesim ovato, sub anthesi ovato-oblongo, fructifero ovali, squamis inferioribus ovatis (fig. a.), reliquis lanceolatis (fig. b.), appendice ovato-acuta brevi basi utrinque ala scariosa decurrente fissa terminatis, margine ciliis longitudine variis, quandoque brevissimis cincta, apice inermi. Receptaculi setae persistentes sordide albae. Achenium oblongo-lineare glabrum cinereum albo-lineatum (fig. c.) margine circulari duplici coronatum, inter quos setae oriuntur inaequales fructu triplo breviores planiusculae, raro nullae. —

Obs. Affinis C. cristatae, a qua differt glabritie, glandulis, appendice non acuminata nec spinulosa nec fusca. A C. virgata discrepat glabritie, foliis magis divisis, involucro

ovoideo nec cylindrico, bracteato nec nudo, acheniis ut plurimum papposis: a. C. maculosa foliis omnibus subsessilibus, involucro ovoideo nec subgloboso, triplo minore, appendice lutea nec fusca.

585. Centaurea Friderici Vis.

C. cano-lanuginosa, caule apice divaricato ramoso, foliis inferioribus petiolatis bipinnato-partitis, superioribus sessilibus pinnato-partitis, lobis omnium summisque indivisis vel basi lobulatis, oblongo-linearibus obtusis, capituli-ovato-subrotundi bracteati squamis ellipticis oblongisve obtusis quinquestriatis, appendice rotundata lutea inermi breviter ciliata basi utrinque in membranam linearem integram anguste decurrente, intimis oblongo-linearibus apice scariosis obtusis subdentatis, flosculis radiantibus, pappi fructum dimidium subaequantis setis intimis conniventibus duplo brevioribus.

Icon. Flor. dalmat. tab. XII[c.] 48

Hab. in apricis saxosis insularum Pelagosa, et Pomo, unde misit prof. Stalio. Flores dilute violacei. Floret Junio. ♂ aut ♃. —

Descr. Tota herba cano-tomentosa lanuginosa, caule angulato apice ramosissimo divaricato corymboso, foliis bipinnati-partitis, dein pinnato-partitis, pinnati-lobis, integrisque, lobis linearibus oblongisve obtusis integris. Capitula in ramulorum apice solitaria, foliis floralibus obtusis integris 2—5 bracteata. Involucrum ovato-subrotundum pallide flavum, squamis inferioribus ellipticis, mediis oblongis obtusis glabris, vel raro versus apicem canescentibus, quinque-striatis, appendice lutea rotundata obtusa inermi ciliis ipsa brevioribus marginata, basi utrinque in membranam scariosam anguste decurrentem producta; intimis oblongo-linearibus appendice scariosa rotundata subdentata utrinque pariter decurrente. Achenium oblongum aut semi-obovatum basi attenuatum et subincurvum, prius pubescens dein glabrum, pappo coronatum, setis planis integris nudis, exterioribus inaequalibus fructum vix dimidium aequantibus, intimis conniventibus duplo brevioribus. Pertinet ad Acrolophos Cassin. dict. vol. 50. p. 253. DC. prod. syst. nat. 6. p. 583.

Obs. Habitus herbae fere ut in C. Cineraria, sed involucrum longe diversum. Speciem distinctissimam, et generis ditissimi inter nostrates pulcherrimam eximio nomine FRIDERICI AUGUSTI Saxoniae Regis, scientiarum omnium fautoris, et botanices cultoris insignis, deque Flora dalmatica humanissime meriti, decorare gaudeo.

586. Centaurea crithmifolia Vis.

C. glaberrima rigida, caule apice divaricato ramoso, foliis coriaceis subcarnosis inferioribus petiolatis bipinnato-partitis, superioribus sessilibus pinnato-partitis lobatisque, summis bracteantibus integris, lobis omnium late linearibus lanceolatisque acutiusculis, capituli ovato-subrotundi squamis late ovato-ellipticis ellipticisve obtusis quinquestriatis, appendice rotundata lutea inermi ciliata basi utrinque in membranam linearem integram anguste decurrente, intimis oblongo-linearibus apice scariosis obtusis subdentatis, flosculis .... pappo ....

Hab. in saxosis parvae insulae Pomo, unde haud bene floridam misit prof. Stalio lectam mense Junio. ♃.

Obs. Affinis praecedenti, a qua differt glabritie, carnositate, caulium ramorumque crassitie, totius plantae validitate, lobis foliorum multo latioribus secus costam latam subdecurrentibus. Pappus, si in posterum specimina florida et fructifera occurrant, probabiliter et alias notas suppeditabit.

*** Mantisalca Cass. dict. vol. 19. p. 80.

Involucri squamae coriaceae, appendice brevissima marginatae, spinula terminatae.

M **587. Centaurea salmantica** L. sp. pl. ed. II. p. 1299. Host fl. austr. 2. p. 520.

C. caule glabro parce ramoso, foliis intimis lyrato-pinnatifidis scabris, reliquis linearibus denticulatis mucronatis, capitulis ebracteatis longe pedunculatis, pappo difformi, exteriore setaceo, interiore in paleam unicam unilateralem concreto.

Syn. Mantisalca elegans CASS. l. c. Microlonchus salmanticus DC. prod. syst. nat. 6. p. 563. — Icon. JACQ. hort. vind. 1. tab. 64. CLUS. hist. pl. IV. p. IX. f. 1. MORIS. hist. pl. sect. 7. tab. 26. f. 14.

Hab. ad sepes, et agrorum margines circa Sebenico, ubi legi mense Julio. Flores albidi, vel dilute violacei. ♂. —

Obs. Squamae interdum omnes, fraequentius infimae et intimae muticae, mediae spinulosae. Achenium levissime angulatum, inter angulos subrugosum, areola profunde excavata margine cornea.

****Calcitrapa RCHB. fl. exc. p. 218.

Involucri squamae coriaceae appendice cornea pungente et spina basi spinulosa armata terminatae.

588. Centaurea solstitialis L. sp. pl. ed. II. p. 1297. VIS. stirp. dalm. p. 30. HOST fl. austr. 2. p. 521. RCHB. fl. exc. l. c. ALSCH. fl. jadr. p. 191. PETT. bot. Wegw. n. 231.

C. incana divaricate ramosa, foliis infimis lyrato-pinnatifidis, lobo terminali triangulari, caulinis reliquis lineari-lanceolatis longe decurrentibus integerrimis, capitulis bracteatis solitariis ovatis, squamarum spina intermedia valida, squamis intimis apice subrotundis scariosis, acheniis radii calvis, disci pappo setaceo fructum aequante, setis intimis conniventibus duplo brevioribus.

Icon. SOW. engl. bot. t. 243. DODON. pempt. p. 734. f. 1.

Hab. ad vias, et in agris saxosis totius Dalmatiae frequens. Flores et spinae citrinae. Floret aestate. ♂. —

Obs. Icon COLUMN. ecphr. p. 31. a cl. DC., Linnaeo praeeunte, huc citata, et simul ad sequentem, potius postremae pertinet. Icon MORIS. hist. pl. sect. 7. tab. 34. f. 2. habitum plantae male exhibet. Capitula in nostra semper arachnoideo-lanuginosa et bracteata. Habeo specimen pumilum simplex foliis indivisis tenuissime denticulatis.

589. Centaurea melitensis L. sp. pl. ed. II. p. 1297.

C. scabra, ramosa, foliis inferioribus obtuse pinnatilobis, lobo terminali oblongo, caulinis reliquis late linearibus longe decurrentibus, capitulis bracteatis ovatis congestis, aut solitariis, squamarum spina intermedia aciculari tenui, squamis intimis acuminato-spinescentibus, acheniis omnibus papposis, setis exterioribus fructum dimidium superantibus, intimis duplo brevioribus conniventibus.

Syn. C. apula LAM. enc. bot 1. p. 667. ed. patav. C. sicula HOST! fl. austr. 2. p. 521. non DC. — Icon. COLUMN. ecphr. 1. p. 31. BOCCON. sic. p. 65. t. 35.

Hab. in sterilibus, et saxosis insulae Lesina. Flores citrini. Floret Julio. ⊙. —

Obs. Capitula glabra vel lanuginosa, solitaria vel aggregata, sessilia vel subsessilia, minora aut majora, et folia caulina subdentata aut integerrima, quibus notis omnis distinctio innititur inter C. melitensem, et apulam, variant in hac specie, immo in eodem specimine, nec ad plantas simillimas specifice distinguendas sufficiunt. C. sicula L. sp. pl. ed. II. p. 1298, quam non novi, si eadem est ac planta cl. DC. in Prodr. syst. nat. 6. p. 593., videtur ex hujus diagnosi diversa squamis intimis in appendicem scariosam subrotundam productis, nec acuminato-spinescentibus. Planta vero, quae in hortis botanicis frequens occurrit sub hocce nomine, est eadem C. melitensis ex omni parte major quia culta.

590. Centaurea Calcitrapa L. sp. pl. ed. II. p. 1297. VIS. stirp. dalm. p. 30. HOST fl. austr. 2. p. 522. RCHB. fl. exc. p. 218. ALSCH. fl. jadr. p. 191. PETT. bot. Wegw. n. 221.

C. caule ramosissimo diffuso piloso, foliis omnibus pinnatipartitis lobis linearibus mucronato-serratis, superioribus sessilibus, capitulis bracteatis oblongis, squamarum spina intermedia valida supra canaliculata, squamis intimis apice subrotundis scariosis, acheniis omnibus calvis.

Icon. SOW. engl. bot. t. 125. GAERTN. de fr. et sem. 2. tab. 163. f. 2. CLUS. hist. pl. IV. p. VII. f. 3. — Illyr. Schiavicza. Sjkavicza. Zeçii bârk.

Hab. in locis sterilibus, et ad vias totius Dalmatiae, etiam in insulis. Flores albi, aut rosei. Floret Julio, Augusto. ♂. —

Obs. Icon Columm. phytob. tab. 107. huc citata recedit acheniis papposis, et probabiliter C. calcitrapoïdi pertinet. C. moschata L. a b. Host in fl. austr. 2. p. 514. inter dalmaticas Portenschlagi fide relata, deest in herbario utriusque auctoris. C. radiata Vis. in Biasol. Viagg. in Istr. Dalm. p. 205. est falsum synonimon Serratulae radiatae Bieb., lapsu calami mihi tributum. Quid autem sit C. australis Vis. in eodem opere mihi adscripta profecto nescio. In Centaureis specifice distinguendis pappi forma, proportio et directio plurimi habenda: hoc duce, plures falsas species fallacibus pubis, foliorum, squamarumque characteribus superstructas ad typos veros at paucos reduci posse nullus dubito.

CXCIX. Crupina Cassin.

Dict. d'Hist. nat. vol. 44. p. 39. et vol. 50. p. 239.

Char. *Involucri squamae margine et apice membranaceae integerrimae inermes. Flores radii caeteris ampliores. Achenia obovata crassa sericea pappo duplici nigro, exteriore inaequali setaceo, interiore e paleis crassis subovatis brevibus apice subdentatis.* — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia frustranea Syst. sex. —

591. Crupina Crupinastrum Vis.

C. caule glabro, apice ramoso-corymboso nudo, foliis scabris costa subtus albolanatis, inferioribus longe petiolatis lyrato-pinnatifidis, caeteris bipinnati-partitis, laciniis linearibus distantibus serrulatis, dentibus spinuloso-glandulosis, capitulis oblongis aphyllis, squamis lanceolatis, acheniis obovatis sericeo-tomentosis teretibus basi compresso-acutangulis, areola laterali cuneato-oblonga angulata, pappi interioris paleis subquinis.

Syn. Centaurea Crupinastrum Moris. en. sem. h. taur. 1842. p. 12, et fl. sard. 2. p. 443. C. Crupina Mor. stirp. sard. el. 1. p. 26. Vis. stirp. dalm. p. 30. Alsch. fl. jadr. p. 190. Pett. bot. Wegw. n. 222, non L. Crupina vulgaris var. orientalis DC. prodr. syst. nat. VI. p. 564. — Icon. Fl. dalm. tab. LI. f. 3.

Hab. in apricis saxosis collinis circa Zara, Sebenico, Traù, Spalato, Clissa, Ragusa, et in insulis. Flores atro-rubri. Floret Majo, Junio. ⊙. —

Obs. Habitu, caule, foliis et floribus Crupinae vulgari Cassin. omnino similis, sed in illa achenia etiam basi teretia, qualia pinxit clar. DC. mém. sur les Compos. tab. 1. f. 1. (nec f. 2. quae Amberboam exhibent), Fl. dalm. icon. tab. LI. f. II., horum areola exacte basilaris orbicularis magna, paleae pappi intimi ut plurimum denae: in hac achenia basi acute compressa, areola lateralis angusta cuneato-oblonga, et fere trapeziformis ob latera omnia inaequalia, paleae in nostris et in speciminibus graecis quinae, in sardois 5—7. *Sic ex sola inspectione achenii species istae simillimae facili negotio discriminantur.* Centauream Crupinam Guss. fl. sicul. 2. p. 520 huc quoque referrem quoad achenii formam et areolae situm atque figuram, ni cl. auctor *speciei suae* tribuisset achenia utrinque laevia, omnia etiam radii papposa, *pappi* setas basi in annulum coalitas, et loco orbiculi ad achenii apicem coronam brevissimam pilorum (quae omnia plantae nostrae repugnant), et nisi, quod magis interest, de paleis pappi intimi siluisset. Speciei siculae pertinet icon Columnae Ecphr. p. 34, cujus semina a Columna ipso dicuntur compressa; ideoque etiam icon Barrelieri 1136, quae a Columna mutuata. — Synonimon Candolleanum superius citatum huc certe pertinet quoad specimen ex Attica missum a cl. Spruner. — Genus Crupina a Centaureis non differt squamis exappendiculatis, nam hae in Crupina quoque sunt apice membranacae et discolores, quales in pluribus Centaureis; nec situ areolae basilari potius quam laterali, cum in C. Crupinastro areola sit lateralis; sed indole subcarnosa palearum pappum interiorem efficientium, quae a setis pappi extimi longe diversa. Hinc pappus, qui in Amberboa est homogeneus paleaceus, in Centaurea homogeneus setaceus, in Crupina est heterogeneus sive duplex, cujus exterior setaceus, interior carnoso-paleaceus: qua unica nota tria haecce genera tute et facillime dignoscuntur. In Crupina insuper, praeter pappum externum setaceum, internum carnoso-paleaceum, adest orbiculus crassus dentatus cinereus, tertius quasi et intimus pappus, cujus dentes latiusculi et breves sunt paleis pappi secundi antepositi. Fig. 2. litt. a. achenium detracto pappo; litt. b. idem verticaliter sectum; litt. c. annulus cum pappo interno et intimo.

Tribus VI. Carthameae. *DC.*

Prodr. syst. nat. 6. p. 609.

Capitula multiflora, involucri multiserialis squamis exterioribus foliaceis floribus omnibus quinquefidis hermaphroditis conformibus radii interdum sterilibus, achenii tetragoni pappo paleaceo, aut nullo, areola laterali.

CC. Centrophyllum Neck. (emend. Rchb.)

Elem. botan. n. 155.

Char. Involucrum imbricatum squamis foliaceis pinnatilobis spinosis. Stamina filamentis medio barbatis. Achenia obovato-tetragona, pappi paleis membranaceis ciliatis. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex.

592. Centrophyllum lanatum DC. in Dub. bot. gall. 1. p. 293. Rchb. fl. exc. p. 219.

C. caule arachnoideo-lanuginoso apice corymboso, foliis lanceolatis pinnatifido-dentatis spinosis, superioribus amplexicaulibus, involucris lanuginosis, acheniis marginalibus calvis.

Syn. Carthamus lanatus L. sp. pl. ed. II. p. 1163. Host fl. aust. 2. p. 433. Pett. bot. Wegw. n. 211 (excl. nom. Illyr.). Centaurea lanata DC. fl. fr. 4. p. 102. Alsch. fl. jadr. p. 191. — Icon. Sims. bot. mag. t. 2142. Blackw. herb. t. 468. Dodon. pempt. p. 736. Gaertn. de fr. 2. tab. 161. f. 3. DC. mém. sur les compos. tab. 1. f. 26. 27.

Hab. in apricis saxosis ad vias agrestes in Dalmatia universa. Flores citrini. Floret aestate. ⊙. —

Obs. Si novimus rectius esse latine scribere Centranthus ac Kentranthus, eadem de causa et Centrophyllum pro Kentrophyllo, ut et reliqua plantarum nomina a centro deducta, silicet Centrachaena, Centrolepis, Centropogon etc.

CCI. Carthamus. Tourn.

Inst. rei herb. p. 457. tab. 258.

Char. Involucrum imbricatum squamis foliaceis repandis spinulosis. Stamina filamentis glabriusculis Achenia obovato-tetragona calva. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

593. Carthamus tinctorius L. sp. pl. ed. II. p. 1162. Rchb. fl. exc. p. 280.

C. glaber, foliis ovato-lanceolatis repandis serratisve, dentibus spinulosis.

Icon. Lam. illustr. des genr. pl. 661. f. 3. Gaertn. de fr. 2. tab. 161. f. 2. Clus. hist. pl. V. p. 152. — Illyr. Xafranika. Çjafran divii. Çjafran turski.

Hab. in India orientali: colitur in Dalmatia. Corollae croceae. Floret aestate. ⊙.

Usus. Corollae colorem praebent in usu tinctorio Croco succedaneum. Ex acheniis oleum exprimitur.

Trib. VII. Silybeae. *Less.*

Syn. gen. compos. p. 10.

Capitula multiflora, involucri multiserialis squamis apice spinosis, floribus omnibus quinquefidis hermaphroditis, aut radii neutris, staminum filamentis monadelphis, achenii compressi pappo deciduo piloso, setis setulosis basi in annulum concretis, areola basilari.

CCII. Silybum Vaill.

Hist. de l'Acad. roy. des Sc. Paris. 1718. p. 172.

Char. Involucrum imbricatum, squamis foliaceis, exterioribus appendice herbacea ovata spinosa et spinoso-serrata terminatis, interioribus lanceolatis integris. Stamina filamentis papillosis, antheris breviter appendiculatis. Achenium obovatum utrinque planum, areola basilari centrali. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis. Syst. sex. —

594. Silybum marianum Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 378. Rchb. fl. exc. p. 288. Alsch. fl. jadr. p. 189.

S. foliis amplexicaulibus hastato-pinnatifidis albo-venosis spinosis, capituli glabri squamis recurvatis.

Syn. Carduus marianus L. sp. pl. ed. II. p. 1153. Host fl. austr. 2. p. 440. Pett. bot. Wegw. n. 198. — Icon. Engl. bot. t. 976. Gaertn. de fr. et sem. t. 162. f. 2. Blackw. herb. t. 79. Fuchs. hist. pl. p. 56. — Illyr. Osljebad. Sikaviza. Badeljka sarena.

Hab. in ruderatis circa Zara, Sebenico, Spalato, Ragusa, et in insulis. Flores purpurei. Floret Majo. ♃.

CCIII. Tyrimnus Cassin.

Dict. des sc. nat. vol. 41. p. 335.

Char. Involucrum imbricatum squamis lanceolatis appendice spinuliformi. Stamina filamentis glaberrimis basi puberulis, antheris appendicibus lineari-subulatis. Achenium oblongum compresso-tetragonum areola basilari oblique emarginatum. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis. Syst. sex. —

595. Tyrimnus leucographus Cass. loc. cit.

T. arachnoideo-lanuginosus, foliis decurrentibus oblongis sinuato-pinnatifidis, lobis dentatis spinosis, supra albo-venosis glabris.

Syn. Carduus leucographus L. sp. pl. ed. II. p. 1149. Vis. stirp. dalm. spec. p. 29. Host fl. austr. 2. p. 436. Rchb. fl. exc. p. 282. Alsch. fl. jadr. p. 187 et Pett. bot. Wegw. n. 197. excl. syn. — Icon. Jacq. hort. vind. 3. tab. 23. All. fl. pedem. tab. 73.

Hab. in apricis et cultis circa Zara, Sebenico, Spalato, Ragusa, et in insulis Ossero, Pago, Lesina, Giuppana. Flores purpurei. Floret aestate. ☉.

Obs. Fructus angustus oblongus tetragonus nitidus nigricans, angulis albis, ideo quoad formam diversus a descriptione et icone Gaertneri de fr. et sem. 2. p. 377. tab. 162. f. 1. Immaturus glutinosus est, ut notavit Gaertnerus, quo tempore si observetur setis receptaculi adhaerentibus obductus conspicitur. Pappi setae in Silybo longius, densius, et undique setulis erectis preditae, in Tyrimno brevius et rarius setulosae, basi glabrae. Ex areolae terminalis medio eminet nectarium centrale fungiforme pedicellatum 5—lobum, fere ut in Picnomo Cassin.

Trib. VIII. Carduineae *DC.*

Prodr. syst. nat. 6. p. 617.

Capitula multiflora, involucri multiserialis squamis apice spinosis, floribus omnibus quinquefidis hermaphroditis, aut dioicis, filamentis liberis, achenii compressi pappo deciduo piloso, aut plumoso, setis basi in annulum concretis, areola basilari.

Clavis analytica generum.

Receptaculo setoso-paleaceo. vid. Nr 1	Receptaculo membranaceo-alveolato. Onopordon.
1. Pappi setis scabris . . . . . - - 2	Pappi setis plumosis . . . vid. Nr. 3
2. Squamis involucri apice rectis Carduus.	Squamis involucri apice uncinatis. Lappa.
3. Achenio ecostato . . . . . - - 4	Achenio costato-tetragono. Cynara.
4. Achenio subgloboso-obovato. Chamaepeuce.	Achenio compresso plano. Cirsium.

CCIV. Onopordon Vaill.

Hist. de l'Acad. roy. des Sc. Paris 1718. p. 152.

Char. Involucrum squamis coriaceis appendice lanceolata spinescente terminatis. Receptaculum carnosum profunde alveolatum, foveolis membrana sinuato-dentata marginatis. Achenium compressum tetragonum transverse rugosum, pappi setis setulosis plumosisve basi in annulum corneum concretis coronatum. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis. Syst. sex. —

596. Onopordon Acanthium L. sp. pl. ed. II. p. 1158. Host fl. austr. 2. p. 435. Rchb. fl. exc. p. 288.

O. arachnoideo-lanuginosum, foliis sinuato-dentatis spinosis, involucri foliolis e basi lanceolata lineari-subulatis, exterioribus patulis.

Icon. Sow. engl. bot. t. 977. Flor. dan. t. 909. Matth. disc. in Diosc. ed. 1568. p. 708. Fuchs hist. stirp. p. 57.

Hab. in ruderatis Dalmatiae montanae circa Dernis, et Sign, et in insula Lesina. Flores purpurei. Floret aestate. ♂.

597. Onopordon illyricum L. sp. pl. ed. II. p. 1158. Host fl. austr. 2. p. 435. Rchb. fl. exc. p. 288. Alsch. fl. jadr. p. 188. (excl. syn.). Pett. bot. Wegw. n. 645.

O. albo-tomentosum, foliis pinnatifidis spinosis, involucri foliolis ovato-lanceolatis, exterioribus recurvatis.

Syn. O. elongatum Lam. fl. fr. 2. p. 6. — Icon. Jacq. hort. vind. 2. tab. 148. Lam. illustr. des genr. tab. 664. Gaertn. de fr. et sem. 2. tab. 161. f. 1. Lobel. icon. stirp. 2. p. 1. et hist. 476. f. 2. J. Bauh. hist. 3. p. 55. — Illyr. Kravaçaz.

Hab. in regione litorali, et collina totius Dalmatiae vulgatissimum. Flores purpurei. Floret aestate. ♂. —

Obs. Acanthium illyricum Lobelii stirp. adv. nova p. 365, et ideo etiam Bauhini, qui semen habuit e Sclavonia, et accepit quoque (hist. pl. 3. p. 56.) sub nomine Cardui dalmatici, et in cujus horto vidit Lobelius, est certe nostri synonimon, et perperam ad O. virens adducitur a cl. DC. in prodr. syst. nat. 6. p. 618. Rem probant, praeter plantae a Lobelio et Bauhino delineatae originem dalmaticam, descriptio Bauhini, in qua tomentum notatur, et icones utriusque auctoris, in quibus squamae involucri extimae evidenter recurvatae exhibentur. Hinc nomen specificum Linnaeanum antiquitate sancitum, et plantae patriam primitus Botanicis notam indicans, religiose servandum. —

Usus. Receptaculum junius et squamarum bases carnosae rusticis et pauperibus cocta edulia sunt, et Cynaris succedanea. —

CCV. Cynara Vaill.

Hist. de l'Acad. roy. des Sc. Paris, 1718. p. 155.

Char. Involucrum squamis coriaceis, basi carnosis, apice spinosis aut emarginato-mucronatis. Receptaculum carnosum planum setoso-paleaceum. Achenium obovatum compressum quadricostatum laeve: pappi setis plumosis annulo deciduo cohaerentibus. Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

M **598. Cynara Scolymus** L. sp. pl. ed. II. p. 1139. Vis. stirp. dalm. p. 33. Host fl. aust. 2. p. 436. Rchb. fl. exc. p. 288.

C. foliis pinnatifidis indivisisque, involucri squamis ovatis.

Var. α. pungens: foliis spinulosis, involucri squamis acuminato-spinescentibus. — Icon. Lobel. icon. stirp. 2. p. 3. f. 1. Clus. hist. pl. V. p. 153. f. 3. ead. — Illyr. Kardun.

Var. β. mutica: foliis inermibus, involucri squamis emarginatis. — Icon. Matth. Disc. in Diosc. ed. 1568. p. 705. Tabern. icon stirp. p. 695. f. 1. — Illyr. Artichjok.

Hab. Colitur ob alabastra et receptacula edulia in tota Dalmatia: stirpem spontaneam a cl. Host in insula Lesina, Scoglio, Busi, Portenschlagi fide indicatam non vidi. Flores caeruleo-violacei. Floret aestate. ♂.

CCVI. Carduus Gaertn.

De fr. et sem. 2. p. 377.

Char. Involucrum squamis herbaceis, apice acuminatis spinosisve. Receptaculum setoso-paleaceum. Achenium oblongum compressum ecostatum laeve, pappi setis scabris simplicibus basi in annulum deciduum concretis. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

*Capitulis subglobosis.

599. Carduus nutans L. sp. pl. ed. II. p. 1150. Host fl. austr. 2. p. 436. Rchb. fl. exc. p. 282. Alsch. fl. jadr. p. 188. Pett. bot. Wegw. n. 200.

C. caule ramoso, ramis apice lanuginosis nudis, foliis decurrentibus supra glabriusculis, subtus ad venas villosis, lanceolatis, sinuato-pinnatifidis, laciniis subtrifidis dentato-spinosis ciliatisque, capitulis subglobosis solitariis nutantibus, squamis lanceolatis supra basim constrictis, apice acuminato-spinoso basim subaequante, inferioribus refractis.

Icon. Flor. dan. t. 675. Sow. engl. bot. t. 1112. Moris. hist. pl. sect. 7. tab. 31. f. 6. — Illyr. Scikavaz.

Hab. in siccis, et ad vias circa Zara, Spalato, Ragusa, Lesina. Flores purpurei. Floret aestate. ♂. —

Obs. Pedunculi aphylli inermes lanati: pars squamae superior basim suam ovatam adaequat.

600. Carduus chrysacanthus Tenor. fl. napol. 4. p. 118.

C. caule subramoso ad apicem usque alato-spinoso, foliis decurrentibus supra glabriusculis, subtus villosis vel canescentibus, lanceolatis, pinnati-partitis, laciniis valide palmato-spinosis ciliatisque, capitulis subglobosis solitariis erectiusculis arachnoideo-lanuginosis, squamis lanceolatis supra basim constrictis, apice acuminato-spinoso basim superante, inferioribus refractis.

Syn. C. nutans, var.: radians Biasol. viagg. in Dalm. p. 205. — Icon. Tenor. fl. napol. tab. 188. f. 2. Barrel. icon. pl. tab. 1116.

Hab. in apricis, siccis, ruderatis circa Sebenico, Traù, et in insula Lesina. Flores purpurei. Floret aestate. ♃.

Obs. Affinis potius praecedenti quam reliquis: differt characteribus datis, et praecipue pedunculis alato-spinosis, squamis multo longioribus virentibus, et duratione perenni. Icon Barrelieri melius hunc quam C. nutantem refert. In icone cl. Tenore squamae inferiores non reflexae, ut in textu descriptae.

601. Carduus carlinaefolius Lam. enc. bot. ed. Patav. 1. p. 692. Rchb. fl. exc. p. 282.

C. glaber, caule subramoso, foliis decurrentibus lanceolatis subtus glaucis, sinuato-pinnatifidis, spinuloso-ciliatis, laciniis subbifidis spinosis, pedunculis elongatis tomentosis nudis, capitulis subglobosis solitariis erectis, squamis linearibus rectis patulis, apice mucronato-spinosis.

Hab. in monte Promina, ubi legi aestate. Flores purpurei. ♃.

Obs. Desideratur adhuc bona icon hujusce plantae, nam illae Bocconi in mus. di piant. rar. tab. 105, et Plukenetii alm. t. 154. f. 1. huc adductae folia ejusdem male exhibent. A. C. nutante, cum quo a pluribus jungitur, eximie differt squamis linearibus rectis regulariter attenuatis, nec lanceolatis, supra basim constrictis, ibique refractis.

602. Carduus candicans Waldst. et Kit. pl. hung. 1. p. 85. Host fl. austr. 2. p. 437. Rchb. fl. exc. p. 282.

C. caule ramoso alato-spinoso subfloccoso, foliis decurrentibus profunde pinnatifidis, subtus lanato-canescentibus, laciniis ovatis trilobis ciliatis apice spinosis, pedunculis elongatis tomentosis bracteolatis apteris, capitulis ovatis solitariis erectis, squamis lanceolato-linearibus apice subulatis.

Var. α. genuina: squamis adpressis. — Icon. Waldst. et Kit. loc. cit. tab. 83.

Var. β. collina: squamis exterioribus patulis. — Syn. C. collinus W. Kit. 3. p. 257. Host fl. austr. 2. p. 437. Rchb. loc. cit. — Icon. W. Kit. l. c. tab. 232.

Hab. in devexitatibus montis Promina, locisque saxosis sub Lemess inter Dernis, et Verlika, nec non circa Ragusa, et in monte di Pastrovichio: var. β. in rupestribus maritimis prope Budua. Flores purpurei. Floret Majo, Junio. ♂. —

Obs. In hac planta pubes variat longior et brevior, candidior aut viridior in utraque pagina, vel in inferiore tantum: pedunculi nunc bracteati, nunc alato-crispi sola parte inferiore, vel usque ad dimidium et ultra, vel solo apice nudi, longissimi vel breviores. Hinc sola nota, qua C. collinus a C. candicante distingui posset sunt squamae adpressae, aut erecto-patulae. Sed haec quoque promiscue ludit in utraque planta: unde factum est, ut in icone ipsa C. collini supra citata squamae, quas auctor in descriptione recurvo-patulas dixerat, erectae pingantur; et in illa C. candicantis non adpressae, ut frequentius sunt, sed erecto-patulae delineentur. Ipsa insuper harum iconum inspectio de ambarum identitate quemque suadere potest. In utriusque plantae achenio ex areolae terminalis centro eminet nectarium fungilliforme pileo profunde quinquelobo terminatum.

** Capitulis oblongis.

603. Carduus pycnocephalus Jacq. h. vindob. 1. p. 17. Host fl. austr. 2. p. 438. Rchb. fl. exc. p. 281. Pett. bot. Wegw. n. 201.

C. arachnoideo-lanuginosus, caule ramoso alato-spinoso, foliis decurrentibus, subtus tomentosis, oblongo-lanceolatis, sinuato-pinnatifidis, laciniis subtrifidis ciliatis apice spinosis, capitulis oblongo-cylindricis subternis lateralibus, nutantibus, squamis lanceolatis rectis apice subulato-acuminatis spinosis.

Syn. C. tenuiflorus Vis. stirp. dalm. p. 29. Alsch. fl. jadr. p. 188. an Sm.? — Icon. Jacq. hort. vind. 1. tab. 44.

Hab. ad agrorum margines, et in saxosis sterilibus insularum Veglia, Ossero, et Lesina, nec non circa Zara, Sebenico, Ragusa. Flores purpurei. Floret aestate. ⊙ aut ♂. —

Obs. Variat alis caulinis latioribus vel angustioribus, pedunculis omnino alato-spinosis, vel sub flore nudis, capitulis saepius ternis, raro pluribus, rarius solitariis. Differt noster a C. tenuifloro SM. capitulis paucioribus majoribus, quem confer in cl. RCHB. icon. bot. cent. VIII. f. 965: an revera tamen specifice differant valde dubito. C. pycnocephalus L. sp. pl. ed. II. p. 1151. videtur quoque a planta nostra diversus duratione perenni, quam suae plantae tribuit Linnaeus, negant recentiores. In hoc, et in sequente capitula matura ex pedunculi apice integra decidunt. In utroque etiam nectarium centrale fungilliforme conspicitur, pileo saepius quinquelobo.

604. Carduus acicularis BERTOL. ann. di Stor. nat. Bologn. 1829. Tom. 1. fasc. 1. p. 274.

C. cano-lanuginosus, caule ramoso alato-spinoso, ramis apice incurvis nudis, foliis decurrentibus, subtus tomentosis, oblongis, sublyrato-pinnatifidis, laciniis ovatis dentatis ciliatis apice spinulosis, capitulis oblongis subsolitariis nutantibus, squamis lineari-subulatis rectis patulis, apice mucronato-spinosis.

Syn. C. neglectus TENOR. fl. napol. 4. p. 118. — Icon. TENOR. l. c. tab. 187. f. 2.

Hab. in saxosis apricis circa Stretto di Morter, ubi legi Majo et Junio. Flores purpurei. ⊙. —

Obs. Similis praecedenti, at squamarum forma, et foliis latioribus, latiusque divisis distinctus. Pedunculos nudiusculos tomentosos etiam in suo C. neglecto petit cl. TENORE: hinc planta sub hoc nomine enumerata a cl. DC. in prodr. syst. nat. 6. p. 627, et caule usque ad apicem alato-spinoso descripta, videtur a specie TENOREANA diversa. Involucrum nunc glabrum, ut innuit cl. TENORE, nunc araneosum, ut ait cl. DC. Nostra cum specimine authentico a cl. BERTOLONIO ex agro Ravennate communicato omnino eadem, si demas pedunculos in illa monocephalos, in nostris aliquando bitricephalos, uti pinxit etiam cl. TENORE in ramulo altero iconis suae.

605. Carduus bicolor. VIS.

C. albo-lanatus, caule alato-spinoso sursum bracteolato, apice aptero, foliis decurrentibus lanceolato-linearibus sinuato-lobatis, supra virentibus subtus albis, dentibus abbreviatis subintegris ciliatis spina gracili terminatis, inferioribus basi attenuatis, capitulo oblongo erecto glabro, squamis lanceolato-subulatis laxiusculis margine pubescentibus.

Icon. Flor. dalmat. tab. XLIX. f. 2.

Descr. Radix crassa fibrosa, forsan biennis. Folia inferiora basi attenuata, caetera basi dilatata utrinque ala dentato-lobata spinulosa decurrentia, omnia lineari-lanceolata remote breviterque lobata ciliata, lobis spina gracili lutea terminatis, supra glabriuscula aut arachnoidea virentia, subtus candida: suprema lanceolato-acuminata serrato-spinulosa. Caulis unici speciminis, quod ob oculos habeo, erectus angulatus simplex monocephalus albo-tomentosus, apice apterus lanatus. Capitulum oblongum glabrum, squamis margine pubescentibus, ima basi lanceolatis, caeterum subulatis trinervatis acutis, externis litt. a, mediis coloratis, intimis lanceolatis membranaceis litt. b. flos litt. c. Pappus simplex scaber.

Hab. in Dalmatia, unde sine loci specialis indicatione communicavit Neumayer: probabiliter tamen oritur in monte Orien. Floret aestate. Flores dilute purpurei. ♂.

CCVII. Cirsium Tourn.

Instit. rei. herb. p. 447. tab. 255 (excl. sp.).

Char. Involucrum squamis herbaceis, apice acuminatis spinosisve. Receptaculum setoso-paleaceum. Achenium oblongum compressum ecostatum laeve, epicarpio membranaceo, pappi setis plumosis basi in annulum deciduum concretis. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia. aequalis Syst. sex. —

606. Cirsium lanceolatum Scop. fl. carn. 2. p. 130. Host fl. austr. 2. p. 442. Rchb. fl. exc. p. 286. Alsch. fl. jadr. p. 186.

C. caule alato-spinoso ramoso, foliis decurrentibus sinuato-pinnatifidis supra setosis subtus lanuginosis, lobis lanceolatis lateralibus divaricato-bifidis spina valida terminatis, capitulis solitariis ovatis arachnoideis squamis lanceolato-linearibus, extimis apice subulato-spinoso patentibus.

Syn. Carduus lanceolatus L. sp. pl. ed. II. p. 1149. Vis. stirp. dalm. p. 29. — Icon. Sow. Engl. bot. t. 107. Flor. dan. t. 1173. — Illyr. Osljebad.

Hab. ad vias campestres, et in ruderatais totius Dalmatiae litoralis et insularis. Flores purpurei. Floret aestate. ♂. —

Obs. Folia subtus plus minusve canescentia in speciminibus dalmatis.

607. Cirsium eriophorum Scop. fl. carn. 2. p. 130. Host fl. austr. 2. p. 442. Rchb. fl. exc. p. 285 (excl. var.).

C. caule nudo ramoso, foliis amplexicaulibus sinuato-pinnatifidis supra setosis, subtus lanuginosis, lobis lanceolatis spina valida terminatis divaricato-bifidis, capitulis solitariis globosis arachnoideo-lanatis, squamis lanceolatis apice lineari-spathulato spina mucronato reflexo-patulis.

Syn. Carduus eriophorus L. sp. pl. ed. II. p. 1153. — Icon. Sow. Engl. bot. t. 386. Jacq. fl. austr. t. 171. Clus. hist. pl. t. V. p. 154.

Hab. in pascuis montanis Dinara et Orien. Flores purpurei. Floret aestate. ♂. —

Obs. Cnicus spathulatus Morett. pl. ital. dec. VII. n. 28. juxta specimen ab ipso auctore differt a C. eriophoro nostro capitulis globosis, squamis attenuato-lanceolatis, margine scarioso serratis, apice spinulosis, nec basi lanceolatis, dein abrupte in appendicem linearem apice dilatatam productis, ut in nostro et quales describuntur in C. spathulato Gaud. fl. helv. 5. p. 202. et DC. syst. nat. prodr. 6. p. 653.

608. Cirsium arvense Scop. fl. carn. 2. p. 126. Rchb. fl. exc. p. 286. Alsch. fl. jadr. p. 187.

C. foliis lanceolatis basi attenuatis, supra glabris, sinuato-pinnatifidis, spinuloso-ciliatis, lobis spina terminatis, capitulis paniculato-corymbosis ovatis, squamis inferioribus ovatis spina apiculatis, caeteris lanceolatis adpressis.

Syn. Serratula arvensis L. sp. pl. ed. II. p. 1149. Carduus arvensis Sm. brit. 2. p. 850. Vis. stirp. dalm. p. 29. Pett. bot. Wegw. n. 195. — Icon. Sow. engl. bot. t. 975. Flor. dan. t. 644. Tabern. ic. pl. 700. —

Var. β. vestitum Koch. fl. germ. ed. I. p. 400, foliis subtus albo-tomentosis.

Hab. in agris cultis incultisque vulgaris: var. in satis circa Ragusa. Flores purpurei. Floret aestate. ♃.

609. Cirsium palustre Scop. fl. carn. ed. 1. vol. 2. p. 128. var. longispina.

C. caule alato-spinoso ramosissimo, foliis lanceolato-linearibus decurrentibus remote et profunde sinuato-pinnatifidis spinuloso-ciliatis, laciniis subtrifidis patulis longe spinosis, capitulis glomerato-racemosis ovato-oblongis, squamis ovatis lanceolatisque adpressis spina patula terminatis.

Syn. Carduus crispus Pett. bot. Wegw. n. 196. Cirsium palustre Alsch. fl. jadr. p. 187.

Hab ad fossas circa Ragusa et Cattaro. Flores purpurei. Floret aestate. ♃. —

Obs. Variat foliis subtus lanuginoso-canescentibus et glabriusculis viridibus; squamarum spinula longiore, aut breviore. Differt a specie foliorum spinis crassioribus et duplo longioribus: an reapse diversum?

610. Cirsium Erisithales Scop. fl. carn. ed. II. vol. 2. p. 125. Rchb. fl. exc. p. 286.

C. caule aptero subsimplici, foliis inferioribus petiolatis basi dilatatis amplexicaulibus, caeteris omnibus pinnatifidis spinuloso-ciliatis costa villosis, laciniis lanceolatis acuminatis trinerviis spinula terminatis, capitulis in pedunculo nutante subgeminatis, squamis lineari-lanceolatis a medio ad apicem patulis reflexisve spinuloso-mucronatis.

Syn. Cnicus Erisithales L. sp. pl. ed. II. 1157. Host fl. austr. 2. p. 446. Cirsium glutinosum Lam. fl. fr. 2. p. 27. — Icon. Jacq. obs. stirp. tab. 17. Dalech. hist. lugd. tab. 1094.

Hab. in sylvaticis ad Pakleniza sub monte Vellebith, ubi legit Jos. Kargl. Floret aestate. Flores ochroleuci. ♃.

611. Cirsium acaule All. fl. pedem. 1. p. 153. Rchb. fl. exc. p. 284.

C. caule subnullo, foliis glabris sessilibus sinuato-pinnatifidis spinulosis, laciniis subrotundo-ovatis angulato-trifidis spinosis, capitulo ovato-globoso glabro, squamis ovatis lanceolatisque adpressis mucronatis.

Syn. Carduus acaulis L. sp. pl. ed. II. p. 1156. Cnicus acaulis Hoffm. fl. germ. 4. p. 130. Host fl. austr. 2. p. 447. — Icon. Sow. engl. bot. t. 161. Flor. dan. t. 1114. Jacq. icon 3. t. 579. Clus. hist. V. p. 156. f. super. —

Var. β. caulescens. — Syn. Cnicus dubius W. prodr. fl. berol. t. 6. f. 1.

Hab. in pascuis siccis montium Vellebith, Promina, Lemess, Svilaja, Biokovo et in collibus circa Dernis. Floret aestate. Flores purpurei. ♃.

612. Cirsium Acarna DC. fl. fr. 4. p. 111. Alsch. fl. jadr. p. 187.

C. cano-tomentosum, caule ramoso late alato ciliato-spinuloso, foliis lineari-lanceolatis remote sinuato-dentatis, dentibus trispinosis, summis involucrantibus, capitulis aggregatis oblongis, squamis interioribus spina pinnata terminatis.

Syn. Carduus Acarna L. sp. pl. ed. I. p. 820. Vis. stirp. dalm. p. 29. Cnicus Acarna L. sp. pl. ed. II. p. 1158. Host fl. austr. 2. p. 442. Picnomon Acarna Cassin. dict. d'hist. nat. 40. p. 188. Rchb. fl. exc. p. 287. — Icon. Cavan. icon. pl. 1. tab. 53. Clus. hist. pl. V. p. 155. f. 1. Dalech. hist. pl. lugd. 1456. f. 1. 2. et 1484. f. 3. Lobel. ic. stirp. 2. t. 14. f. 2. — Illyr. Scikalina.

Hab. in apricis argillosis sterilibus ad vias agrestes prope Obbrovazzo, copiose circa Sebenico, Spalato, Ragusa. Flores purpurascentes. Floret aestate. ⊙.

Obs. Genus Picnomon differt tantummodo a Cirsio stigmatibus liberis nec coalitis, et nectario centrali quinqueradiato. Hac ultima nota Carduis quoque communi, et praecipue C. pycnocephalo, C. aciculari, et C. collino, reliquae pro novo genere statuendo impares mihi videntur. Annulum pappi a cl. DC. in prodr. syst. nat. VI. p. 634. pentagonum dictum, circularem video, et potius cupulaeformem, cupula achenii apicem obtegente, et medio pertusa. Anguillaria sub nomine Chamaeleontis nigri plantam hanc circa Sebenicum obviam commiscuit cum Cardopato corymboso Italiae meridionalis, in Dalmatia deficientis, et cujus iconem dedit in libello Semplici 1541. p. 139—40.

CCVIII. Chamaepeuce. DC.

Syst. nat. prodr. 6. p. 657.

Char. Involucrum squamis herbaceis appendice lanceolata spinosa terminatis. Receptaculum setoso-paleaceum. Achenium subgloboso-obovatum ecostatum laeve epicarpio duro, pappi setis plumosis, basi in annulum subcorneum deciduum concretis. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

613. Chamaepeuce stellata DC. loc. cit. p. 658.

C. foliis obverse lanceolatis integris remote spinulosis subtus albo-tomentosis, utrinque ad axillam uni-bispinosis, capitulis bracteatis sessilibus, squamis ad originem appendicis patulae callo albido intus instructis.

Syn. Carduus stellatus L. sp. p. ed. II. p. 1153. Cnicus stellatus W. sp. pl. 3. p. 1682. Cirsium stellatum Allion. fl. pedem. 1. p. 153. Rchb. fl. germ. exc. p. 285. — Icon. Triumf. obs. p. 96. opt! Barrel. icon. t. 418.

Hab. in apricis saxosis insulae Lissa prope Comisa, ubi detexit b. Portenschlag (v. sp. in herbariis Portenschl. et Host.). Floret Junio. Flores rubelli. ⊙.

CCIX. Lappa Tourn.

Inst. rei herb. p. 450. tab. 156.

Char. Involucrum globosum, squamis coriaceis basi adpressis, apice subulato corneo inflexo-uncinatis. Receptaculum setosum. Achenium oblongum compressum transverse rugosum, pappi setis liberis filiformibus scabris. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

614. Lappa major GAERTN. de fr. et sem. 2. p. 379. RCHB. fl. germ. exc. p. 288.

L. pedunculis subcorymbosis monocephalis, squamis involucri omnibus lineari-subulatis uncinatisque, interioribus concoloribus, foliis cordatis petiolatis serrulatis.

Syn. Arctium Lappa W. sp. pl. 3. p. 1631. VIS. stirp. dalm. p. 26. HOST fl. austr. 2. p. 435. PETT. bot. Wegw. n. 94. — Icon. GAERTN. loc. cit. t. 162. f. 3. LAM. illustr. pl. 665. MORIS. hist. oxon. 7. tab. 32. f. 1. DODON. pempt. p. 38. — Ilyr. Ciçak veliki. Repuhn. Repussina. Ripujak. Valjuga velika. Lopuh geraeki.

Hab. in ruderatis totius Dalmatiae. Flores purpurei, sed involucra rarius aperta. Floret aestate. ♂.

Usus. Radix hujusce plantae a pharmacopaeis Bardana dictae inter remedia diaphoretica et diuretica locum habet et adhibetur in morbis cutaneis, arthriticis, rheumaticis, siphyliticis ex aqua decocta.

615. Lappa minor DC. fl. fr. ed. 3. vol. 4. p. 77. RCHB. fl. germ. exc. p. 288.

L. pedunculis subcorymbosis polycephalis, squamis involucri omnibus lineari-subulatis uncinatisque, interioribus subcoloratis, foliis cordatis petiolatis dentatis.

Syn. Arctium minus SCHK. handb. 3. p. 49. — Icon. Sow. engl. bot. t. 1228. CAMER. epit. pl. p. 887. MATTHIOL. disc. in DIOSC. ed. 1568. p. 1213. — Illyr. Ciçak manj.

Hab. in ruderatis Dalmatiae minus frequens. Flores purpurei, praecedentis duplo minores. Floret aestate. ♂. —

Obs. Linnaeus sub suo Arctio Lappa var. α. duas hasce species commiscuit, uti ex iconibus DODONAEI et CAMERARII simul citatis aperte patet.

616. Lappa tomentosa LAM. enc. bot. 1. p. 377. RCHB. fl. germ. exc. p. 289.

L. pedunculis subcorymbosis polycephalis, squamis involucri arachnoideo-lanatis, exterioribus lineari-subulatis uncinatisque, interioribus lanceolatis recte mucronulatis obtusis coloratis, foliis cordatis petiolatis subintegerrimis.

Syn. Arctium tomentosum SCHK. handb. 3. p. 49. Arctium Bardana W. sp. pl. 3. p. 1632. HOST fl. austr. 2. p. 435. — Icon. MILL. icon. pl. tab. 159.

Hab. in ruderatis, unde misit Jos. Kargl, priore rarior. Corollae vividius purpureae. Floret aestate. ♂.

Trib. IX. Serratuleae. *DC.*

Prodr. syst. nat. 6. p. 662.

Capitula multiflora, involucri multiserialis squamis subinermibus, floribus sexu variis, omnibus quinquefidis, achenii pappo piloso aut plumoso, margine prominulo extus circumdato, setis basi liberis.

CCX. Serratula DC.

Prodr. syst. nat. 6. p. 667.

Char. Capitula homogama, aut dioica. Receptaculum paleis setiformibus indivisis. Achenium oblongum compressum laeve, nectario areolae terminalis obsoleto,

pappi setis scabridis singillatim deciduis. — Classis Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

617. Serratula tinctoria L. sp. pl. ed. II. p. 1144. Host fl. austr. 2. p. 448. Rchb. fl. germ. exc. p. 290. Alsch. fl. jadr. p. 189. Pett. bot. Wegw. n. 863.

S. foliis scabriusculis argute serratis integris pinnatifidisque, vel basi appendiculatis, capitulis oblongis corymbosis dioicis.

Icon. Sow. engl. bot. t. 38. Flor. dan. t. 281. Matthiol. disc. in Diosc. ed. 1568. p. 995. — Illyr. Sarpacz.

Usus. Succus expressus luteum colorem praebet, qui ex alluminis mixtione vividior fit.

Hab. in sylvaticis et pratis umbrosis prope Nona et inter Dernis et Verlika. Floret aestate. Flores purpurei. ♃.

618. Serratula radiata Bieb. fl. taur.-cauc. 3. p. 545. Rchb. fl. germ. exc. p. 290 et Alsch. fl. jadr. p. 188. (excl. syn. Bieb.)

S. foliis scabriusculis pectinato-pinnatipartitis, lobis integerrimis mucronatis, pedunculis elongatis monocephalis, capituli subglobosi hermaphroditi squamis mucronato-spinosis.

Syn. Carduus radiatus Waldst. et Kit. pl. hung. 1. p. 9. Pett. bot. Wegw. n. 202. (excl. syn. Bieb.) — Serratula centauroides Host fl. austr. 2. p. 449. nec alior. — Icon. W. et K. loc. cit. tab. 11. — Illyr. Gorçik.

Hab. in montosis calcareis Vellebith, Promina, Svilaja, Biokovo, Sniesniza. Flores purpurei. Floret aestate. ♃. —

Obs. Variat caule saepius simplicissimo monocephalo, vel parce ramoso, lobis foliorum omnibus aequalibus linearibus, vel terminali ovato-acuto majore, quae varietas postrema Hungariae propria in Dalmatia desideratur. Lobi autem semper integri speciem distingunt a S. centauroide L. et excludunt iconem Gmel. fl. sibir. 2. tab. 18. a cl. DC. huc relatam. S. centauroides Bieb. quae S. Gmelini DC. prodr. syst. nat. 6. p. 668, ab hac differt pappo longiore, foliis minus divisis. Conf. Gmel. fl. sibir. 2. tab. 18.

CCXI. Jurinea Cassin.

in Bull. soc. philom. 1821. p. 140.

Char. Capitula homogama. Receptaculum paleis in setas lineares partitis. Achenium obverse pyramidatum tetragonum, nectario areolae terminalis intra pappum exserto, cum ejusque setis setulosis ipsi insertis demum deciduo. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

619. Jurinea mollis DC. prod. syst. nat. 6. p. 676. Rchb. fl. germ. exc. p. 290.

J. foliis supra lanuginosis subtus albo-tomentosis, margine revolutis, sessilibus, inferioribus pectinato-pinnatifidis, lobis foliisque caeteris linearibus, caulibus subnudis monocephalis, capitulis globosis, squamis lanceolato-subulatis arachnoideo-lanatis squarrosis, acheniis rugoso-scrobiculatis.

Syn. Carduus mollis L. sp. pl. ed. II. p. 1156. Host fl. austr. 2. p. 440. Pett. bot. Wegw. n. 199. Cirsium molle Scop. fl. carn. 2. p. 126. Serratula simplex DC. diss. Compos. 3. p. 30. Alsch. fl. jadr. p. 189. Serratula cyanoides Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 379 (excl. syn.). — Icon. Jacq. fl. austr. 1. tab. 18. Curt. bot. mag. t. 2482. Gaern. de fr. et sem. 2. tab. 162. f. 4. Clus. hist. pl. V. p. 150. ic. —

Var. β. moschata: foliis integris pinnatifidisque lobo terminali longiore, squamis involucri tomentoso-lanatis. — Syn. Carduus moschatus Guss. ind. sem. H.

Boccadif. 1825. p. 3. C. mollis var. moschatus Ten. fl. nap. prodr. p. 48. Jurinea moschata DC. prodr. syst. nat. 6. p. 677.

Hab. in apricis campestribus circa Smilcich, Carin et in pascuis montium Velebith, Mossor, Biokovo, Vlastiza. Flores purpurei caryophyllum olent, tota planta moschum. Floret a Majo in aestatem. ♃. —

Obs. In var. β. folia saepius indivisa lanceolato-linearia, nunc omnia radicalia, nunc etiam per caulem sparsa. Odorem moschi orientalis etiam speciei proprium esse notavit jam cl. Host loco citato. Achenium acute tetragonum, lateribus seriatim, et longitudinaliter rugoso-scrobiculatis, apice limbo brevissimo tetragono acute denticulato coronatum; intra quem pappus setis valde inaequalibus, exterioribus brevioribus, intimis 2—3 longioribus rigidioribus strictis, omnibus superne setulis brevibus subplumosis. Hae setae basi adhaerent nectario centrali columnari, apice impresso-concavo, lineam dimidiam longo, et intra pappum exserto, qui fructus maturitate decidit cum setis ipsi adhaerentibus, quo fit ut setae reapse inter se liberae, ob nectarium, quo conjunguntur, basi connexae videantur.

SUBORDO II. CORYMBIFERAE. *Vaill.*

in Hist. de l'Acad. des Scienc. Paris 1719. p. 277.

Capitula discoidea, vel radiata. Stylus floris hermaphroditi superne cylindricus.

Trib. X. Eupatoriaceae. *Less.*

Syn. gen. compos. p. 154.

Stylus floris hermaphroditi ramis subclavatis a basi puberulis. Antherae appendice rotundata apice instructae, basi ecaudatae.

CCXII. Eupatorium. L.

Gen. pl. ed. II. p. 300.

Char. Involucrum cylindricum. Flosculi omnes tubulosi hermaphroditi, pauci. Achenium quinque-angulatum, pappo uniseriali piloso scabro. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

620. Eupatorium cannabinum L. sp. pl. ed. II. p. 1173. Host fl. austr. 2. p. 452. Rchb. fl. germ. exc. p. 278. Alsch. fl. jadr. p. 191. Pett. bot. Wegw. n. 380.

E. caule herbaceo scabro, foliis petiolatis 3—5partitis, laciniis lanceolatis serratis, intermedia longiore, cyma corymbosa, involucris 5—6floris basi brevissime calyculatis.

Icon. Flor. dan. tab. 745 Engl. bot. t. 428. Blackw. herb. t. 110. — Illyr. Meka, Turicza mala Rassodnik, Groznicznicza. —

Var. indivisa: foliis lanceolatis serratis.

Hab. in aquosis et fossis totius Dalmatiae vulgare. Flores purpurascentes. Floret aestate. ♃.

Usus. Herba decocta contra febres intermittentes utiliter propinatur.

CCXIII. Tussilago. Tourn.

Inst. rei herb. p. 487. tab. 276.

Char. Involucrum ovatum. Flosculi radii pluriseriales ligulati, integri, foeminei; disci pauci tubulosi 5—dentati hermaphroditi exovulati. Achenia radii oblonga pappo setaceo pluriseriali, disci abortiva setis uniserialibus. — Class. Syngenesia Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

621. Tussilago Farfara L. sp. pl. ed. II. p. 1214. Vis. stirp. dalm. p. 50. Host fl. austr. 3. p. 471. Rchb. fl. germ. exc. p. 240. Alsch. fl. jadr. p. 192. Pett. bot. Wegw. n. 980.

Icon. Sow. engl. bot. t. 429. Flor. dan. t. 595. Gaertn. de fr. et sem. 2. tab. 170. Blackw. herb. t. 204. — Illyr. Kopitnjak. Konjsko Kopitto.

Hab. in argillosis totius Dalmatiae frequens. Floret jam a Januario in Aprilem. Flores flavi. ♃. —

Obs. Herba scapo monocephalo, squamis adpressis tecto, tomentoso; foliis radicalibus cordatis angulatis, subtus plus minus canescentibus, hysteranthiis.

CCXIV. Adenostyles Cassin.

in Bullet. soc. philom. *1816.* p. 198.

Char. Involucrum cylindricum. *Flosculi omnes tubulosi quinque-dentati hermaphroditi. Achenia striata pappo pluriseriali piliformi scabro.* — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

622. Adenostyles alpina Bl. et Fing. compend. 2. p. 329. Rchb. fl. germ. exc. p. 278.

A. foliis reniformi-cordatis petiolatis dentatis scabris, subtus ad venas pubescentibus, capitulis tri-sexfloris. —

Syn. A. glabra DC. prodr. syst. nat. 5. p. 203. Cacalia alpina *β.* L. sp. pl. II. p. 1170. C. alpina Host fl. austr. 2. p. 451. C. glabra Vill. hist. des pl. 3. p. 170. — Icon. Jacq. fl. austr. tab. 234. Lobel. icon. stirp. p. 592. f. 1.

Hab. in subalpinis ad Vella Pakleniza montium Vellebith, ubi legit prof. Alschinger. Flores purpurascentes. Floret aestate. ♃.

CCXV. Petasites Tourn.

Instit. rei herb. p. 541. tab. 258.

Char. Involucrum ovatum. Capitula subdioica, mascula flosculis foemineis uniserialibus filiformibus oblique trancatis radiata; foeminea flosculis hermaphroditis exovulatis tubulosis quinquedentatis paucissimis in centro praedita. Achenium cylindricum, pappo piloso. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

623. Petasites officinalis Moench. meth. pl. 568. 1894.

P. foliis cordatis inaequaliter dentatis subtus canescentibus, lobis baseos approximatis rotundatis, capitulis thyrsoideis.

Hermaphroditus: thyrso ovato, pedicellis simplicibus. — Syn. Tussilago Petasites L. sp. pl. ed. II. p. 1215. Vis. stirp. dalm. p. 50. Host fl. austr. 2. p. 472. Petasites vulgaris Desf. fl. atl. 2. p. 270. Rchb. fl. germ. exc. p. 279. — Icon. Flor. dan. tab. 842. Sow. engl. bot. t. 431. Lam. illustr. des genr. t. 674. f. 1. 2. Bull. herb. de la Fr. t. 391.

Foemineus: thyrso oblongo, pedicellis simplicibus ramosisque. — Syn. Tussilago hybrida L. sp. pl. ed. II. p. 1214. Host fl. austr. 2. p. 472. Petasites vulgaris foem. Rchb. l. c. — Icon. Sow. engl. bot. t. 430. Dill. h. eltham. tab. 230.

Hab. in pratis humidis, locis sylvaticis in Kninskopolje. Flores albidi. Floret aestate. ♃.

Trib. XI. Asterineae. *

Stylus floris hermaphroditi ramis linearibus extus superne aequabiliter et minute puberulis. Antherae appendice oblonga angusta apice instructae, basi ecaudatae.

Sect. I. Astereae.

Capitula radiata, ligulis discoloribus.

Clavis analytica generum.

Acheniis papposis . . .	vid. Nr. 1	Acheniis omnibus calvis.	Bellis.
1. Receptaculo plano foveolato . - -	2	Receptaculo conico tuberculato.	Bellidastrum.
2. Flosculis radii fertilibus . . - -	3	Flosculis radii sterilibus.	Galatella.
3. Flosculis radii uniserialibus. Aster.		Flosculis radii pluriserialibus.	Erigeron.

CCXVI. Bellidastrum Michel.

Nov. gen. plant. p. 32. tab. 29.

Char. Involucri squamae uni-biseriales. Receptaculum conicum verrucis flexuosis maturitate vermiculatum. Flosculi radiales ligulati biseriales foeminei steriles. Achenia pappo uniseriali. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

624. Bellidastrum Michelii Cassin. dict. sc. nat. 4. suppl. p. 70. Rchb. fl. germ. exc. p. 233.

Syn. Doronicum Bellidiastrum L. sp. pl. ed. II. p. 1247. Arnica Bellidiastrum W. sp. pl. 3. p. 2109. Host fl. austr. 2. p. 490. Pett. bot. Wegw. n. 102. Aster Bellidastrum Scop. fl. carn. 2. p. 168. — Icon. Putterl. et Endl. in Nees gen. pl. fasc. 22. n. 11. Jacq. fl. austr. t. 400. Camer. epit. p. 654. Michel. l. c. tab. 29.

Hab. in devexitatibus, locisque umbrosis udis montis Biokovo. Floret Majo, Julio. Flores radii albi, aut rubelli. ♃. —

Obs. Herba puberula, radice repente, foliis omnibus radicalibus obovatis petiolatis dentatis, aut subintegris, scapo villoso monocephalo. Prae notis allatis, ab Astere, cui magis affinis, eximie differt receptaculo fructifero conico eminentiis albidis tuberculiformibus, et versus ejusdem apicem flexuosis, ideoque vermiformibus exasperatum. Tale receptaculum vero hactenus a nullo, quod sciam, visum aut saltem descriptum, ante acheniorum maturitatem areolas exhibet rotundas albidas, nec impressas nec prominulas, et tali statu observatum dici potest punctatum, ut factum fuit a cl. DC. Maturitate vero areolae deprimuntur, earumque interstitiia elevantur. Bellidastri nomen quale illud scripsit Michelius et postea Scopolius, nec Bellidiastrum, ut Linnaeus et reliqui, a Linnaeo antea et serius a cl. Gaudin barbarum habitum, strenue defendit illustr. Haller in Opusc. bot. p. 176, ipsum felici connubio praedicans ortum ex Astere, cujus notas praecipuas habet, et Bellide cujus faciem refert, cujusque nomen antiquitus gesserat.

CCXVII. Aster L.

Gen. pl. ed. II. p. 308. (excl. specieb.)

Char. Involucri squamae pluriseriales. Receptaculum planum alveolatum, alveolis marginatis. Flosculi radiales ligulati uniseriales foeminei fertiles. Achenia pappo pluriseriali. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

625. Aster Amellus L. sp. pl. ed. II. p. 1226. Host fl. austr. 2. p. 486. Rchb. fl. germ. exc. p. 246. Alsch. fl. jadr. p. 197. Pett. bot. Wegw. n. 130.

A. scabro-pubescens, caule apice corymboso, foliis oblongo-lanceolatis acutis subtriplinerviis integris serratisque, inferioribus ovali-spathulatis obtusis, involucri squamis obtusis ciliatis patulis.

Syn. Aster Amellus β. latifolius DC. prodr. syst. nat. 5. p. 231. A. pseudo-Amellus DC. fl. fr. supp. p. 469. A. Amelloides Rchb. fl. germ. exc. p. 246. — Icon. Spenn. in Nees. gen. germ. XXII. n. 12. Botan. reg. t. 340. Dodon. pempt. p. 266. f. 1. Clus. hist. pl. IV. p. XVI. f. sup. ead. ac Dodon.

Hab. in apricis humilioribus montium Vellebith et Dinara. Floret aestate. Flores caerulei. ♃. —

Obs. Folia radicalia variant reliquis majora aut aequalia, serrata vel integra; omnia minus pubescentia et tunc evidentius venosa, vel e contra: corymbus nunc divaricatus, nunc arrectus, involucri squamis patulis, vel squarrosis. Icones Dodonaei et Clusii a Linnaeo ipso pro sua specie citatae nostram bene exhibent.

626. Aster Tripolium L. sp. pl. ed. II. p. 1227. Vis. stirp. dalm. p. 27. Host fl. austr. 2. p. 487. Rchb. fl. germ. exc. p. 247. Alsch. fl. jadr. p. 197. Pett. bot. Wegw. n. 131.

A. glabrum, caule apice corymboso, foliis subcarnosis integris, inferioribus oblongo-lanceolatis, superioribus lineari-lanceolatis, involucri squamis adpressis glabris, interioribus obtusis longioribus.

Syn. Tripolium vulgare Nees gen. et sp. Aster. p. 153. Putterl. et Endl. in Nees gen. pl. german. fasc. XXII. n. 14. — Icon. Putterl. et Endl. loc. cit. Sow. engl. bot. t. 87. Flor. dan. t. 615. Roem. flor. europ. fasc. V.

Hab. in paludosis salsis circa Carin, Traù, Spalato, Narenta, Ragusa, et in insula Pago. Floret ab aestate in autumnum. Flores in radio lilacini. ♃.

Obs. Ludit foliis latioribus et angustioribus, margine laevibus, aut serrulato-scabris. Series squamarum involucri plures in Tripolio, ut in Astere, sed remotiores in illo et jam secus pedunculi apicem incipientes: quae sola nota ad plantam hanc a simillimis Asteribus generice dissociandam sane impar.

CCXVIII. Galatella Cassin.

Dict. sc. nat. vol. 37. p. 463.

Char. Involucri squamae pluriseriales. Receptaculum planum alveolatum. Flosculi radiales ligulati uniseriales steriles. Achenia radii effoeta, omnia pappo pluriseriali. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia frustranea Syst. sex. —

627. Galatella cana Nees gen. et sp. aster. p. 163. Putterl. et Endl. in Nees gen. pl. germ. fasc. XXII. n. 13.

G. foliis oblongo-lanceolatis mucronatis trinerviis punctatis margine scabris, caule superne corymboso, ramis virgatis, involucri squamis exterioribus carinatis acutis, interioribus obtusis margine et apice membranaceis.

Syn. Aster canus Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 1. p. 28. Host fl. austr. 2. p. 486. Rchb. fl. germ. exc. p. 247. — Icon. Putterl. et Endl. l. c. opt! Waldst. et Kit. l. c. tab. 30.

Hab. in fruticetis sylvaticis montis Sniesniza prope Ragusa, ubi legit Neumayer. Flosculi radii lilacini. Floret Augusto Septembri. ♃. —

Obs. Nostra differt paullisper a planta hungarica pube rariore, aut solummodo superiorem plantae partem tegente, nec unquam tomentum constituente, et corymbo paucifloro, nec divaricato. Quoad squamarum formam extimae tantum acutae sunt, at caeterae obtusae et toto ambitu membranaceae, ut jam descripsere clarissimi speciei detectores.

CCXIX. Erigeron L.

Gen. pl. ed. II. p. 307. (excl. spec.)

Char. Involucri squamae pluriseriales. Receptaculum planum foveolato-punctatum. Flosculi radiales angustissime ligulati pluriseriales foeminei fertiles. Achenia pappo uniseriali. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex.

628. Erigeron alpina L. sp. pl. ed. II. p. 1211. Host fl. austr. 2. p. 484. Rchb. fl. germ. exc. p. 248.

E. caule mono-oligocephalo, foliis lanceolatis integris, inferioribus longe petiolatis oblongis, superioribus semiamplexicaulibus, flosculis radii patentibus disco duplo longioribus.

Syn. Erigeron glabratum Hopp. et Hornsch. pl. exs. — Icon. Engl. bot. tab. 464.

Hab. in convallibus editioribus montium Vellebith, Dinara, Prologh. Flosculi radii lilacini. Floret Julio, Augusto. ♃. —

Obs. Variat hirsuta, vel apud nos glabriuscula et caule simplici, vel ramoso. E. uniflorum L. sp. pl. ed. II. p. 1211 et Flor. Lappon. tab. 9. f. 3. a forma simplici E. alpinae sola involucri lanugine diversum huc quoque referri potest. Vox Erigeron generi foeminino pertinet ex Plin. hist. mund. Basil. 1549. p. 468. lin. 16, nec neutro ut Linnaeus, aut masculino ut alii arbitrantur.

629. Erigeron acris L. sp. pl. ed. II. p. 1211. Vis. stirp. dalm. p. 34. Host fl. austr. 2. p. 484. Rchb. fl. germ. exc. p. 239. Alsch. fl. jadr. p. 195. Pett. bot. Wegw. n. 366.

E. caule superne racemoso demum corymboso ramis submonocephalis, foliis lanceolatis integris, inferioribus longe petiolatis spathulato-oblongis, superioribus semiamplexicaulibus, flosculis radii discum subaequantibus.

Icon. Sow. engl. bot. t. 1158. Flor. dan. t. 874. Columm. ecphr. 2. p. 26. f. 2.

Hab. in apricis, et ad vineas circa Zara, Sebenico, Dugopolje et in insula Lesina. Flosculi radii albidi. Floret aestate. ♂.

630. Erigeron canadensis L. sp. pl. ed. II. p. 1211. Vis. stirp. dalm. p. 34. Host fl. austr. 2. p. 484. Rchb. fl. germ. exc. p. 239. Alsch. fl. jadr. p. 195. Pett. bot. Wegw. n. 367.

E. caule paniculato ramosissimo, ramis ramulisque racemosis, foliis lineari-lanceolatis utrinque attenuatis setoso-ciliatis, infimis parce serratis, flosculis radii disco brevioribus.

Icon. Flor. dan. t. 1274. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 20. f. 29.

Hab. in agris et cultis totius Dalmatiae frequens. Floret aestate. Flosculi radii albidi. ☉. —

CCXX. Bellis L.

Gen. pl. ed. II. p. 313.

Char. Involucri squamae aequales biseriales. Receptaculum conicum tuberculatum. Flosculi radiales ligulati uniseriales, foeminei fertiles. Achenia plana obovata marginata calva. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex.

631. Bellis perennis L. sp. pl. ed. II. p. 1248.

B. foliis obovatis petiolatis trinerviis crenatis subradicalibus, involucri squamis obtusis.

Var. α. sylvestris: major, hirta, foliis obovato-oblongis. — Syn. B. sylvestris Cyrill. pl. rar. neap. 2. p. 22. Vis. stirp. dalm. p. 27. Rchb. fl. germ. exc. p. 233. Alsch. fl. jadr. p. 198. Pett. bot. Wegw. n. 150. B. hirta Host. fl. austr. 2. p. 501. B. perennis χ Bertol. amoen. ital. p. 411. — Icon. Cyrill. loc. cit. tab. 4. Sims. bot. mag. tab. 2511. Dodon. pempt. p. 265. f. 1. — Illyr. Krasuljak. Ovçicza.

Var. β. pratensis: glabriuscula, aut hirta, foliis obovato-spathulatis. — Syn. B. perennis Vis. stirp. dalm. p. 27. Host fl. austr. 2. p. 501. Rchb. fl. germ. exc. p. 233. Alsch. fl. jadr. p. 198. Pett. bot. Wegw. n. 149. — Icon. Engl. bot. t. 424. Flor. danic. tab. 503. Blackw. herb. t. 200. — Illyr. Krasuljak manji.

Var. γ. annua: minor, hirta, interdum caulescens, foliis obovatis, radice exiliori. — Syn. B. annua L. sp. pl. ed. II. p. 1249. Rchb. fl. germ. exc. p. 233. — Icon. Sims. bot. mag. tab. 2174. opt!

Hab. var. α. in saxosis et dumetis totius Dalmatiae frequens: β. in pascuis et graminosis circa Zara, Traù, Spalato et insula Lesina: γ. in herbidis circa Ragusa, Stagno et in insula Mezzo. Florent toto anno. Flores albi, aut ex toto, aut partim kermesini. ♃. vel ⊙? —

Obs. Planta plurium stationum incola ideoque mire polymorpha. Ludit radice repente, praemorsa, fibrosa, perenni, vel annua; hirta, pilosiuscula aut glabra; acaulis, vel caulescens, quo in casu est vel B. hybrida Tenor. syll. fl. neap. p. 436. si robustior, vel B. annua L. si macrior et gracilior: foliis oblongis, vel oblongo-obovatis, vel spathulatis, crenatis, dentato-mucronatis, vel integris; squamis calycinis oblongis apice rotundatis, vel apice attenuatis et obtusis, vel acutiusculis, ciliatis, vel pilis albis apice barbatis. Folia semper trinervia sunt, sed saepius nervi laterales tenuiores. Quo characterum, saepe in eadem planta, mutabilitate perpensa, quo fit ut minime pro specificis haberi possunt, et speciminibus innumeris, quae juxta locorum diversitatem harum specierum alteram in alteram transire probant accurate collatis, arbitror B. sylvestrem Cyr. formam esse vegetiorem, B. annuam L. formam exiliorem B. perennis.

Sect. II. Solidagineae.

Capitula radiata, ligulis disco concoloribus.

CCXXI. Solidago L.

Gen. pl. ed. II. p. 307.

Char. Involucri squamae pluriseriales. Receptaculum alveolatum planum. Flosculi radiales oblongo-ligulati uniseriales foeminei fertiles. Achenia teretiuscula multicostata, pappo uniseriali. Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

632. Solidago Virgaurea L. sp. pl. ed. II. p. 1235. Host fl. austr. 2. p. 488. Rchb. fl. germ. exc. p. 245. Alsch. fl. jadr. p. 197.

S. caule erecto, apice racemoso, aut stricte paniculato, ramis floriferis erectis, foliis inferioribus ovatis ellipticisve in petiolum alatum angustatis serratis, superioribus ovali-lanceolatis acuminatis subsessilibus integris.

Icon. Spenn. in Nees gen. pl. germ. fasc. XXII. n. 15. Engl. bot. t. 301. Flor. dan. tab. 663. Dodon. pempt. p. 142. f. 2. J. Bauh. hist. pl. 2. p. 1062. f. 3.

Var. β. integrifolia: foliis omnibus conformibus lanceolatis integris. — Icon. Dodon. pempt. p. 142. f. 1. Matthiol. disc. in Diosc. ed. 1568. p. 1060.

Hab. in collibus, montibus, locisque sylvaticis totius Dalmatiae montanae frequens. Flores lutei. Floret aestate. ♃.

Sect. III. Conyzeae.

Capitula discoidea.

CCXXII. Chrysocoma L.

Gen. pl. ed. II. p. 299.

Char. Involucri squamae pluriseriales herbaceae. Receptaculum alveolatum planum, alveolis marginatis. Flores omnes hermaphroditi fertiles profunde quinquefidi. Pappus uniserialis scaber. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

633. Chrysocoma Linosyris L. sp. pl. ed. II. p. 1178. Vis. stirp. dalm. p. 31. Host fl. austr. 2. p. 453. Rchb. fl. germ. exc. p. 235. Alsch. fl. jadr. p. 192.

C. foliis linearibus impunctatis glabris margine serrulato-scabris, capitulis corymbosis, squamis involucri laxis.

Syn. Linosyris vulgaris Cass. DC. prod. syst. nat. 5. p. 352. Crinitaria Linosyris Less. syn. gen. comp. p. 195. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. germ. fasc. XXII. n. 16. Allion. fl. pedem. tab. 11. f. 2. Engl. bot. t. 2505. Lam. illustr. des. genr. 698. f. 1. Lobel. icon. stirp. p. 409. f. 1.

Hab. in apricis et pascuis argillosis circa Zara, Sebenico, Slivno, Spalato, Salona et in insula Lesina. Floret Majo. Flores lutei. ♃. —

Obs. Genus Linosyris solis pappi setis copiosioribus, nec tamen binas distinctas series constituentibus, a Chrysocoma differt. Involucrum foliaceum in Linosyride vulgari, haud tale in L. villosa, ideoque minime genericum. Receptaculum est profunde alveolatum, alveolis marginatis etiam in Ch. Coma aurea.

CCXXIII. Phagnalon Cassin.

Bull. de la soc. philom. 1819. p. 174.

Char. Involucri squamae pluriseriales scariosae. Receptaculum tuberculatum planum. Flores marginales filiformes, foeminei saepe abortivi, centrales quinquedentati hermaphroditi fertiles. Pappus uniserialis scaber. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

634. Phagnalon rupestre DC. prodr. syst. nat. V. p. 396.

P. suffruticosum, caule basi procumbente, ramis albo tomentosis, foliis oblongo-linearibus undulatis subdentatis, basi dilatata amplexicaulibus, supra araneosis subtus tomentosis, pedunculis elongatis aphyllis monocephalis, involucri campanulati glabri squamis rigidis obtusis planiusculis.

Syn. Conyza rupestris L. mant. pl. 1. p. 113. Conyza saxatilis Host! fl. austr. 2. p. 469. Alsch. fl. jadr. p. 195. non W. C. geminiflora Tenor. cat. h. neap. 1819. p. 75. Pett. bot. Wegw. n. 284. — Icon. Tenor. fl. napol. tab. 77.

Hab. in rupestribus apricis montium Vellebith, Marljan, in insula Lesina et circa Ragusa. Flores lutei. Involucra testacea. Floret aestate. ♄. —

Obs. Affinis Ph. saxatili Cass. a quo differt praecipue squamis involucri duris nec membranaceis, planis nec undulatis, obtusis nec acuminatis. —

Trib. XII. Tarchonantheae. *Less.*

Syn. gen. compos. p. 205.

Stylus floris hermaphroditi ramis linearibus extus superne aequaliter et minute puberulis. Antherae appendice oblonga apice instructae, basi caudatae. Capitula discoidea.

CCXXIV. Evax Gaertn.

De fr. et sem. 2. p. 393.

Char. Involucri squamae uni-biseriales scariosae ovales acuminato-aristatae. Receptaculum elongatum subulatum scarioso-paleaceum, apice nudum. Flores inferiores foeminei *fertiles corolla filiformi, supremi masculi steriles corolla conica*, omnes quadri-dentati. *Achenia obovata compressa calva.* — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia *necessaria* Syst. sex. —

635. Evax pygmaea Pers. syn. pl. 2. p. 422. Pett. bot. Wegw. n. 400.

E. subacaulis, incana, foliis floralibus oblongo-obovatis obtusis, omnibus externe capitulorum glomerulum involucrantibus.

Syn. Filago pygmaea L. sp. pl. ed II. p. 1311. Host fl. austr. 2. p. 467. Rchb. fl. germ. exc. p. 219. Evax umbellata Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 393. Gnaphalium pygmaeum Lam. enc. bot. ed. Pat. 2. p. 752. — Icon. Putterl. et Endl. in Nees gen. pl. germ. fasc. XXIII. n. 19. Lam. illustr. des genr. 694. f. 1. Gaertn. l. c. tab. 165. f. 5. Barrel. icon. pl. t. 127. n. IV.

Hab. in apricis et siccis insulae Veglia et Lesina, ad Botticelle et San Stefano prope Spalato, copiosius circa Ragusa. Flores sordide paleacei. Floret Majo, Junio. ⊙.

CCXXV. Micropus L.

Gen. pl. ed. II. p. 326.

Char. Involucri squamae biseriales, interioribus flores fructusque obvolventibus. Receptaculum planum nudum foveolatum. Flores marginales uniseriales foeminei fertiles, corolla filiformi germini lateraliter imposita: centrales masculi steriles corolla conica verticali, utraque quinquedentata. Achenia compressa obovata calva cum involucri squamis obvolventibus et demum auctis decidua. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia necessaria. Syst. sex. —

636. Micropus erectus L. sp. pl. ed. II. p. 1313. Vis. stirp. dalm. p. 41. Host fl. austr. 2. p. 468. Rchb. fl. germ. exc. p. 219. Alsch. fl. jadr. p. 194. Pett. bot. Wegw. n. 617.

M. niveo-lanatus, foliis oblongo lanceolatis obtusiusculis, axillaribus terminalibusque aggregatis, involucri squamis convexis inermibus.

Icon. Putterl. et Endl. in Nees gen. pl. germ. fasc. XXIII. n. 18. Lam. illustr. des genr. 694. f. 2. Loeffl. it. hisp. tab. 1. f. 3.

Hab. in apricis, saxosis, collinis circa Zara, Sebenico, Capocesto, Spalato et in sylvaticis circa Verpolje, nec non in insula Lesina. Floret a Junio ad Septembrem. ⊙. —

Obs. Micropus supinus Host fl. austr. 2. p. 462. ex loco huc potius pertinere videtur.

Trib. XIII. Inuleae. *Cassin.*

Ann. scienc. nat. 1829. p. 20.

Stylus floris hermaphrodite ramis linearibus extus superne aequaliter et minute puberulis. Antherae appendice lanceolata apice instructae, basi caudis setaceis. Capitula radiata, ligulis concoloribus. Receptaculum undique, aut centro nudum.

CCXXVI. Inula L.

Amoen. acad. 1. p. 136.

Char. Involucri squamae pluriseriales. Receptaculum planiusculum foveolatum alveolatumve. Flores radii foeminei vel abortientes, corolla ligulata: disci hermaphroditi fertiles corolla tubulosa quinquedentata. Achenia pappo uniseriali setaceo. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua. Syst. sex. —

Sect. I. Corvisartia.

Merat. fl. paris. 2. p. 261.

Squamis involucri late ovatis foliaceis, interioribus apice dilalatis.

637. Inula Helenium L. sp. pl. ed. II. p. 136. Host fl. austr. 2. p. 488. Rchb. fl. germ. exc. p. 238.

I. foliis inaequaliter dentato-serratis subtus tomentosis, radicalibus elliptico-oblongis in petiolum attenuatis, caulinis subcordato-amplexicaulibus, acheniis glabris.

Syn. Corvisartia Helenium Merat. loc. cit. Aster Helenium Scop. fl. carn. 2. p. 171. — Icon. Flor. danic. t. 728. Sow. engl. bot. t. 1546. Blackw. herb. tab. 473. Fuchs. hist. stirp. p. 242. — Illyr. Oman. Veliko zelje. Tusti Koren. Ovnak. —

Hab. in pascuis humidis et ad aquas prope Verlika et Ragusa. Flores hujus et totius generis lutei. Floret aestate. ♃.

Usus. Radix magna amara aromatica sub Enulae Campanae nomine a medicis adhibetur in stomachi imbecillitate, catarrho pulmonum et vesicae, diarrhoea serosa, sub forma pulveris, decocti, extracti et tincturae.

Sect. II. Bubonium DC.

Prodr. syst. nat. 5. p 464.

Squamis lanceolatis linearibusve, interioribus acuminatis.

*acheniis glabris.

638. Inula Conyza DC. prodr. syst. nat. 5. p. 464.

I. velutina, caule ramoso, ramis polycephalis corymbosis, foliis denticulatis, radicalibus elliptico-lanceolatis in petiolum attenuatis, caulinis elliptico-oblongis sessilibus, involucri squamis lanceolatis adpressis apice patulis, corollis radii subligulatis, acheniis glabris.

Syn. Conyza squarrosa L. sp. pl. ed. II. p. 1205. Vis. stirp. dalm. p. 32. Host fl. austr. 2. p. 469. Rchb. fl. germ. exc. p. 355. Alsch. flor. jadr. p. 195. Pett. bot. Wegw. n. n. 285. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. germ. fasc. XXII. n. 19. Flor. danic. tab. 622. Lam. illustr. des genr. 697. f. 1. Blackw. herb. t. 102. — Illyr. Bùscina.

Hab. in siccis, sterilibus, ad agrorum margines circa Zara, Sebenico, Traù, Salona, Ragusa, Budua et in insulis. Floret aestate. ♂ et ♃. —

Obs. Sola corollarum radialium forma, quarum limbus ob margines conniventes fere campanulatus videtur, ab Inula discrepat; a Conyzis autem distinguitur antheris bisetis.

639. Inula hirta L. gen. pl. ed. II. p. 1239. Host fl. austr. 2. p. 491. Rchb. fl. germ. exc. p. 238. Alsch. fl. jadr. p. 196. Pett. bot. Wegw. n. 505.

I. piloso-hirta, caule simplici monocephalo, foliis rigidis ovalibus, aut oblongo-lanceolatis subserrulatis venosis sessilibus, infimis basi attenuatis, involucri squamis lanceolato-acuminatis, acheniis glabris costatis.

Syn. Aster hirtus Scop. fl. carn. 2. p. 173. — Icon. Scop. l. c. tab. 58. Jacq. fl. austr. tab. 358.

Hab. locis asperis collium et montium supra Obbrovazzo, Traù, Sign, Duare, Almissa, Ragusa, Cattaro, Budua, Stagnevich. Floret aestate. ♃.

640. Inula semiamplexicaulis Reut. in mém. soc. Genev. 7. p. 169.

I. caule ramoso-corymboso villoso, foliis rigidis oblongo-lanceolatis acutis serratis ciliatis scabris, supra glabris, subtus villosis, infimis basi attenuatis, caeteris semiamplexicaulibus, involucri squamis acutis, exterioribus oblongo-lanceolatis foliaceis, intimis linearibus, acheniis glabris costatis.

Syn. Inula Vaillantii Vis. stirp. dalm. spec. p. 38. nec Vill. — Icon. Reut. mém. soc. Genev. l. c. —

Hab. ad agrorum margines circa Sebenico et in sylva Bossanka prope Ragusa. Floret aestate. ♃. —

Obs. Affinis I. squarrosae, I. salicinae et I. Vaillantii et probabiliter hybrida: differt ab omnibus caule et foliorum dorso villosis lanuginosis, quae in prioribus glabra sunt, in postrema pube brevi, cinerea, tomentosa obtecta.

641. Inula squarrosa L. sp. pl. ed. II. p. 1240. Vis. stirp. dalm. p. 38. Host fl. austr. 2. p. 491. Rchb. fl. exc. p. 238. Alsch. fl. jadr. p. 196. Pett. bot. Wegw. n. 507.

I. caule glabro apice subcorymboso, foliis rigidis ovalibus oblongisve acutis margine glanduloso-serratis scabris ciliatis, subtus glabriusculis, infimis basi attenuatis, caeteris sessilibus basi rotundatis, involucri squamis ovatis acutis glabris ciliatis, exterioribus patulis sensim brevioribus, acheniis glabris.

Syn. I. spiraeifolia L. sp. pl. ed. II. p. 1238. I. Bubonium Murr. syst. veg. p. 767. Host fl. austr. 2. p. 492. Rchb. fl. germ. exc. p. 238. Pett. bot. Wegw. n. 501. Aster Bubonium Scop. fl. carn. 2. p. 173. — Icon. Scop. fl. carn. 2. tab. 58. f. 1. Jacq. fl. austr. append. t. 19. I. Bauh. hist. pl. 2. p. 1049. f. super. Pluken. alm. tab. 16. f. 1.

Hab. in saxosis, collinis circa Zara, Sebenico, Traù, Spalato, Ragusa et Cattaro, nec non in insulis copiose. Floret aestate. ♃. —

Obs. Inula spiraeifolia L. non differt ab I. squarrosa nisi capitulis densius corymbosis ut in icone Bauh., quae in apice caulis subsimplicis fere solitaria sunt in hac ultima in Dalmatia rariore: sunt vero unius speciei formae nullo constanti limite coercendae. Variat haec quoque foliis oblongis, vel late ovalibus, squamis involucri margine ciliatis, aut scabris.

Usus. Extractum hujusce plantae a Dalmatis Astro montano vocatae utiliter vulgo adhibetur in morsu reptilium venenosorum, canum rabie laborantium scorpionumque, nec non in doloribus cujusque generis. Cave ne confundas cum Astro montano Italorum, de cujus vi medica primus sermonem habuit cl. Vallisnerius, et est Buphthalmum salicifolium L., cujus tamen nullus apud Dalmatas usus.

642. Inula salicina L. sp. pl. ed. II. p. 1238. Host fl. austr. 2. p. 491. Rchb. fl. exc. p. 238. Alsch. fl. jadr. p. 196.

I. caule glabro, apice corymboso, foliis rigidis lanceolatis, aut ovali-lanceolatis acuminatis, margine ciliatis subserrulatis scabrisve, utrinque glabris, sessilibus,

superioribus cordato-amplexicaulibus, involucri squamis foliaceis lanceolatis acutis glabris ciliatis, acheniis glabris.

Icon. Flor. danic. t. 786. Clus. hist. IV. p. 15. f. 1. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 21. f. 10.

Var. *β.* latifolia DC. syst. nat. prodr. 5. p. 466: foliis ovato-lanceolatis.

Hab. in montibus circa Ragusa, ad Vieterno Gumno et Pastrovichio. Floret aestate. ♃. —

Obs. Tres supra dictae species ob characterum levitatem et mutabilitatem aegre ab invicem distinguuntur. Forma latifolia et pauciflora I. salicinae I. squarrosam refert; forma villosa hujus Inulam amplexicaulem. Folia saepius erecta in duabus prioribus, recurva aut patentia in I. salicina, sunt interdum erecta et in hac, apice patentia in illis: horum margines saepius integri in I. salicina, non raro serrulati sunt et dentes glandula terminantur in hac quoque. Folia superiora subcordata in I. salicina, interdum talia sunt et in reliquis. Squamae involucri nunc appendicem exhibent longiorem et lanceolatam, nunc breviorem et ovatam promiscue in eadem specie. An igitur reapse diversae?

643. Inula ensifolia L. sp. pl. ed. II. p. 1240. Host fl. austr. 2. p. 492. Rchb. fl. germ. exc. p. 238. Alsch. fl. jadr. p. 195. Pett. bot. Wegw. n. 504.

I. glabra, aut lanuginosa, caule subsimplici, foliis rigidis linearibus acuminatis calloso-mucronatis integris multinerviis, margine lanatis aut scabris, capitulis bracteatis, involucri squamis foliaceis lanceolatis discum aequantibus, achenis glabris costatis.

Icon. Jacq. fl. austr. 2. tab. 162. Boccon. mus. piant. rar. tab. 18.

Hab. in asperis apricis montium Vellebith, Promina, Dinara, Mossor, Prologh, Sniesniza. Floret aestate. ♃.

** acheniis hirtis.

644. Inula candida Cassin. dict. sc. nat. 23. p. 554. Rchb. fl. germ. exc. p. 237.

I. dense candido-tomentosa, caulibus simplicibus, peduncunculis incrassatis monocephalis axillaribus terminalibusque, foliis petiolatis crenatis, radicalibus elliptico-oblongis, caulinis ovatis, capitulis foliatis, involucri squamis exterioribus obtusissimis, corollis radii ligulatis tridentatis, achenii costati apice setoso-barbati pappo pauciseto.

Syn. Conyza candida L. sp. pl. ed. II. p. 1208. Tenor. fl. napol. 210—11. Vis. stirp. dalm. p. 32 et 54. Alsch. fl. jadr. p. 194. Pett. bot. Wegw. n. 285. Conyza verbascifolia W. sp. pl. 3. p. 1924. Inula candida *α* DC. prodr. syst. nat. 5. p. 464. — Icon. Tenor. fl. napol. t. 76. Zanon. rar. stirp. hist p. 43. t. 21. Bocc. pl. sic. p. 60. t. 31. f. 2. — Illyr. Bila slavulja. —

Hab. in apricis saxosis rupestribus totius Dalmatiae litoralis et insularis vulgatissima. Floret aestate. ♄. —

Obs. Folia variant crenata, aut subintegra, semper summo apice obtusa; capitula suprema subsessilia et congesta, rarius solitaria et tunc longius pedunculata; ligulae longiores, aut breviores: achenia versus apicem setis barbata, pappo octo-decemseto.

645. Inula Britanica L. sp. pl. ed. II. p. 1237. (emend. DC.) Host fl. austr. 2. p. 490. Rchb. fl. germ. exc. p. 237. Alsch. fl. jadr. p. 196. Pett. bot. Wegw. n. 500.

I. villoso-lanata, caule apice ramoso corymboso, foliis supra glabris, inferioribus elliptico-lanceolatis in petiolum attenuatis, superioribus amplexicaulibus cordato-oblongis lanceolatisque, involucri squamis linearibus apice attenuatis, exterioribus lanceolatis acheniisque costatis hirtis.

Icon. Flor. danic. t. 413.

Var. *β.* angustifolia: foliis lanceolato-acuminatis integris subtus villoso-sericeis. — Syn. I. Britannica var. *β.* L. sp. pl. ed. II. p. 1237. — Icon. Dalech. hist. lugd. p. 1082. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 19. f. 8. Lobel. icon. stirp. p. 293. f. 1.

Hab. locis aquosis humidis circa Boccagnazzo, Salona, Stagno et ad margines agrorum circa Duare: var. ad torrentium ripas in insula Lesina. Florent ab aestate in autumnum. ♃.

646. Inula montana L. sp. sp. ed. II. p. 1241. Host fl. austr. 2. p. 292. Rchb. fl. germ. exc. p. 238.

I. villoso-lanata, subsericea, caule apice mono-oligocephalo, foliis lanceolatis integerrimis, aut calloso-serrulatis, inferioribus in petiolum attenuatis, superioribus amplexicaulibus, involucri squamis exterioribus lanceolatis obtusiusculis extus villosis, interioribus linearibus acutis, acheniis hirtis teretiusculis.

Icon. Garid. hist. pl. d'Aix. tab. 10. Lobel. icon. stirp. p. 350. f. 2.

Hab. in saxosis apricis collium et montium Vellebith, circa Verlika, circa Sign, in monte Sella supra Cattaro et in insula Lesina. Floret aestate. ♃.

Obs. Frequenter confusa cum Pulicaria odora Rchb., cui forma oligo-cephala I. montanae simillima: differt tantummodo squamis involucri exterioribus lanceolatis, nec omnibus linearibus angustissimis, et pappo uniseriali uniformi, nec biseriali difformi. Variat lana longiore, aut breviore, cano-sericea, aut opaca; caulibus monocephalis, aut 2—4—cephalis. Achenia undique hirta, sed pili versus achenii apicem longiores. Hi tamen nec coaliti, nec ex apice fructus orti et seriem externam pappi constituentes, ut in Pulicaria.

647. Inula graveolens Desf. cat. h. paris. 2. p. 121.

I. piloso-viscosa, caule basi ramosissimo, ramis racemosis virgatis, foliis caulinis oblongo-lanceolatis subdentatis basi attenuatis, rameis oblongo-linearibus integris sessilibus, involucri squamis linearibus, intimis margine membranaceis, ligulis minimis, acheniis hirtis teretibus.

Syn. Erigeron graveolens L. sp. pl. ed. II. p. 1210. Vis. stirp. dalm. p. 34. Rchb. fl. germ. exc. p. 239. Alsch. fl. jadr. p. 195. Pett. bot. Wegw. n. 368. Solidago graveolens Lam. fl. fr. 2. p. 145. — Icon. Barrel. icon. pl. t. 370. Lob. icon. stirp. 346. f. int.

Hab. in pratis et cultis circa Zara, Spalato et Salona, nec non in insulis Morter, Provichio, Lesina. Floret aestate. ⊙. —

Obs. Ob antheras basi bisetas certe differt ab Erigeronte, Solidagine et Astereis omnibus. Receptaculum vero alveolis membrana dentata marginatis cavatum illud Asteris refert et ab Inulis veris alienum. Caudae etiam antherarum in hac integrae, nec lacerae, ut in caeteris. Tamen nec ab Inula sejungenda, nec in genus proprium erigenda. Affinis potius sequenti, quam reliquis.

648. Inula viscosa Ait. hort. Kew. ed. I. v. 3. Vis. stirp. dalm. p. 38. Host fl. austr. 2. p. 491. Rchb. fl. germ. exc. p. 237. Alsch. fl. jadr. p. 196. Pett. bot. Wegw. n. 508.

I. piloso-viscosa, caule virgato racemoso-paniculato, foliis oblongo-lanceolatis glandulosis serratis, inferioribus basi attenuatis sessilibus, superioribus subcordato-auriculatis, floralibus integris, ramis floriferis lateralibus, involucri squamis linearibus, intimis margine membranaceis, ligulis elongatis, acheniis hirtis teretibus.

Syn. Erigeron viscosum L. sp. pl. ed. II. p. 1209. Solidago viscosa Lam. fl. fr. 2. p. 144. — Icon. Jacq. hort. vind. tab. 165. Dodon. pempt. p. 51. f. 1. Clus. hist. p. IV. p. 20. f. 1. ead. — Illyr. Buscinaz.

Hab. in apricis saxosis maritimis totius Dalmatiae vulgatissima. Tota graveolens, viscida. Floret ab aestate in autumnum. ♃. et ♄. —

Obs. Variat foliis latioribus, et pedunculis elongatis vix foliolatis, et tunc racemus laxior, gracilior. Receptaculum leviter alveolatum, alveolis in ambitu evidentius marginatis, sed integris. Achenia compresso-teretia ecostata, apice orbiculo membranaceo pappi setas gerente coronata, exacte ut in praecedente. Orbiculus hic pro pappo exteriore coroniformi a cll. Cassini et Koch syn. fl. germ. p. 361. perperam habitus, quapropter plantam hanc Pulicariis accensent, non pappi seriem externam efficit, sed basim tantum et veluti fulcrum unicae setarum seriei, qua pappus constat.

649. Inula crithmoides L. sp. pl. ed. II. p. 1240. Host flor. austr. 2. p. 493. Rchb. fl. germ. exc. p. 337. Alsch. fl. jadr. p. 195.

I. fruticulosa glaberrima, caule ramuloso, apice mono-oligocephalo, foliis linearibus carnosis apice trifidis integerrimisque, pedunculis elongatis bracteolatis clavatis, involucri squamis lanceolatis cuspidatis margine scariosis glabris, acheniis hirtis subteretibus.

Syn. Inula crithmifolia W. sp. pl. 3. p. 2101. Vis. stirp. dalm. p. 38. Pett. bot. Wegw. n. 502. Limbarda tricuspis Cassin. dict. sc. nat. 26. p. 438. — Icon. Sow.* engl. bot. t. 69. Dodon. pempt. p. 706. f. 1. Lobel. icon. stirp. t. 395. f. 2.

Hab. ad oras et rupes maritimas totius Dalmatiae frequens. Floret aestate. ♄. —

Obs. Receptaculum alveolatum, alveolis membrana dentata fusca marginatis. Antherarum caudae subintegrae. Achenia teretiuscula hirta sed minus laevia ac praecedentium, et orbiculo membranaceo plane destituta. Limbarda Adans. a cl. Rchb. in sectionem recepta pro I. viscosa et I. crithmoide, cui jungenda I. graveolens, differt ab Inulis, praeter squamas involucri, receptaculo plus minusve alveolato; sed alveoli profundiores et dentato-marginati in duabus posterioribus, minus evidentes in prima. E contra I. viscosa et I. graveolens ab omnibus discrepant acheniis oblongis ecostatis, apice orbiculo pappigero coronatis, quod I. crithmoidi deest.

CCXXVII. Pulicaria Gaertn.

De fr. et sem. 2. p. 461.

Char. Involucri squamae pauciseriales. Receptaculum planiusculum areolatum. Flores radii foeminei corolla ligulata: disci hermaphroditi fertiles corolla tubulosa quinquedentata. Achenia subcylindrica pappo biseriali, exteriore brevi coroniformi dentato, interiore elongato setaceo. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

650. Pulicaria vulgaris Gaertn. l. c. tab. 173. Rchb. fl. germ. exc. p. 238.

P. villoso-lanuginosa, caule paniculato-ramoso, foliis semiamplexicaulibus oblongis undulatis subintegris, capitulis axillaribus terminalibusque, radio brevissimo, achenio 6—10—seto.

Syn. Inula Pulicaria L. sp. pl. ed. II. p. 1238. Host fl. austr. 2. p. 490. Alsch. fl. jadr. p. 196. — Icon. Sow. engl. bot. t. 1196. Flor. dan. tab. 613. Dodon. pempt. p. 52. f. inf. Blackw. herb. t. 103. —

Hab. ad vias et loca uliginosa circa Nona, Narenta, Cattaro, Budua et in insula Ossero. Floret aestate. Flores generis lutei. ⊙. —

Obs. Variat pube rariore breviore decolore et lanata cana praecipue ad capitula. Achenii setae in speciminibus dalmaticis et italicis a me visis ad summum decem et vix ipso longiores, nec circiter quindecim et achenio triplo longiores, ut de hac planta scripsit Gaertnerus de fr. et sem. 2. p. 462. Attamen plantam a Gaertnero hic loci descriptam, et icone 173. f. 7. adumbratam, veram esse Inulam Pulicariam L. nec I. dysentericam ut mavult cl. Moris fl. sard. 2. p. 364. evincitur non solum ex phrasi Linnaeana et iconibus ab ipso citatis I. Pulicariae propriis, sed etiam a descriptione receptaculi, quod dicitur scrobiculatum cum papilla, quale est in hac planta, dum in I. dysenterica tuberculatum est nec scrobiculatum, et praecipue ex icone, quae capitulum subglobosum bracteolatum, et receptaculum exhibet verae I. Pulicariae, dum in altera capitulum est basi planum aphyllum, et receptaculum non foveolatum sed tuberculatum.

651. Pulicaria dysenterica Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 462. Rchb. fl. germ. exc. p. 239.

P. villoso-lanuginosa, caule paniculato-ramoso, foliis lanceolato-oblongis undulatis subdentatis, basi profunde auriculato-cordata amplexicaulibus, apice acutis callo mucronatis, capitulis axillaribus terminalibusque corymbosis, radio elongato, achenio 15—20—seto.

Syn. Inula dysenterica L. sp. pl. ed. II. p. 1273. Host fl. austr. 2. p. 490. Alsch. fl. jadr. p. 196. Pett. bot. Wegw. n. 503. — Icon. Sow. engl. bot. t. 1115.

Flor. danic. tab. 410. BULL. herb. de la Fr. pl. 299. FUCHS. hist. stirp. p. 436.

Hab. in humidis, ad fossas, paludes circa Zara, Obbrovazzo, Verlika, Traù, Salona, Narenta, Cattaro. Floret aestate. ♃. —

Obs. Variat haec quoque pube longiore cana lanata. Pappus exterior brevius dentatus, nec setuloso-laciniatus.

652. Pulicaria odora RCHB. fl. germ. p. 239.

P. villoso-lanata, caule apice oligocephalo, foliis lanceolatis planis integerrimis, aut remote calloso-denticulatis, inferioribus elliptico-lanceolatis in petiolum attenuatis, superioribus lanceolatis auriculato-amplexicaulibus apice acutis callo mucronatis, capitulis axillaribus terminalibusve longe pedunculatis corymbosis, radio elongato, achenio decemseto.

Syn. Inula odora L. sp. pl. ed. II. p. 1236. HOST fl. austr. 2. p. 489. ex herb! I. Oculus Christi VIS. stirp. dalm. p. 38. ALSCH. fl. jadr. p. 196. PETT. bot. Wegw. n. 501. nec. L. I. conyzoides DESF. cor. de TOURN. p. 49. — Icon. COLUMN. ecphr. 1. p. 253. BARREL. icon. stirp. t. 1145. DESF. cor. de TOURN. tab. 38. *opt!*

Hab. in apricis et sylvaticis ditionis Jadrensis ad pagos Slimnicza et Bolesnik, prope Clissa, Perzagno, Xuppa et in insula Ossero circa Lossin. Floret aestate. ♃.

Obs. Pappus exterior decemdentatus. Praeter notas supra dictas differt ab I. montana L. foliis superioribus auriculatis.

Trib. XIV. Buphthalmeae. *DC.*

Prodr. syst. nat. V. p. 483.

Stylus floris hermaphroditi ramis linearibus extus superne aequaliter et minute puberulis. Antherae appendice lanceolata apice instructae, basi caudis acutis. Capitula radiata ligulis concoloribus. Receptaculum omnino paleaceum.

CCXXVIII. Buphthalmum L.

Gen. pl. ed. II. p. 310. (excl. specieb.)

Char. Involucri squamae conformes. Flores omnes fertiles corollae tubo conico, radii uniseriales foeminei corolla ligulata quadridentata: disci hermaphroditi corolla conico-tubulosa quinquedentata, antheris brevissime caudatis. Achenia radii triquetra calva, disci complanata pappo brevissimo coroniformi scarioso fisso. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

653. Buphthalmum salicifolium L. sp. pl. ed. II. p. 1275. HOST fl. austr. 2. p. 499. RCHB. fl. germ. exc. p. 236.

B. pubescens, caule herbaceo, foliis oblongo-lanceolatis lanceolatisve subdenticulatis, inferioribus obtusis in petiolum attenuatis, superioribus sessilibus acuminatis, acheniis radii trialatis glabris truncatis.

Syn. Buphthalmum grandiflorum L. sp. pl. l. c. RCHB. fl. germ. exc. l. c. — Icon. PUTTERL. et ENDL. in NEES gen. pl. germ. fasc. XXIII. n. 14. JACQ. fl. austr. t. 370. GAERTN. de fr. et sem. 2. tab. 169. CLUS. hist. pl. IV. p. 13. f. inf. MICHEL. hort. flor. tab. 3. 4.

Hab. in pratis siccis montium et locis sylvaticis in Vellebith, Dinara, circa Stermizza, in collibus prope Trigl, Much, ubi legi Junio Julio. Flores lutei. ♃. —

Obs. Achenia radii omnino calva et alato-triquetra, sensim abeunt in plana disci, et margo calycis vix denticulatus in illis, in pappum paleaceum gradatim transit his proprium.

CCXXIX. Asteriscus Moench.

Meth. pl. p. 592.

Char. Involucri squamae exteriores majores foliaceae radiantes inermes. Flores omnes fertiles, radii uniseriales foeminei corolla ligulata tridentata, basi biauriculata, disci hermaphroditi corollae quinquedentatae tubo basi incrassato, antheris longe caudatis. Achenia omnia conformia subtriquetra aptera, pappi coroniformis paleis scariosis laceris terminata. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

654. Asteriscus aquaticus Moench. l. c. Less. syn. gen. comp. p. 486. DC. prod. syst. nat. 5. p. 486.

A. caule dichotomo, foliis oblongo-lanceolatis obtusis, capitulis sessilibus axillaribus terminalibusque, squamis exterioribus involucri obtusis radio multo longioribus.

Syn. Buphthalmum aquaticum L. sp. pl. ed. II. p. 1274. Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 44. Vis. stirp. dalm. p. 28. Host fl. austr. p. 499. Rchb. fl. germ. exc. p. 236. Pett. bot. Wegw. n. 166. B. maritimum Alsch. fl. jadr. p. 290. nec L. — Icon. Gaertn. l. c. tab. 169. Zanon. hist. stirp. tab. 24. Breyn. cent. pl. t. 77. Seba thes. pl. t. 29. f. 7. Mill. dict. fig. 242. f. 2.

Hab. in maritimis et arvis Dalmatiae litoralis circa Zara, Sebenico, Spalato, Ragusa, Lesina et in insulis circa Zara. Flores lutei. Floret aestate. ⊙. —

Obs. Differt ab A. maritimo Moench, cui affinis, foliis oblongo-lanceolatis, nec spathulatis apice latioribus, caule dichotomo nec alterne ramoso, foliolis involucri radium multo excedentibus, nec vix aequantibus, imo apice rotundatis, nec attenuatis.

CCXXX. Pallenis Cassin.

Dict. de sc. natur. 37. p. 275.

Char. Involucri squamae exteriores majores foliaceae radiantes spinosae. Flores omnes fertiles, radii biseriales foeminei corolla ligulata acute trifida basi bialata, disci hermaphroditi corolla tubulosa quinquefida tubo interne unialato, antheris caudatis. Achenia radii elliptico-subrotunda alato-marginata plana, pappo dimidiato scarioso fisso externe terminata; disci oblonga compresso-triquetra, pappo scarioso fisso completo coronata. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

655. Pallenis spinosa Cassin. loc. cit. DC. prod. syst. nat. 5. p. 487.

P. villoso-lanata, caule apice subcorymboso, foliis denticulatis, inferioribus oblongo-obovatis obtusis basi attenuatis, superioribus oblongis mucronatis amplexicaulibus, involucri squamis rigidis integris lanceolatis spinosis.

Syn. Buphthalmum spinosum L. sp. pl. ed. II. p. 1274. Vis. stirp. dalm. p. 28. Host fl. austr. 2. p. 498. Rchb. fl. germ. exc. p. 236. Alsch. fl. jadr. p. 200. Pett. bot. Wegw. n. 167. Buphthalmum asteroideum Viv. fl. lyb. spec. p 57. — Icon. Putterl. et Endl. gen. pl. germ. fasc. XXIII. n. 16. Vivian. loc. cit. tab. 25. f. 2. Mill. dict. fig. 249. f. 1. Barrel. ic. pl. 551. Clus. hist. pl. IV. p. XIII. — Illyr. Voluje oko. Raman. Ussaz.

Hab. ad agrorum margines et in asperis totius Dalmatiae litoralis, etiam in insulis a Sansego ad Lacroma frequens. Flores lutei. Floret aestate. ⊙. —

Obs. Pianta lybica cl. Viviani est specimen macrum, foliis angustioribus integris spinula longiore mucronatis.

Trib. XV. Senecioneae. *Cassin.*

Dict. des. sc. natur. 20. p. 377.

Stylus floris hermaphroditi ramis linearibus apice pilorum penicillo barbatis, nunc truncatis, nunc ultra penicillum in appendicem productis. Antherae ecaudatae. Capitula radiata, raro discoidea. Receptaculum nudum. —

CCXXXI. Senecio L.

Gen. pl. ed. II. p. 308. (excl. specieb.)

Char. Involucrum squamis aequalibus uniserialibus, basi squamulis minoribus calyculatum. Flores omnes fertiles, vel radii ligulati foeminei et disci tubulosi quinquedentati hermaphroditi, vel rarius omnes tubulosi hermaphroditi. Receptaculum alveolatum. Stigmata apice *truncata ibique pilosa.* Achenium sulcatum pappo piloso *pluriseriali caduco.* — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

* foliis dissectis.

656. Senecio vulgaris L. sp. pl. ed. II. p. 1217. Vis. stirp. dalm. p. 47. Host fl. austr. 2. p. 473. Rchb. fl. germ. exc. p. 242. Alsch. fl. jadr. p. 197. Pett. bot. Wegw. n. 862.

S. foliis oblongis pinnatifidis, inferioribus in petiolum attenuatis, superioribus auriculato-amplexicaulibus, laciniis remotis, rachi basique dentatis, floribus discoideis, acheniis canescentibus, pappo persistente.

Syn. Senecio lividus Vis. loc. cit. nec L. — Icon. Engl. bot. t. 747. Flor. danic. t. 513. Bull. herb. de la Fr. t. 197. Fuchs. hist. stirp. p. 276. — Illyr. Dragusaz, Kurkoglavacz, Badeljçacz.

Hab. in cultis incultisque ubique frequens. Flores lutei. Floret toto anno. ⊙. —

Obs. Variat glaber, pilosiusculus, vel floccoso-lanuginosus, foliis profundius, vel levius divisis, squamis involucri apice nigris vel unicoloribus virescentibus, corymbo denso, aut pedunculis elongatis laxo; quam formam, squamis etiam unicoloribus et foliis minus divisis distinctam, olim habui pro S. livido L. sp. pl. ed. II. p. 1216, a quo vero differt ligularum marginalium defectu. Pappum persistentem voco cum ab acheniis maturis non recedit si per ipsum ex involucro trahantur; deciduum cum e contra.

657. Senecio nebrodensis L. sp. pl. ed. II. p. 1217. DC. prodr. syst. 6. p. 350.

S. foliis oblongis ovalibusve, inferioribus in petiolum attenuatis obovatis, superioribus auriculato-amplexicaulibus, laciniis remotis oblongis rachi basique dentatis, floribus laxe corymbosis, pedunculis elongatis bracteolatis, radio ligulato patente, acheniis puberulis, pappo deciduo.

Var. α. genuinus: foliis oblongo-obovatis sinuato-pinnatifidis, laciniis subintegris, corymbo mono-oligocephalo, pedunculis nudis, squamis unicoloribus. — Icon. Barrel. icon. pl. t. 401.

Var. β. rupestris: foliis oblongis pinnatifidis, laciniis subovatis acute dentatis, corymbo polycephalo, pedunculis bracteolatis, bracteolis squamisque apice nigris. — Syn. S. rupestris Waldst. et Kit. pl. hung. 2. p. 136. Host fl. austr. 2. p. 473. Rchb. fl. germ. exc. p. 243. Alsch. fl. jadr. p. 248. Pett. bot. Wegw. n. 860. — Icon. W. et Kit. l. c. tab. 128.

Var. γ. laciniatus: foliis oblongis profunde pinnatifidis, laciniis anguste oblongis inciso-dentatis, corymbo polycephalo, pedunculis bracteolis squamisque apice nigris. — Syn. S. laciniatus Bertol. in journ. de botan. 4. p. 76. Balb. et Nocc. fl. ticin. 2. p. 122. — Icon. Balb. et Nocc. l. c. tab. XIII. mediocr.

Var. δ. bipinnatifidus: fruticulosus, major, foliis ovalibus profunde bipinnatifidis, laciniis oblongis dentatis, corymbo polycephalo, pedunculis bracteolatis, bracteolis squamisque unicoloribus virescentibus. — Icon. Barrel. ic. pl. tab. 402.

Hab. in montibus calcareis totius Dalmatiae frequentissimus, etiam intra urbem Cattaro. Flores lutei, vel raro purpurei. Floret aestate. ⊙ vel ♃, vel basi ♄. —

Obs. Planta pro locorum diversitate mire varians, a forma genuina simplicissima, qualem Linnaeus descripsit foliis repando-sinuatis, caule minus diviso, pedunculis solitariis, involucri squamis non sphacelatis, flore parvo, et pinxit Barrelierus in tab. 401, ad formam bipinnatifidam ramosam polycephalam flore majore, involucri squamis nunc apice nigris, nunc omnino viridibus, quam idem Barrelierus delineavit in tab. 402 innumeris transitionibus gradatim abiens. Pedunculi etiam viscidi et interdum solitarii, ut petit Linnaeus. Varietatem flore purpureo legit in urbe Cattaro cl. Tommasini. Ad hanc speciem quoque pertinet Senecio multangularis Tausch in Syll. pl. Soc. ratisb. tom. II. p. 253, n. 39, et probabiliter ad var. δ.

658. Senecio leucanthemifolius Poir. voy. en. barb. 2. p. 288. Desf. fl. atl. 2. p. 271.

S. glaber, foliis spathulato-obovatis in petiolum attenuatis inciso-crenatis denticulatis, summis auriculato-amplexicaulibus oblongis inciso-serratis, pedunculis corymbosis bracteolatis, bracteolis squamisque apice nigris, radio ligulato subrevoluto, acheniis hirto-canescentibus, pappo persistente.

Syn. Senecio vernus Biv. pl. sic. cent. 1. p. 73. — Icon. Bivon. loc. cit. tab. 5. Boccon. mus. piant. rar. tab. 100. mediocr.

Hab. in umbrosis maritimis insulae Pelagosa, unde misit prof. Stalio. Floret Junio. Flores lutei. ⊙. —

Obs. Planta nostra omni ex parte major, folia fere omnia basi attenuata, supremis tantum basi auriculatis ibique integris; caulis apice ramoso-corymbosus, ramis 3—5—cephalis. An haec e statione umbrosa?

659. Senecio Jacobaea L. sp. pl. ed. II. p. 1219. Host fl. austr. 2. p. 475. Rchb. fl. germ. exc. p. 244. Alsch. fl. jadr. p. 197. Pett. bot. Wegw. n. 859.

S. glabriusculus, foliis inferioribus ovalibus petiolatis lyratis basi attenuatis, caeteris oblongis auriculato-amplexicaulibus pinnati-partitis laciniis incisis, corymbi ramis arrectis bracteolatis, squamis involucri bi-lineatis, radio ligulato, acheniis marginalibus glabris pappo caduco, disci pilosis pappo persistente.

Syn. Senecio dalmaticus Vis. icon. fl. dalm. tab. VII. Senecio lyratifolius Noè herb.! non Rchb. ic. pl. — Icon. Vis. loc. cit. Gaertn. de fr. et sem. 2. tab. 170. f. 1. Fuchs. hist. p. 742. Clus. hist. stirp. V. p. XXII. Matthiol. disc. sopra Diosc. ed. 1568. p. 1192.

Hab. in sylvaticis et agris circa Zara, Dernis, Almissa, Duare, Breno, Cattaro. Floret aestate. Flores lutei. ♂. —

Obs. Planta admodum varians pubescentia, foliorum divisione, radii longitudine. Icones omnes supra citatae, praeter nostram, peccant foliis omnibus pinnatifidis, nec infimis lyratis. Squamae in nostra frequentius apice concolores, at basi lineis duabus albidis longitudinaliter notatae.

660. Senecio erraticus Bertol. rar. pl. ital. dec. 3. p. 62. Rchb. fl. germ. exc. p. 244.

S. glabriusculus, foliis infimis petiolatis ellipticis repandis, vel omnibus lyrato-pinnatifidis, lobis lateralibus oblongo-obovatis patentibus, terminali maximo subcordato-elliptico obtuso, omnibus dentatis, superiorum basi cuneatis, corymbi ramis divaricatis remote bracteolatis, squamis involucri margine membranaceis, radio ligulato patente, acheniis marginalibus glabris pappo caduco, disci ad angulos pubescentibus pappo persistente.

Syn. Senecio aquaticus Loisel. fl. gall. 2. p. 566. Pett. bot. Wegw. n. 858, an et Huds.? — Icon. Petiv. engl. pl. t. XVII. f. 2. opt. Bauh. hist. pl. 2.

p. 1057. f. dext. sup. Rchb. icon. bot. cent. 4. f. 538. Coll. herb. pedem. tab. LXXIII. f. 1.

Hab. in pratis humidis et locis aquosis circa Almissa et Narenta. Floret aestate. Flores lutei. ♂. —

Obs. Notae, quarum ope plantam hanc a S. aquatico Huds. fl. angl. p. 317. et Sm. fl. brit. 2. p. 885, distinguunt auctores, haud mihi specificae visae sunt. Lobus terminalis foliorum nunc basi emarginatus est ideoque subcordatus, qualem petunt in specie cl. Bertolonii; nunc rotundatus, nunc etiam utrinque secus costam breviter decurrit, ut in S. aquatico Huds. Corymbi rami nunc breviores rigidiores densiflori, nunc elongati divaricati graciles laxiflori, qualem formam pinxit cl. Reichenbach in icone citata. Quae omnia cum ludant in eodem caespite, ne dicam in eodem caule, ad plantas caeterum simillimas distinguendas minime sufficiunt. Icones Petiverii et Bauhini nostram bene exhibent: Loiselii autem in Fl. pruss. tab. 35. et Fl. danic. tab. 784. etsi illa ab Hudsonio, haec a Smithio citatae, quodammodo differunt foliis acutis. Achenia non omnia glabra, ut de utraque planta scripsere Smithius et Bertolonius, sed illa radii levia glaberrima, disci angulata et ad angulos minute hirtella. Icones Gerard. herb. p. 280. f. 3. Parkins. theatr. bot. p. 668. f. 3. et Clus. hist. pl. IV. p. LXIII., etsi illae ab Hudsonio, haec ab Host S. aquatico adductae, omnino alienae sunt, et ad S. subalpinum Koch syn. fl. germ. et helv. p. 388, qui S. alpinus β. auriculatus Rchb. icon. bot. 2. f. 257., referendae.

661. Senecio erucifolius Huds. fl. angl. p. 317. Host fl. austr. 2. p. 475. Rchb. fl. germ. exc. p. 243.

S. basi repens, arachnoideo-canescens, foliis ovatis pinnatifidis, lobis acutis, inferioribus petiolatis, reliquis auriculato-amplexicaulibus, corymbi ramis divaricatis remote bracteolatis, squamis involucri margine membranaceis, radio ligulato patente, acheniis omnibus pubescentibus, pappo persistente.

Syn. Senecio tenuifolius var. Vis. stirp. dalm. spec. p. 47. Alsch. fl. jadr. p. 197. Pett. bot. Wegw. n. 861. — Icon. Sow. engl. bot. t. 574. Barrel. pl. icon. t. 153. —

Hab. ad aggeres et agrorum margines, in argillosis circa Zara, Dernis, Verlika, Narenta. Floret a Julio ad Septembrem. Flores lutei. ♃. —

Obs. Folia variant oblonga et breviter inciso-lobata, vel oblongo-ovalia pinnatifida, vel late ovalia et alte pinnato-lobata, pinnis modo oblongis, modo linearibus: quibus lusibus superstructi sunt S. napifolius Schrad., S. lycopifolius Desf. et S. tenuifolius Jacq. Tamen postrema haec forma hactenus in Dalmatia non visa.

662. Senecio abrotanifolius L. sp. pl. ed. II. p. 1219. excl. syn. Goul. Host fl. austr. 2. p. 474. Rchb. fl. germ. exc. p. 243.

S. fruticulosus, glaber, foliis inferioribus bipinnati-partitis petiolatis, superioribus pinnatipartitis sessilibus, laciniis omnium linearibus acutis, capitulis paucis terminalibus, corymbosis, squamis involucri apice lanatis, radio ligulato patente, acheniis omnibus glabris, pappo persistente.

Icon. Jacq. fl. austr. 1. tab. 79. Clus. hist. pl. 1. p. 334. f. 1.

Hab. in devexitatibus subalpinis montium Vellebith. Flores hic aurantii, nec lutei, ut in planta Clusii et Jacquini. Floret aestate. ♄.

663. Senecio Cineraria DC. prod. syst. veg. 6. p. 355.

S. suffruticosus, cano-tomentosus, foliis pinnatipartitis petiolatis supra demum glabratis, laciniis apice angulatis lobulatisve oblongis obtusis, capitulis corymbosis, squamis involucri dorso cano-tomentosis, margine membranaceis, radio ligulato patente, acheniis omnibus glabriusculis, pappo persistente.

Syn. Cineraria maritima L. sp. pl. ed. I. p. 925. Vis. stirp. dalm. p. 31. Host fl. austr. 2. p. 479. Senecio maritimus Rchb. fl. germ. exc. p. 244. non L. fil. — Icon. Lobel. icon. stirp. t. 227. f. 2. Prosp. Alpin. pl. aeg. p. 43.

Hab. in insulis circa Traù, ubi olim legit frater desideratissimus Petrus de Visiani; circa Spalato I. Host. Floret ab aestate in autumnum. Flores lutei. ♄. —

Obs. Non confundendus nec cum S. Cinerariae Spr. syst. veg. cur. post. p. 346, qui est S. cinerarioides Viv. fl. ital. fragm. in fl. lybic. p. 68, nec cum S. maritimo L. fil. suppl. p. 369.

**foliis indivisis dentatis.

664. Senecio Cacaliaster Lam. fl. fr. 2. p. 132.

S. caule angulato, foliis utrinque attenuatis inaequaliter serratis petiolatis, capitulis corymbosis cylindricis, squamis involucri oblongis margine late membranaceis supra basim coalitis, radio quinquefloro, aut nullo, acheniis angulatis striatis glabris conformibus.

Var. α. Linnaei: capitulis flosculosis, bracteis involucrum aequantibus, foliis ovalibus, aut oblongo-lanceolatis. — Syn. Cacalia saracenica L. sp. pl. ed. II. p. 1169. Senecio croaticus Waldst. et Kit. pl. hung. 2. p. 153. Host fl. austr. 2. p. 477. S. sarracenicus var. Rchb. fl. germ. exc. p. 245. DC. prodr. syst. nat. 6. p. 354. — Icon. Waldst. et Kit. l. c. t. 143. Jo. Bauh. hist. pl. 2. p. 1063. f. 1.

Var. β. Jacquini: capitulis radiatis, bracteis involucro brevioribus, foliis ovali-lanceolatis. — Syn. Senecio nemorensis Jacq. obs. bot. 3. p. 15. Host fl. austr. 2. p. 477, an L.? S. Jacquinianus Rchb. fl. germ. exc. p. 245. — Icon. Jacq. l. c. tab. 65, et Flor. austr. t. 184.

Var. γ. Gmelini: capitulis flosculosis vel radiatis, bracteis involucro brevioribus, foliis ovali-lanceolatis, lanceolatisque. — Syn. Senecio Fuchsii Gmel. fl. bad. 3. p. 444. Rchb. fl. germ. exc. p. 245. Senecio ovatus W. sp. pl. 3. p. 2004. — Icon. Rchb. icon. pl. 3. p. 466. opt.! Fuchs. hist. pl. p. 728. Dodon. pempt. p. 141. f. 1.

Hab. in sylvaticis montium Vellebith, Biokovo, Orien. Floret aestate. Flores albidi, aut ochroleuci, aut lutei. ♃. —

Obs. Folia magnopere variant latitudine, et gradatim transeunt a forma elliptica ad lanceolatam, immo in ipsa var. γ. angustifolia folia inferiora interdum ovalia sunt. Basis eorumdem marginibus suis semper breviter excurrit secus caulem, sed saepius decursus hic lineam tenuissime salientem exhibet, et tunc folia simpliciter sessilia videntur: tamen inter haec et evidenter decurrentia limites veri non dantur. Haec characterum versatilitas, quae plantas supradictas unicam constituere speciem aperte testatur, in causa fuit, ut botanici plures, qui se invicem excruciati sunt ut ipsas specifice distinguerent, frusta laborarent, quod ex ipsa diagnosium comparatione apud auctores istos luculenter evincitur. Dubito ipsum ligularum numerum in specie adeo polymorpha variare: quod si revera contingeret et S. octoglossus DC. et S. sarracenicus Jacq. ut meri ejusdem plantae lusus habendi essent. Habeo specimen var. γ. capitulis omnibus radiatis, et aliud in quo in eodem corymbo capituli quidam radiati sunt, caeteri flosculosi. Ex quo quid valeat ligularum defectus, vel praesentia cuique patet.

665. Senecio Doronicum L. sp. pl. ed. II. p. 1222. Host fl. austr. 2. p. 476. Rchb. fl. germ. exc. p. 245.

S. caule angulato, foliis inaequaliter serratis denticulatisve, inferioribus longe petiolatis ovalibus lanceolatisque, superioribus lanceolato-acuminatis semiamplexicaulibus, capitulis subsolitariis hemisphaericis, squamis involucri lineari-acuminatis liberis, radio multifloro, acheniis glabris striatis conformibus, pappo persistente.

Var. α. latifolia: foliis late ovalibus oblongisve, involucro glabriusculo. — Icon. Gerard. fl. gallopr. p. 196. f. 7. Jacq. fl. austr. app. t. 45.

Var. β. angustifolia: foliis oblongo lanceolatis lanceolatisque, involucro glabriusculo. — Icon. Clus. hist. pl. IV. p. XVII. f. 1.

Var. γ. lanata: foliis ovalibus oblongisve, caule et involucro cano-lanatis. — Syn. S. arachnoideus Sieb. pl. rar. 1812. S. lanatus Scop. fl. carn. 2. p. 165. non L. fil. S. Scopolii Hopp. et Hornsch. tasch. 1817. Arnica lanigera Ten. fl. neap. prodr. p. 49. A. floccosa Bertol. lucubr. 7. p. 36. Cineraria arachnoidea Rchb. fl. germ. exc. p. 242. — Icon. Tenor. fl. nap. tab. 193. Barrel. ic. pl. t. 361.

Hab. in sylvaticis et lapidosis montium Vellebith, Dinara et Biokovo. Floret aestate. Flores aurei, in var. β. citrini. ♃.

666. Senecio Visianianus Papaf. ined.

S. cano-tomentosus, caule angulato superne ramoso-paniculato, foliis supra araneosis, inferioribus oblongo-lanceolatis eroso-crenatis repandisve, superioribus obverse lanceolatis, basi late auriculata amplexicaulibus, integris, capitulis racemoso-paniculatis subcylindricis flosculosis, squamis lanceolatis glabris integris, acheniis glabris sulcatis conformibus, pappo caduco.

Icon. Flor. dalmat. tab. VIII.

Hab. in umbrosis elatioribus montium Montenegro, ubi eum detexit egregius patriae Florae scrutator Doct. Dominicus Papafava, mihique inscripsit, et montis Orien, unde misit b. m. Neumayer. Floret Julio, Septembri. Involucra fusco-spadicea, flosculi lutei. ♃.

Descr. Radix lignosa, collo lanato. Caulis lanatus angulatus erectus 1—2 pedalis, supra medium in pedunculos alternos axillares mono-oligocephalos folio amplexante circumdatos divisus. Folia crassiuscula subtus tomento denso albo, vel dilute carneo lanata, crassa, nervosa, supra reticulata araneosa, inferiora oblongo-lanceolata longe attenuato-petiolata obtusiuscula, inaequaliter crenata, crenis callo lineari apiculatis, vel repanda; successiva obverse lanceolata, supra basim angustata, basi utrinque in auriculam rotundatam amplexicaulem abrupte dilatata, integra, apice acutiora, margine revoluta. Rami paniculae vel monocephali, vel racemoso-polycephali, pedunculis pedicellisque folio florali lanceolato basi auriculato-amplexicauli suffultis. Capituli florentes nutantes cylindrici, fructiferi erecti cuneato-obovati. Involucrum glabrum squamis fuscis, margine late albido-membranaceis, imo apice lanatis. Receptaculum alveolatum glabrum (litt. a.). Flores omnes hermaphroditi, corolla tubulosa obtusa quinqueloba (litt. b.). Stigmata puberula subclavata apice emarginata vel biloba (litt. b.). Achenium oblongum subcylindricum sulcatum, orbiculo membranaceo pappigero apice coronatum (c. d. f.), pappi setis numerosissimis candidis mollibus sub lente scabris (e. f.).

Obs. Species conspicua, uni S. thapsoidi DC. herb! et prodr. syst. nat. 7. p. 301. similis, diversa tamen involucris glabris et calyculatis, quae in illa incana et nuda, et foliis late auriculato-amplexicaulibus, nec simpliciter sessilibus.

CCXXXII. Doronicum Tourn.

Inst. rei herb. p. 487.

Char. Involucrum squamis aequalibus bi-triserialibus. Flores omnes fertiles; radii foeminei ligulati, stigmatibus obtusis, acheniis sulcatis calvis; disci hermaphroditi tubulosi quinquedentati, stigmatibus apice truncatis ibique pilosis, acheniis pappo setaceo pluriseriali coronatis. Receptaculum areolatum. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

667. Doronicum caucasicum Bieb. fl. taur. cauc. 2. p. 321.

D. radice repente nodosa, foliis utrinque glabris, margine ciliatis, radicalibus longe petiolatis cordato-reniformibus, caulinis amplexicaulibus cordato-oblongis sessilibus spathulatisve, basi auriculatis, summis ovato-lanceolatis amplexicaulibus, acheniis radii glaberrimis.

Syn. Doronicum orientale Adams in W. en. h. berol. 2. p. 898. Rchb. fl. germ. exc. p. 235. D. cordifolium Sternb. in Denkschrift. d. regenb. bot. Ges. 1818. 2. p. 147. Host fl. austr. 2. p. 492. D. Columnae Ten. fl. neap. prodr. p. 49. Pett. bot. Wegw. n. 345. D. Pardalianches Alsch. fl. jadr. p. 195. nec aliorum. — Icon. Hook. bot. mag. t. 3143. opt! Rochel. banat. tab. 31. f. 63. Tenor. fl. neap. tab. 79. Columm. ecphr. 2. tab. 36.

Hab. in devexitatibus saxosis montis Biokovo et Vellebith. Floret aestate. Flores lutei. ♃.

Obs. Collum radicis in nostro glabrum nec lanatum, quale petit in D. orientali cel. CANDOLLEUS in Syst. veg. prodr. 6. p. 320, et quale video in D. orientali ex Hymetto misso a cl. SPRUNNER, quod etiam in toto caule lanuginosum, nec glabrum ut ait ibidem CANDOLLEUS. Sed praeter hanc notam, quam, ut pubes reliqua, variabilem censeo, nullam in caule aut in foliis aut in acheniis inter D. caucasium et nostrum differentiam invenio, et certe icones COLUMNAE et HOOKERI unam eamdemque referunt plantam. D. Columnae TENOR. differt tantummodo foliis latius altiusque dentatis, et praecipue acheniis radii saepius, nec tamen semper, hirtellis, quae sane speciem statuere nequeunt. Huc D. Pardalianches ALSCH. fl. jadr. p. 198. nec aliorum.

Trib. XVI. Gnaphalieae *Less.*

Syn. gen. compos. p. 269.

Stylus floris hermaphroditi ramis linearibus apice penicillatis et exappendiculatis. Antherae caudatae. Capitula discoidea, involucri squamis scariosis, flosculis radii filiformibus.

CCXXXIII. Gnaphalium L.

Gen. pl. ed. II. p. 419 (excl. Helichrys.).

Char. Capitula aut monoica, floribus radii pluriserialibus foemineis tenuissimis, disci hermaphroditis fertilibus; aut in diversis plantis, hinc foemineis, illinc hermaphroditis sterilibus. Receptaculum planum nudum. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

*Gnaphalion KOCH syn. fl. germ. p. 363.
monoica, pappi setis in disco et in radio filiformibus.

668. Gnaphalium luteo-album L. sp. pl. ed. II. p. 1196. HOST fl. austr. 2. p. 463. ALSCH. fl. jadr. p. 193.

G. albo-lanatum simplex, foliis semiamplexicaulibus, inferioribus oblongo-spathulatis obtusis, superioribus lanceolatis acutis, capitulis cymoso-glomeratis aphyllis, involucri squamis oblongis obtusis, acheniis minutissime granulatis.

Syn. Helichrysum luteo-album RCHB. fl. germ. exc. p. 224. G. pompejanum TENOR. ad cat. h. neap. app. alt. p. 79. — Icon. Sow. engl. bot. t. 1002. Flor. dan. t. 1763. TENOR. fl. napol. t. 194. f. 2.

Hab. in sterilibus et argillosis alla Fontana circa Zara, et copiosius circa Ragusa. Capitula pallida, demum testacea. Floret aestate. ⊙.

Obs. Involucri squamae nec acuminatae, ut habet cl. DC., nec rubentes ut ait ALSCH. Planta TENOREANA est forma major foliis omnibus latioribus, infimis magis spathulatis.

669. Gnaphalium uliginosum L. sp. pl. ed. II. p. 1200. HOST fl. austr. 2. p. 465. RCHB. fl. germ. exc. p. 223.

G. albo-lanatum ramosum, foliis sessilibus canescentibus, inferioribus oblongo-spathulatis obtusis, superioribus obverse lanceolatis acutis, capitulis glomeratis foliosis, involucri squamis lineari-lanceolatis acutiusculis, acheniis laevibus.

Icon. Sow. engl. bot. t. 1194. Flor. dan. t. 859.

Hab. in inundatis udis circa Narenta, unde misit Neumayer. Capitula fusca. Floret aestate. ⊙.

670. Gnaphalium sylvaticum L. sp. pl. ed. II. p. 1200. HOST fl. austr. 2. p. 464. RCHB. fl. germ. exc. p. 223.

G. albo-lanatum simplex, foliis sessilibus basi attenuatis, acutis, inferioribus oblongo-lanceolatis, subtus aut utrinque lanatis, superioribus linearibus, capitulis sessilibus spicatis foliosis, involucri squamis oblongo-linearibus obtusis, acheniis strigulosis.

Syn. G. rectum Sm. fl. brit. 2. p. 870. Host fl. austr. 2. p. 464. G. fuscatum Pers. syn. pl. 2. p. 421. G. fuscum Lam. enc. bot. 2. p. 747. Rchb. fl. germ. exc. p. 223. non Scop. G. norvegicum Gunn. fl. norveg. p. 105. — Icon. Flor. dan. t. 1229. Scop. fl. carn. 2. t. 56. Sow. engl. bot. t. 913.

Hab. in sylvaticis montis Biokovo. Capitula pallida unicoloria, aut squamis fusco-maculatis. Floret aestate. ♃.

Obs. Color involucri et folia intermedia caulis plus minus lata et lanugo nunc unicam nunc utrasque foliorum facies obtegens, utpote quae admodum variabilia in hac specie, nullam constantem differentiam exhibent inter G. sylvaticum et G. norvegicum. Quoad G. fuscum Scop. fl. carn. 2. p. 152. hoc potius G. supino pertinet.

**Leontopodium Koch syn. fl. germ. p. 364.

monoica, pappi setis in radio filiformibus, in disco apice subclavatis denticulatis.

671. Gnaphalium Leontopodium L. sp. pl. ed. I. tom. II. p. 855. Host fl. austr. 2. p. 465. Rchb. fl. germ. exc. p. 223.

G. albo-lanatum simplex, foliis oblongo-lanceolatis obtusis semiamplexicaulibus, capitulis umbellato-congestis, umbella bracteis albo-lanatis elongatis radiantibus involucrata, acheniis strigulosis.

Syn. Filago Leontopodium L. sp. pl. ed. II. p. 1312. Antennaria Leontopodium Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 410. Leontopodium alpinum Cassin. dict. des sc. nat. 25. p. 474. — Icon. Jacq. fl. austr. t. 86. Gaertn. l. c. tab. 167. f. 3. litt. D. Clus. hist. pl. p. 328. Dodon. pempt. p. 68.

Hab. in pascuis apricis montis Orien, ubi legit Neumayer. Bracteae albidae, aut vix albo-citrinae. Floret aestate. ♃.

Obs. Speciem hanc Gnaphaliis accensuit omnium primus Linnaeus in editione prima Specierum plantarum Holm. 1753, nec Scopolius in Flora carniolica et multo minus Jacquinus in Flora austriaca. Leontopodium ob singulares bracteas capitula involucrantes habitu sane differt a Gnaphaliis, sed desunt notae gravioris momenti, quibus genus a Cassinio propositum inniti possit, nec tales profecto habendae laevissimae setarum pappi differentiae.

***Antennaria Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 410.

dioica, pappi plantae foemineae setis filiformibus, hermaphroditae sterilis apice dilatato-pennatis.

672. Gnaphalium dioicum L. sp. pl. ed. II. p. 1199. Host fl. austr. 2. p. 464. Rchb. fl. germ. exc. p. 223.

G. stoloniferum radicans, caulibus simplicibus lanatis, foliis subtus canis, inferioribus obovato-spathulatis obtusis, superioribus linearibus acutis, capitulis corymbosis foliosis, involucri foeminei squamis apice coloratis spathulatis.

Syn. Antennaria dioica Gaertn. l. c. — Icon. Sow. engl. bot. t. 267. Bull. herb. t. 325. Clus. hist. p. 330. f. 1. Fuchs. hist. stirp. p. 606.

Hab. in pascuis siccis montis Prologh et Orien. Involucra nivea vel rosea. Floret ab Aprili in aestatem. ♃.

Obs. In hac specie et in A. carpathica Bluff et Fing., quae Gn. carpathicum Wahlbg. setae florum sterilium ultra medium filiformes, apicem versus subito explanantur in laminam utrinque incisam et pennam optime referentem, qualem descripsit Gaertnerus sub sua Antennaria alpina loc. cit. et delineavit in tab. 167. f. 3. litt. E. Haec nota autem omnino deest vero Gnaphalio alpino L. quod pappum gerit tum in radio tum in disco setaceum, ideoque ab Antennariis excludi debet et Gnaphaliis veris restitui. Plantam Linnaeanam qualem egregie pinxit cl. Rchb. in Ic. bot. cent. VIII. tab. 750 certe Gaertnerus non vidit, et pro Gnaphalio alpino L. habuit G. alpinum Willd. sp. pl. 3. p. 1883 quod G. carpathicum Wahlenbergi. Hinc Antennaria alpina Gaertn. est A. carpathica Bluff et Fing., quod postremum nomen, etsi recentius, servandum, cum illud Gaertneri falso synonimo innitatur, et errorem includat. Color involucri albus non in capitulis masculis tantum, sed et in foemineis obvenit; roseum vidi tantum in hisce.

CCXXXIV. **Helichrysum** Vaill.

in Hist. de l'Acad. des Sc. Paris 1719. p. 290. (excl. spec.)

Char. Capitula monoica, floribus radii paucis uniseriatis foemineis gracilibus, disci hermaphroditis fertilibus. Receptaculum planum nudum. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

673. Helichrysum angustifolium DC. fl. fr. supp. p. 467. Rchb. fl. germ. exc. p. 224.

H. cano-tomentosum, caule suffruticoso erecto, ramis virgatis, foliis linearibus obtusis margine revolutis, corymbo composito, capitulis ovato-oblongis, squamis obtusis.

Syn. Gnaphalium angustifolium Lam. enc. bot. ed. Pat. 2. p. 737. Vis. stirp. dalm. p. 37. Alsch. fl. jadr. p. 193. Pett. bot. Wegw. n. 457. G. italicum Roth catal. bot. 1. p. 115. G. Stoechas Host fl. austr. 2. p. 463. non L. — Icon. Barrel. ic. pl. 1125. — Illyr. Smjl.

Hab. in saxosis apricis totius zonae litoralis dalmaticae. Flores citrini. Floret a Majo in aestatem. ♃.

Obs. Nimium affine H. Stoechadi, quod differt praesertim capitulis subrotundis. Genus hoc Tournefortius primus a Gnaphalio distinxit, Vaillantius Elichrysum scripsit: e speciebus tamen ab utroque auctore huic generi adscriptis pleraeque excludendae.

Usus. Plantae valde aromaticae et fragrantis summitates depastae, vel extracti forma deglutitae valdopere prosunt pecudi in cachexia aquosa: quo fit ut pastores dalmatae gregem suum hac aegritudine laborantem agant in pascua Helichryso redolentia.

CCXXXV. **Filago** Tourn.

Inst. rei herb. p. 454.

Char. Capitula monoica, floribus exterioribus pluriseriatis foemineis filiformibus, interioribus hermaphroditis tubulosis. Receptaculum elongatum lineare paleaceum. Pappus florum centralium e setis capillaribus, marginalium nullus aut dissimilis. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

674. Filago germanica L. sp. pl. ed. II. p. 1311. Pett. bot. Wegw. n. 414.

F. tomentoso-lanata, caule dichotomo, foliis oblongo-lanceolatis, capitulis pluribus conglobatis axillaribus terminalibusque, squamis involucri cuspidato-aristatis, apice glabris.

Syn. Gnaphalium germanicum Huds. angl. 362. W. sp. pl. 3. p. 1894. Host fl. anstr. 2. p. 466. Alsch. fl. jadr. p. 193. — Icon. Sow. engl. bot. t. 946. Flor. dan. t. 997. Lobel. icon. stirp. 480. f. 2. Fuchs. hist. pl. p. 222.

Var. β. pyramidata: foliis oblongo-spathulatis DC. syst. nat. prodr. 6. p. 247. — Syn. Filago pyramidata L. sp. pl. ed. II. p. 1311. Gnaphalium pyramidatum W. sp. pl. 3. p. 1895. Host fl. austr. 2. p. 467. Rchb. fl. germ. exc. p. 223 (excl. icon. Clus.). —

Var. γ. spicata: caule simplici, capitulorum glomerulis axillaribus spicatis. —

Var. δ. decumbens: caulibus ramosis prostratis. —

Var. ε. eriocephala Parlat. plant. nov. p. 10: caule foliis capitulisque magis lanatis. — Syn. Filago eriocephala Gusson. pl. rar. sic. p. 344. t. 69. F. germanica γ. lanuginosa DC. prod. syst. nat. 6. p. 247.

Hab. in arvis locisque apricis campestribus totius Dalmatiae: var. γ. in saxosis circa Duare: var. δ. in apricis insulae Curzola. Floret aestate. Flores pallidi. ⊙.

Obs. Planta pro stationum diversitate polymorpha, hinc ejusdem speciei formae male in species proprias receptae. Caulis variat erectus vel decumbens; ramosus vel simplex; lana longior, vel brevior et minus cana; florum capituli in dichotomia et ramorum apice, vel rarius in axillis foliorum; involucri squamae exteriores longius breviusve aristatae, aristis uncinatis, vel leviter incurvis, vel rectis; intimis latioribus acuminatis vel obtusis, sine vel cum acumine. Quibus postremis observationibus patet quantum fidendum sit in hoc genere characteribus e squamarum intimarum forma petitis. — Icon Clusii hist. pl. 3. p. 329. Filaginem pyramidatam male refert ob folia basi dilatato-amplexicaulia, apice acuta, nec basi attenuata apice latiora et obtusa, ut revera sunt.

675. Filago gallica L. sp. pl. ed. II. p. 1312.

F. tomentoso-subsericea, ramis dichotomis, foliis linearibus acutis margine involutis, capitulis subquinis fasciculatis, axillaribus, lateralibus terminalibusque, squamis involucri obtusis.

Syn. Gnaphalium gallicum Huds. angl. 361. W. sp. pl. 3. p. 1895. Host fl. austr. 2. p. 466. Rchb. fl. germ. exc. p. 222. — Icon. Sow. engl. bot. t. 2369. Krock. siles. 2. tab. 42. Moris. hist. pl. sect. 7. tab. 11. f. 14.

Hab. in apricis circa Boccagnazzo, in demissis montis Biokovo et in insula Lesina. Flores pallidi demum subfusci. Floret aestate. ⊙.

Obs. Genus receptaculi formą et paleis a Gnaphalio egregie distinctum.

Trib. XVII. Anthemideae *Cassin.*

Opusc. phytogr. 3. p. 61.

Stylus floris hermaphroditi ramis linearibus, apice truncatis barbatis. Antherae ecaudatae. Capitula radiata raro discoidea. Achenia calva, vel pappo praedita coronae aut auriculae formam referente.

Sect. I. Euanthemideae.

DC. prod. syst. nat. VI. p. 1.

Capitulis ut plurimum radiatis, receptaculo paleaceo.

Clavis analytica generum.

Acheniis radii apteris	vid. Nr. 1	Acheniis radii late alatis. Anacyclus.
1. Achenii apice in tubo corollae incluso	- - 2	Achenii apice libero. Anthemis.
2. Corollis basi in cucullum productis .	- - 3	Corollis basi bicalcaratis. Diotis.
3. Capitulis radiatis. Achillea.		Capitulis discoideis. Santolina.

CCXXXVI. Anacyclus L.

Gen. pl. ed. II. p. 311. (excl. specieb.)

Char. Capitula radiata, involucro hemisphaerico, corollis omnibus tubo bialatis, radii ligulatis foemineis, disci tubulosis hermaphroditis. Achenium planum obcordatum utrinque ala membranacea marginatum. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

676. Anacyclus radiatus Loisel. fl. gall. p. 582. Rchb. fl. germ. exc. p. 226.
A. villosus, caule erecto, apice divaricate ramoso, foliis tripinnati-partitis, laciniis linearibus acutis, pedunculis incrassatis, involucri squamis hirsutis ovato-lanceolatis hyalino-acuminatis, paleis cuneato-obovatis, margine scariosis, apice mucronatis glabris, ligulis elliptico-rotundatis.

Syn. Anthemis valentina L. sp. pl. ed. II. p. 1263. — Icon. Breyn. cent. pl. t. 75. opt.

Hab. in arvis insulae Lissa, ubi legit prof. Alschinger. Floret aestate. Flores radii flavissimi. ⨀.

Obs. Affinis sequenti, qui statim distinguitur ligulis oblongis albis.

677. Anacyclus clavatus Pers. syn. pl. 2. p. 465.
A. villosus, caule erecto divaricate ramoso, foliis tripinnati-partitis, laciniis linearibus acutis, pedunculis subincrassatis, involucri squamis hirsutis ovato-lanceolatis hyalino-acuminatis, paleis omnino scariosis late spathulato-truncatis, apice piliferis, glabrisve ligulis oblongis.

Syn. Anthemis clavata Desf. fl. atlant. 2. p. 287. A. pubescens W. sp. pl. 3. p. 2177. A. tomentosa Gou. ill. pl. p. 70. non L. A. biaristata DC. fl. fr. 4. p. 204. Anacyclus pubescens Rchb. fl. germ. exc. p. 226. A. tomentosus DC. fl. fr. supp. p. 481. et prodr. syst. nat. VI. p. 16.

Hab. ad muros circa Zara, ubi legit prof. Alschinger. Floret aestate. Radius albus. ⨀.

Obs. Praeeunte cl. Moris fl. sard. 2. p. 408. has plantas in unicam speciem colligo, cum ex utriusque comparatione constaverit, unicam fere notam, qua ex cl. Duby in bot. gall. I. p. 274. A. clavatus ab A. tomentoso differt, praesentiam silicet pilorum in paleis hujus, defectum in illo, omnino variare: nam pilos quandoque et in hoc deesse vidi, et rarius at interdum inveni et in illo. — Linnaeus pro Anthemide tomentosa proposuit in Hort. Cliff. p. 415. n. 3, et Sp. pl. ed. I. p. 893. plantam graecam foliis pinnatifidis obtusis planis, pedunculis hirsutis foliosis, calycibus tomentosis ab Anacyclo clavato longe diversam, et huic descriptioni ne verbum addidit usque ad editionem duodecimam Syst. nat. Holm. 1766. Hoc anno autem cum Gouanius Linnaeo misisset Anthemidem quamdam monspeliensem (Anacyclus tomentosus DC.), ut hujus nomen cognosceret (Gou. ill. pl. p. 70), factum est ut hic Gouani plantam habuerit pro sua Anth. tomentosa: ideoque cum ageret de hac specie in editione illa duodecima Syst. nat. veteri diagnosi A. tomentosae suae addidit corollas biaristatas, quae quidem plantae Gouani propriae, speciei Linnaeanae deficiunt. In operibus posterioribus nullibi Linnaeus de hac planta locutus est, solum in Mantiss. alt. p. 474 A. tomentosae adjunxit characteres aliquot plantae suae vere proprios, quique A. tomentosam Gou. plane excludunt, et (quod notandum) de corollis biaristatis omnino siluit. Ex hisce omnibus patet plantam H. Cliff. et Sp. pl. ed. I. et II. veram esse A. tomentosam L. primigeniam, eamdemque quam serius sub eodem nomine Willdenovius descripsit in Sp. pl. 3. p. 2176, nec quam dedit Gouanius; et ab A. tomentosa Syst. nat. ed. XII. et XIII. excludi debere characterem corollae biaristatae, quippe qui ex alia planta desumptus, silicet ab A. tomentosa Gou. Hujus notae insuper Linnaeus ipse dubitasse videtur, qui loco citato eamdem litteris cursivis sive italicis ab antiqua diagnosi distinctam voluit. Species vera Linnaeana, quam habeo e loco classico in Graeciae maritimis, probabiliter non differt a simillima A. peregrina L. et DC. quae sola diagnosi et quidem brevi, absque synonimis et loco natali, a Linnaeo indicata in editione X. et XI. p. 1223. Syst. nat., omissa fuit in omnibus ejusdem operibus posterioribus, sane quia Linnaeus ipse hanc ab illa minime differre agnoscens, eam e specierum censu delevit. In Linnaei herbario ex cl. Guss. syn. fl. sic. 2. p. 488. pro A. tomentosa adest varietas minor A. montanae, quae tamen differt pedunculis duplo longioribus nudis cylindricis, nec demum clavatis brevioribus ut in illa, squamis involucri nigro-marginatis nec albo-scariosis, paleis tridentatis, dente medio in spinulam elongato, nec subintegris cuspidatis.

CCXXXVII. Anthemis L.

Gen. pl. ed. II. p. 312.

Char. Capitula radiata, involucro hemisphaerico, corollis radii ligulatis foemineis, disci tubulosis bialatis hermaphroditis. Achenium turbinatum apterum saepissime apice coronatum. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

678. Anthemis arvensis L. sp. pl. ed. II. p. 1261. Vis. stirp. dalm. p. 25. Host fl. austr. 2. p. 507. Rchb. fl. germ. exc. p. 226. Alsch. fl. jadr. p. 200. Pett. bot. Wegw. n. 71.

A. pubescens, foliis bipinnatifidis, laciniis lineari-lanceolatis acutis mucronatis integris, aut inciso-dentatis, receptaculo conico elongato, paleis lanceolatis acuminato-mucronatis, acheniis sulcatis margine membranaceo coronatis, exterioribus crassioribus coronula sublobata, aut callosa integra.

Syn. Anthemis austriaca Alsch. fl. jadr. p. 199. ex herb! non L. — Icon. Coll. pedem. tab. LXXIV. f. 1. Gaertn. de fr. et sem. tab. 168. f. 10. Flor. dan. t. 1179.

Hab. in agris totius Dalmatiae frequens. Radius albus. Floret aestate. ⊙.

Obs. Achenia variant conica vel ovalia, subteretia vel tetragona, margine subnullo vel membranaceo, integro aut lobato aut calloso, tetragono aut orbiculari, et hic postremus praecipue occurrit in acheniis exterioribus. Haec semper crassiora sunt obovato-truncata et arcte stipata. Huic lusui marginis callosi superstructa est A. incrassata Lois. fl. gall. 2. p. 256, cui videtur etiam referenda A. agrestis Wallr. sched. crit. p. 484. Rchb. fl. germ. exc. p. 226; dum vera A. arvensis Linnaeana acheniis gaudet margine tetragono coronatis. Cfr. L. fl. suec. p. 253.

679. Anthemis Cota L. sp. pl. ed. II. p. 1259. Vis. stirp. dalm. p. 25. Host fl. austr. 2. p. 508. Rchb. fl. germ. exc. p. 226. Pett. bot. Wegw. n. 72.

A. glabriuscula, foliis bi-tripinnatifidis, laciniis lineari-lanceolatis mucronato-cuspidatis, receptaculo hemisphaerico, paleis obovatis truncatis abrupte in setam rigidam flore sublongiorem contractis, acheniis compresso-tetragonis apice lateribusque anguste marginatis, utrinque decemcostatis.

Syn. A. altissima L. sp. pl. ed. II. p. 1259. Lam. enc. bot. ed. Pat. I. p. 567. Koch syn. fl. germ. et helv. ed. I. p. 376. ed. II. p. 413. — Icon. Lam. l. c. pl. 683. f. 3. Till. cat. h. pisan. tab. 19. f. 2. Moris. hist. pl. sect. VI. tab. 8. f. 11. J. Bauh. hist. pl. 3. p. 120.

Hab. in agris et inter segetes circa Zara, Traù, Spalato, Ragusa et in insula Lesina. Flores magni radio albo. Floret aestate. ⊙.

Obs. Anthemidem altissimam L. seu Chamaemelo affine Buphthalmum italicum segetum altissimum J. Bauh., a quo nomen specificum Linnaeus desumpsit, eamdem esse ac A. Cotam ejusdem clare patet ex utriusque plantae descriptionibus apud auctores, quarum notae omnino similes et omnes ejusdem speciei propriae, ex iconum pro utraque citatarum aequalitate, et ex loci natalis promiscuitate. Nomen Cotae vero alteri anteferendum esse jure anterioritatis liquet ex eo, quod Linnaeus hoc nomen jam a Michelio desumpserit, qui plantam hanc per Hetruriam copiosissimam et praesertim in agro Florentino ubi omnibus sub Cotae nomine nota est, eamdem esse testatur, cujus Caesalpinus sub eodem nomine sermonem fecerat, quaeque adhuc in hujus herbario asservatur. (Cfr. Michel. nov. gen. pl. p. 32. et Caesalp. de plant. p. 492, qui tamen hic loci Cotam confundit cum Cotula). Cum igitur haec sit vera Cota, Caesalpini et Michelii, ideoque etiam Linnaei, nomen hoc tribui nequit nec plantae a cl. Koch pro A. Cota propositae, quae modo A. Pseudo-Cota mihi audit, nec A. Triumfetti, cui cl. Savi ipsam retulit, etsi hoc recte factum suspicatus sit DC. in prod. syst. nat. 6. p. 11.

680. Anthemis Pseudo-Cota Vis.

A. foliis bipinnatifidis, laciniis obverse linearibus obtusiusculis mucronulatis, receptaculo hemisphaerico, paleis oblongis tenuibus apice acuminatis flore brevioribus, acheniis compresso-tetragonis, apice argute marginatis, utrinque 5—7 costatis.

Syn. Anthemis Cota Koch Syn. fl. germ. et helv. ed. I. p. 376. ed. II. p. 414, ejusque fide Vivian. in herb. berolin, et A. austriaca var. virens Rchb. in fl. germ. exsicc. n. 735. — Icon. Fl. dalm. icon. tab. L. — Illyr. Ravan.

Hab. in agris siccis circa Gelsa in insula Lesina, locis collinis circa Dernis, etiam in montibus Vellebith et Dinara. Flores praecedentis minores, radio albo. Floret aestate. ⊙ vel ♄.

Descr. Herba radice annua, interdum basi sublignosa perennans. Caulis adscendens vel erectus, ramosus, raro simplex. Folia glabra vel puberula crassiuscula bipinnatipartita, laciniis apice latioribus obtusiusculis breviter mucronatis, integris vel raro incisis, subtus punctatis, remotiusculis, rhachide edentula, superioribus minus divisis (fig. d.). Pedunculi cylindrici, rarissime florem versus quidquam crassiores. Squamae capituli oblongae obtusae scarioso-marginatae carina virides, extus sublanuginosae. Receptaculum paleis oblongis apice attenuatis et cuspide brevi rigidula mucronatis, dorso carinatis (fig. a.). Achenia cuneata compressa, utrinque tenuissime 5—7 costata, apice coronula tenui integra acuta breviter marginata (fig. b. c.).

Obs. Hanc esse plantam a cl. Koch pro A. Cota propositam indubie patet ex speciminibus authenticis ab egr. Noe prope Fiume collectis et illi mihique communicatis, quibus cl. auctor speciem suam superstruxit. Discrepat vero a Cota Caesalpini et Linnaei praeter notas superius adductas, paleis inermibus, flore minore, pedunculis cylindricis, foliorum lacinulis obtusiusculis nec subspinosis.

681. Anthemis austriaca Jacq. fl. austr. 5. p 22. Host fl. austr. 2. p. 507. Rchb. fl. germ. exc. p. 226.

A. lanuginosa, foliis pectinato-bipinnatifidis, laciniis late lanceolatis, lacinulis lanceolato-acuminatis mucronatis integris, receptaculo hemisphaerico, paleis obovato-oblongis apice acuminatis flores subaequantibus, acheniis complanato-tetragonis margine scarioso sublobato coronatis utrinque tenuissime striatis.

Syn. Anthemis Triumfetti All. misc. taur. A. tinctoria β. Triumfetti L. sp. pl. ed. II. p. 1263. A. rigescens W. hort. berol. 1. p. 62. A. austriaca β. Triumfetti DC. prodr. VI. p. 11. — Icon. Jacq. fl. austr. tab. 444. Rchb. icon. bot. cent. IV. f. 509. W. icon. h. berol. t. 62. Barrel. icon. stirp. 466.

Hab. in apricis agrestibus circa Narenta, unde misit Neumayer. Flores radio albo. Floret aestate. ♂ vel ♃.

Obs. Characteres, quibus auctores aliqui A. Triumfetti ab A. austriaca distinguunt, nempe lacinulae pinnularum integrae vel subserratae, paleae oblongae aut lanceolatae, achenia tristriata vel quinquestriata minime constantes esse cognovi, ut plantas simillimas specifice discriminarent. Quoad durationem ipsa A. Triumfetti ex cl. Gusson. fl. sic. syn. p. 486. frequentius biennis est. Pappus hic quoque longitudine varius, ut ex comparatione iconis Reichenbachianae cum Willdenowiana, quae plantam nostram exacte refert, facile patet. Icon Bocconi mus. piant. rar. tab. 25. huc adducta certe non Anthemidem ullam, sed potius Achilleam ligusticam exhibet, ut recte putat cl. Rchb. fl. exc. p. 229. Icon Triumfetti Obs. pl. p. 79. etsi nostrae speciei pertineat, admodum rudis et incompleta.

v. A. dalmaticam Sch. in Walp. rep. 6. p. 18..

682. Anthemis chia L. sp. pl. 2. p. 1260.

A. caulibus puberulis, ramis apice elongatis aphyllis, foliis bipinnatifidis petiolatis glabris, petiolis dentatis basi dilatatis inciso-pectinatis, foliorum pinnis patentibus, lobis incisis pinnatifidisve, lobulis oblongis mucronatis, receptaculo hemisphaerico, paleis obtusis obovato-cuneatis, exterioribus margine, intimis omnino hyalinis, acheniis teretiusculis septemcostatis, pappo amplo auriculaeformi laterali membranaceo tubum corollae aequante.

Icon. Gusson. pl. rar. sic. tab. 60. Buxb. cent. pl. 5. tab. 70.

Hab. frequens ad vias et in ruderatis circa Ragusa, unde misit Neumayer. Flores radio albo. Floret aestate. ⊙.

Obs. Paleae receptaculi tum exteriores tum intimae obtusae, sed illae apicem versus latiores et dorso opacae, hae omnino hyalinae angustiores. Pappus in planta nostra tum in radio tum in disco incompletus auricularis.

683. Anthemis Cotula L. sp. pl. ed. II. p. 1261. Host fl. austr. 2. p. 508. Rchb. fl. germ. exc. p. 226. Alsch. fl. jadr. p. 200.

A. glabriuscula, foliis bipinnatifidis, laciniis lineari-subulatis, receptaculo conico basi nudo, versus apicem paleis lineari-setaceis instructo, acheniis obverse conicis 10—costatis tuberculatis apice ecoronatis.

Syn. Maruta Cotula DC. syst. nat. prodr. VI. p. 13. M. foetida CASSIN. dict. d'hist. nat. vol. 29. p. 174. Anthemis ramosa LK.! e spec. h. berol. A. psorosperma TENOR! viagg. in Abruzz. p. 128. e spec. auct. — Icon. Flor. dan. t. 1179. Engl. bot. t. 1772. J. BAUH. hist. pl. 3. lib. XXVI. p. 120. f. sup. LOBEL. ic. stirp. p. 773. f. 2. — Illyr. Divja ramina. Romorika.

Hab. in cultis incultisque circa Zara, Ragusa, Narenta. Flores radio albo. Floret aestate, foetida. ⊙.

Obs. Marutae genus a CASSINIO conditum differre dicitur floribus radii neutris, corollae basi (in disco) cucullata, aut auriculata. At sexum radii nunc neutrum esse nunc foemineum cl. MORIS vidit, mihique saepius contigit observare, et corollae basis sic dilatata ut achenii discum epigynum omnino tegat, nec tamen ipsius summitatem includat, parvi momenti notam exhibet ut generi distinguendo sufficiat. Costae achenii saepius evidenter, raro obscure tuberculatae. Achenii apex nullum marginem proprium crenulatum habet, qui margini coronanti aliarum Anthemidum possit aequiparari, sed tuberculus supremus cujusque costae sub disco prominens circa ipsum fere coronam efficit, ejusque speciem mentitur.

CCXXXVIII. Diotis Desf.

Flor. atlant. 2. p. 261.

Char. Capitula discoidea, involucro campanulato, flosculis omnibus tubulosis hermaphroditis, corollae tubo bialato basi in calcaria bina ovarium stipantia producto. Achenia angulata aptera calva. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

684. Diotis maritima HOOK. lond. SMITH. engl. fl. 3. p. 403.

Syn. Filago maritima L. sp. pl. ed. I. p. 927. Athanasia maritima L. sp. pl. ed. II. p. 1182. Santolina maritima SM. fl. brit. 2. p. 860. Diotis candidissima DESF. loc. cit. Otanthus maritimus LK. fl. portug. 2. p. 365. HOST fl. austr. 2. p. 453. RCHB. fl. germ. exc. p. 219. — Icon. GAERTN. de fr. et sem. 2. tab. 165. sub Gnaphalio. CLUS. hist. pl. 1. p. 329. MILL. icon. pl. t. 135. CAMER. epit. pl. p. 605.

Hab. in arenosis maritimis insulae Busi prope Lesina copiose, et circa Budua. Floret aestate.

Obs. Planta herbacea basi suffruticosa, undique candido et denso tomento lanata, caulibus superne ramosis, foliis alternis oblongis semiamplexicaulibus obtusis integris, capitulis ad apicem ramulorum solitariis in corymbum dispositis, floribus luteis.

CCXXXIX. Santolina Tourn.

Instit. rei. herb. p. 460. tab. 260.

Char. Capitula discoidea, involucro hemisphaerico, flosculis omnibus tubulosis hermaphroditis, corollae basi in cucullum ovarii apicem includentem producta. Achenia pyramidato-tetragona calva. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

685. Santolina Chamae Cyparissus L. sp. pl. 2. p. 1179. RCHB. fl. germ. exc. p. 225.

S. canescens fruticosa ramosa, ramis apice aphyllis monocephalis, foliis quadrifariam dentatis, dentibus subulatis obtusis, squamis involucri carinatis.

Syn. S. incana LAM. fl. fr. 2. p. 43. — Icon. LAM. enc. bot. t. 671. f. 3. BLACKW. herb. t. 346. MORIS. hist. pl. sect. 6. tab. 3. f. 12.

Hab. in apricis circa Lesina et Ragusa. Floret aestate. Flores lutei. ♄.

CCXL. Achillea L.

Gen. pl. ed. II. p. 312.

Char. Capitula radiata involucro ovato aut oblongo, flosculis radii ligulatis foemineis ligula subrotunda, disci tubulosis hermaphroditis. Achenia obovato-compressa aptera calva. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

*Ptarmica Tourn. Inst. rei herb. p. 496. tab. 283.
radio involucrum subaequante, subseptemfloro.

686. Achillea Clavenae L. sp. pl. ed. II. p. 1266. Host fl. austr. 2. p. 510. Rchb. fl. germ. exc. p. 223. Alsch. fl. jadr. p. 200. Pett. bot. Wegw. n. 6.

A. suffruticosa cano-sericea, foliis radicalibus caulinisque inferioribus oblongo-cuneatis pinnatifidis lobis integris lobulatisve, basi in petiolum attenuatis integris, supremis sessilibus, caule indiviso superne aphyllo, corymbo simplici.

Syn. Achillea capitata W. tract. de Achill. p. 1. — Icon. Jacq. fl. austr. tab. 76. W. tract. de Achill. tab. 1. f. 1. Clus. hist. pl. p. 340. f. 1. —

Var. β. argentea: foliis cauliniis oblongo-linearibus integris, radio subquinquefloro. — Syn. A. argentea Vis. in Ergänz. zur Fl. od. bot. zeit. 1829. I. B. n. 33. — Icon. Flor. dalm. tab. IX. f. 2.

Hab. in apricis saxosis montium Vellebith, varietas iidem locis in jugo Troglav montis Biokovo (alt. ped. paris. 5200.). Floret aestate. Involucri squamae nigro-marginatae: corollae radii albae. ♄.

Obs. Varietas nostra est forma australis, minor, basi lignosior, nitide argentea, foliis minus lobatis, interdum solo apice incisis, rarius radicalibus integerrimis, caulinis indivisis. — Nomen specificum Linnaeanum non a plantae patria prope Clavennam, ut putasse videtur cl. DC. prodr. syst. veg. VI. p. 21, sed a Nicolao Clavena bellunensi, qui de hac planta libellum edidit sub titulo Historia Absinthii umbelliferi Venet. 1610. 8. cum ic. Hoc synonimon Casp. Bauhinus subscripsit in Pinace p. 139. 140. sub Absinthio alpino umbellifero latifolio et hinc Linnaeus Clavenae nomen hausit cum Bauhinianum synonimon ad suam A. Clavenae citaret. Ex hoc patet etiam nomen hoc scribendum esse Clavenae, ut cll. Reichenbach, Koch et nuperi quidam scribunt, nec Clavennae, ut Linnaeus, DC. et fere omnes scripsere.

687. Achillea abrotanoides Vis.

A. suffruticosa piloso-cinerea, foliis circumscriptione ovalibus ovatisque bipinnatipartitis punctatis, radicalibus petiolatis, caulinis sessilibus, summis pinnatipartitis, omnium laciniis floralibusque oblongo-linearibus acutis mucronulatis, caule corymboso-ramoso, corymbo composito.

Syn. et *Icon.* Ptarmica abrotanoides Vis. Icon. fl. dalm. tab. X. f. 1.

Hab. in apricis rupestribus montis Orien in Krivoscie ad alt. 5000 ped., ubi invenit Neumayer. Floret Junio, Augusto. Squamae involucri nunc anguste nigro-marginatae, nunc unicolores; radius albus. ♄.

Descr. Rhizoma subterraneum nigricans lignosum fibrillosum ramosum, unde saepius caules plures assurgunt adscendentes vel recti, angulati, apice in ramos corymbiferos corymbi modo divisi, ut tota planta, villo brevi canescente obsiti. Folia in surculorum juniorum apice, et ad caulium basim longe petiolata, dein sensim brevius, superiora sessilia, fere omnia bipinnatipartita, summis pinnatipartitis, floralibus paucissimis integris. Haec postrema et reliquorum partitiones oblongo-lineares, utrinque parum, apice magis attenuatae acutae mucronatae, subtus impresso-punctatae (litt. e.). Florum corymbi in cujusvis rami primarii apice 3—7 cephali. Capitulus campanulatus pubescens ebracteatus lineam longus, parum angustior, squamis oblongis obtusis, exterioribus apicem versus fusco-marginatis vel unicoloribus, ibique leviter fissis ciliatisque (litt. a.); squamis receptaculi unicoloribus subintegris glabris (litt. b.). Corollae radii 5—7

ligulatae, tubo basi inflato et in brevem cucullum producto achenii apicem includentem, limbo subrotundo vel subquadrato tricrenato, subtus glanduloso-punctato, pistilliferae, steriles, acheniis scilicet abortientibus complanatis cuneato-obovatis, margine et apice hyalinis (litt. c.). Corollae disci infundibuliformes limbo quinquelobo recto acutiusculo, laciniis ovatis (litt. d.), tubo glanduloso basi in cucullum acutum achenii apicem, seu sextam achenii partem includentem producto, cucullo interdum repando. Achenia ovalia vel obovata, crasse et anguste marginata, utrinque convexiuscula, intus bisulca, aptera, calva. Odor Artemisiae Abrotani. — Planta haec nulli ex Ptarmicis vere affinis Ptarmica est quoad marginem fuscum squamarum involucri, quae tamen ludunt etiam unicolores et quoad ligularum numerum, latitudinem et longitudinem: Achillea vero quoad parvitatem capitulorum et consequenter etiam receptaculi: hinc binas sectiones jungit et Ptarmicae generis suppressionem confirmat.

**Millefolium Tourn. inst. rei herb. p. 495. tab. 283.
radio involucro breviore, quinquefloro.

688. Achillea Millefolium L. sp. pl. 2. p. 1267. Vis. stirp. dalm. p. 23. Host fl. austr. 2. p. 512. Rchb. fl. germ. exc. p. 230. Alsch. fl. jadr. p. 200. Pett. bot. Wegw. n. 3.

A. foliis caulinis lanceolatis sublinearibusve bipinnatipartitis, pinnulis subincisis, lobulis acuminatis mucronatis, rachi latiuscula integra vel apice subdentata.

Var. α. sylvatica: major, foliis latioribus, pinnulis lobulisque latiusculis remotioribus. — Syn. Achillea magna Vis. l. c. Pett. bot. Wegw. n. 7. — Icon. Flor. dan. t. 737. —

Var. β. collina: minor, foliis tenuius dissectis, pinnis confertis. — Icon. Blackw. herb. t. 18.

Var. γ. lanata: lanato-villosa, foliis sublinearibus tenuiter et dense dissectis basi utrinque auriculatis, capitulis minoribus. — Syn. A. lanata Auctor. non Spr. — Icon. Bull. herb. de la Fr. t. 163. — Illyr. Kunji rep. Stolistuik. Kosteniza. Sporisc.

Hab. in pratis, pascuis, ad vias et colles totius Dalmatiae frequens: var. γ. locis saxosis apricis siccis. Flores radio albo, albido aut roseo. Floret ab aestatem in autumnum. ♃.

Obs. Varietates istae, seu potius variationes ex stationis diversitate, prima fronte, et seorsum visae bene distinctae, sed adsunt formae intermediae illas in speciem unicam colligentes.

689. Achillea tanacetifolia All. fl. pedem. 1. p. 183. Host fl. austr. 2. p. 510. Rchb. fl. germ. exc. p. 229—30.

A. foliis caulinis oblongis bipinnatipartitis, pinnis oblongis, pinnulis subincisis, lobulis mucronulatis, rachi alata apice subulato-dentata, paleis receptaculi apice piliferis.

Icon. Moris. hist. oxon. sect. 6. tab. 11. f. 3.

Hab. in saxosis apricis circa Vergoraz, ubi specimen macrum inveni loco Kosiza dicto. Floret aestate. Flores albi. ♃.

690. Achillea nobilis L. sp. pl. 2. p. 1268. Vis. stirp. dalm. p. 23. Host fl. austr. 2. p. 511. Rchb. fl. germ. exc. p. 230.

A. foliis caulinis ovalibus bipinnatipartitis, pinnis lanceolatis basi cuneatis, pinnulis incisis lobulis mucronulatis, rachi superne alata dentata, dentibus lanceolato-linearibus, paleis receptaculi glabris.

Icon. Moris. hist. oxon. sect. 6. tab. 11. f. 4. bona. Trag. de stirp. hist. comm. p. 476. mediocr.

Hab. in sylvaticis montium Vellebith copiose. Floret aestate. Flores albi. ♃.

691. Achillea odorata L. sp. pl. 2. p. 1268 (excl. BARREL. syn.).

A. foliis caulinis oblongo-ovalibus bipinnatipartitis, pinnis oblongis, pinnulis integerrimis, rarius unidentatis, mucronulatis, rachi integerrima angusta, paleis receptaculi apice piliferis.

Icon. BARREL. ic. stirp. t. 992.

Hab. in saxosis apricis circa Traù, Sign, Ragusa, et in insula Pago. Flores albi, in sicco ochroleuci. Floret aestate. ♃.

Obs. Valde affinis praecedenti, a qua tantum forma et integritate pinnularum et rachidis videtur diversa. LINNAEUS loco TANACETI minoris, albo MILLEFOLII flore odori BARREL. (quod exhibet icon 992 et nostrae pertinet), per errorem citavit aliud BARRELIERI synonimon, nempe MILLEFOLIUM minimum crispum fl. albo hispanicum, cui vero spectat icon 1114. Auctores plurimi pro hac habent A. odoratam WULF. in JACQ. collect. 1. p. 259. tab. 21, quae pinnis setaceis diversa, eadem est ac A. setacea W. et KIT. pl. hung. 1. p. 82. tab. 80., et ex inspectione speciminum WULFENII cl. KOCHIO visa est forma humilior A. MILLEFOLII (SYN. fl. germ. ed. II. p. 410.). Certe planta WULFENII nullam habet cum A. nobili similitudinem, qualem auctores notant in A. odorata L., ideoque videtur ab hac aliena.

692. Achillea ligustica ALLION. fl. pedem. 1. p. 181. HOST fl. austr. 2. p. 511. RCHB. fl. germ. exc. p. 229.

A. foliis caulinis ovalibus bipinnatipartitis, pinnis linearibus, pinnulis integerrimis mucronatis, rachi angusta integra, serrata aut subulato-dentata, paleis receptaculi apice piliferis.

Icon. ALLION. fl. pedem. tab. 53. f. 2. BOCCON. mus. piant. rar. tab. 25.

Hab. in apricis collinis circa Sebenico et Dernis ubi legi florentem Augusto. Flores radio albi, in sicco albidi. ♃.

Obs. Haec species quoque a praecedente prima fronte diversa, tamen aegre distinguitur, nec forsan immerito A. nobilis, A. odorata et A. ligustica unius speciei polymorphae lusus habendae. Rachis dentata vel integra, pinnae latiores vel angustiores notas constantes haud exhibent, ut hisce solis specierum caeteroquin simillimarum distinctio omnis credatur.

Sect. II. Chrysanthemeae.

Less. syn. comp. p. 250.

Capitulis radiatis, rarissime discoideis, receptaculo epaleaceo.

Clavis analytica generum.

Receptaculo intus farcto	vid. Nr. 1	Receptaculo intus cavo. *Matricaria.*
1. Acheniis apice eglandulosis.	- - 2	Acheniis apice uni-biglandulosis. *Chamaemelum.*
2. Acheniis apteris conformibus. *Chrysanthemum.*		Acheniis radii tripteris, disci monopteris. *Pinardia.*

CCXLI. Matricaria L.

Gen. pl. ed. II. p. 309. (excl. spec.)

Char. Capitula radiata, involucro hemisphaerico, corollis radii ligulatis foemineis, disci tubulosis teretibus hermaphroditis. Receptaculum conicum, rarius ovatum, nudum, intus cavum. Achenium oblongum teres apterum, dorso laeve, facie tenuissime quinque-costatum, eglandulosum, pappo nullo aut membranaceo. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

693. Matricaria Chamomilla L. fl. svec. ed. II. p. 269, et sp. pl. ed. II. p. 1256 (non ed. I.). Vis. stirp. dalm. p. 40. Host fl. austr. 2. p. 506. Rchb. fl. germ. exc. p. 231. Alsch. fl. jadr. p. 198. Pett. bot. Wegw. n. 592.

M. glabra, caule ramoso diffuso, foliis bi-tripinnatipartitis, lobis subulato-linearibus, involucri squamis oblongis margine albidis.

*acheniis margine minimo prominulo coronatis.

Syn. Matricaria n. 701. L. fl. svec. ed. I., mat. med. n. 401 (excl. syn. ad Anthemidem nobilem pertinentibus.). M. recutita L. sp. pl. ed. I. p. 891. M. suaveolens L. fl. svec. ed. II. p. 297. sp. pl. ed. II. p. 1256. Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 420. Lam. enc. bot. ed. Pat. 3. p. 698. DC. prod. syst. nat. VI. p. 51. non herb! Chamomilla officinalis C. Koch in Linnaea XVII. p. 45.

Icon. Flor. dan. t. 1764. Lam. enc. bot. pl. 678. f. 2. Gaertn. de fr. et sem. 2. tab. 168.

***acheniis omnibus, vel radii pappo membranaceo praeditis.*

Syn. M. pusilla *W. en. pl. h.* berol. p. 907. M. suaveolens DC. herb! M. Courrantiana DC. prodr. syst. nat. p. 52. n. 10. ex herb! M. pyrethroides DC. l. c. n. 13. ex herb! M. Chamomilla β. pappulosa Reut. et Marg. fl. zant. p. 96. in DC. herb! M. coronata Gay ex Koch syn. fl. germ. ed. II. p. 416. M. Kochiana C. H. Schultz Ueb. die Tanacet. p. 26. Chamomilla meridionalis C. Koch in Linnaea XVII. p. 45. — Illyr. Raman. Ramina. Komomilja. Kokotnjak. Materiçnjak.

Hab. in ruderatis, agris, et ad vias totius Dalmatiae frequens. Floret aestate. Radius albus. ⊙.

Usus. Flores ex aqua infusi, vel eorundem aqua stillatitia in affectionibus nervosis, praecipue hystericis, nec non contra dolores colicos frequens in usum veniunt, tum intus sumpti, tum extus adpliciti.

Obs. Matricaria Chamomilla L. sp. pl. ed. I. p. 891. quoad diagnosim est Matricaria inodora L. fl. svec. p. 297: synonima vero eo loco adducta veram M. Chamomillam respiciunt. M. suaveolens L., quam antea Linnaeus ipse vocaverat M. recutitam, non differt a Chamomilla vulgari nisi majori gracilitate et odore gratiori, quae solae notae sane nequeunt distinctam speciem conficere. De hoc omnium primus dubitavit Joh. Frid. Gmelin Syst. nat. ed. XIII. tom. 2. p. 1249; rem vero luculenter ostendit cl. Wahlenberg in fl. svec. p. 279. Quoad alias Matricariae species supra citatas, et a Willdenowio, Candolleo, Gayo et Schultzio ex pappi membranacei praesentia conditas, haec nota variat in uno eodemque individuo, ne dicam in eodem capitulo, veluti observaverat cl. Reuter in Essai d'une flor. de Zante p. 96, et ego centies vidi in Chamomilla nostrali, quae ludit papposa vel calva, et confirmavi in speciminibus authenticis M. suaveolentis, M. Courrantianae et M. pyrethroidis herbarii Candolleani. De hac re longius disserui in Giornale botan. Italiano hujusce anni, ubi si quis plura cupiat, inveniet. M. suaveolens Koch syn. fl. germ. ed. II. p. 416, et C. H. Schultz l. c. p. 29. (non Sm. nec DC. nec L.) est Anthemis lithuanica Bess. Maruta Cotula β. lithuanica DC. prodr. VI. p. 13 ex ipso cl. Koch in litt. M. suaveolens DC. prodr. dicitur acheniis epapposis, sed specimina DC. herb. ex India et Volhinia a me visa pappum gerunt in radio.

CCXLII. Chamaemelum Vis.

Nec alior.

Char. Capitula radiata aut discoidea, involucro hemisphaerico, corollis radii ligulatis foemineis, disci tantum, vel omnibus, tubulosis teretibus hermaphroditis. Receptaculum ovatum nudum intus farctum. Achenium dorso lateribusve minutissime glandulosum, apice uni-biglandulosum, facie crasse tricostata valleculis

fuscis interstincta, pappo scarioso aut nullo. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

694. Chamaemelum uniglandulosum Vis.

Ch. caule ramoso-corymboso, foliis bipinnatipartitis laciniis linearibus acutis, ligulis disco sesqui-longioribus, acheniis oblongo-obovatis in dorsi apice glandula convexa praeditis, calvis, disco epigyno obliquo epunctato achenii apice multo minore.

Syn. Chrysanthemum uniglandulosum Vis. herb.! — Icon. Fl. dalm. tab. LI. fig. I.

Hab. in cultis et herbidis montium Vellebith ad confinia inter Dalmatiam et Croatiam, altitud. 2500—3000 ped. Radius albus. Floret aestate. ⊙.

Descr. Herba uni-bipedalis, glabra, caule erecto, sulcato-angulato, ramosissimo, apice corymboso, ramis apice nudis monocephalis, foliis bi-tripinnatipartitis, laciniis linearibus planis acutis. Capitulum hemisphaericum squamis oblongis obtusis scariosis carina viridibus; receptaculo ovato vel semigloboso, nudo, foveolato; flosculis radii ligulatis foemineis, ligula oblongo-lineari apice truncata tridentata, disco sesquilongiore (litt. d.), disci tubulosis quinquefidis hermaphroditis. Achenia omnia conformia oblonga, vel oblongo-obovata, subcompressa, triquetra, subincurva, dorso convexiuscula vel carinata et tranverse plicato-glandulosa, glandulis pellucidis, in dorsi apice glandula unica, rarius didyma sulco divisa, saepius subrotunda convexa nigra, vel rufa, praedita (litt. a.): facie interna costis tribus crassis obtusis valde prominulis et binis valleculis fuscis interstinctis, ornata (litt. b.): apice calva, disco epigyno obliquo epunctato minimo. — Species Matricariae inodorae L. et DC. toto habitu simillima, tamen floribus majoribus, ligulis longioribus et praecipue acheniis calvis uniglandulosis triquetris, et disco epigyno obliquo epunctato minimo, egregie distincta. — Litt. c. iconis hujus exhibet achenium transverse sectum.

Obs. Matricaria inodora L. typum sistit novi generis, a Matricariis receptaculo farcto et acheniis glandulosis tricostatis, a Chrysanthemis corollis teretibus et achenii glandulis sat diversi. Chamaemelum voco ex nomine Bauhiniano hujusce plantae, quae vox variis generibus imposita nulli servata fuit, si demas Sect. I. generis Anthemis DC. prodr. VI. p. 4.; quae tamen sectio servari nequit, cum sola absentia pappi nitatur, quae ubique variabilis, in iisdem speciebus istius sectionis non raro deest. Generi Chamaemelo pertinent, praeter nostra, sequentes species inter se valde similes, quae tamen solis achenii notis facillime discriminantur.

Chamaemelum inodorum Casp. Bauh. pin. th. bot. p. 135.

Ch. acheniis cuneatis subtetragonis truncatis, sub dorsi apice impresso-biglandulosis, pappo marginali quadrangulari integro, disco epigyno exacte terminali, latitudinem apicis achenii aequante, nigro-bipunctato.

Syn. Matricaria n. 702. L. fl. svec. ed. I. et mat. med. n. 402 (exclus. syn. quae M. Chamomillae propria), M. Chamomilla L. sp. pl. ed. I. p. 891 (non ed. II.) DC. prodr. syst. nat. VI. p. 51 (non herb! utr. excl. syn. M. Chamomillae propriis.) M. inodora L. fl. svec. ed. II. p. 297. DC. prodr. syst. nat. VI. p. 52. (non herb!) Chrysanthemum inodorum L. sp. pl. ed. II. p. 1253. Pyrethrum inodorum Sm. fl. brit. ed. Roem. 2. p. 900. Chamomilla inodora C. Koch in Linnaea vol. XVII. p. 45. Tripleurospermum inodorum C. H. Schultz bip. Ueb. die Tanacet. p. 32. — Icon. Flor. dan. t. 696. Fuchs. hist. stirp. p. 144. Tabern. ic. stirp. p. 21. f. 1.

Var. β. maritimum: minus, caule diffuso, laciniis foliorum crassioribus abbreviatis. — Syn. Chrys. inodorum β. L. sp. pl. ed. II. p. 1253.

Hab. in Europae arvis et satis. Datur etiam variatio floribus discoideis.

Chamaemelum disciforme Vis.

Ch. acheniis oblongo-obovatis triquetris in dorsi apice convexo-biglandulosis, orbiculo albo integro minimo coronatis, disco epigyno terminali epunctato, achenii apice multo minore.

Syn. Chrysanthemum disciforme Mey. Matricaria disciformis DC. prodr. syst. nat. VI. p. 51. Tripleurospermum disciforme C. H. Schultz bip. l. c. p. 34.

Hab. in Caucaso, Persia. Achenii facies utroque latere glandulis minimis sparsa. Ligulae minimae.

M **Chamaemelum praecox** Vis.

Ch. acheniis subcylindricis sub dorsi apice impresso-biglandulosis, pappo coronante membranaceo inaequaliter bilobo subdentato, disco epigyno exacte terminali latitudinem apicis achenii aequante, nigro-bipunctato.

Syn. Chrysanthemum parviflorum Pers. syn. pl. 2. p. 462. Pyrethrum parviflorum W. sp. pl. 3. p. 2158. P. praecox Bieb. fl. taur. et suppl. n. 1760. Matricaria praecox DC. prodr. syst. nat. VI. p. 52. et herb! Chamomilla praecox C. Koch in Linnaea loc. cit. Gastrosulum praecox C. H. Schultz bip. Ueb. die Tanacet. p. 30.

Hab. in Tauria.

Obs. Chamomillae genus a cl. Car. Koch in Linnaea constitutum nequit servari, tum quia species heterogeneas comprehendit, tum quia ex notis huic generi ibidem tributis ne in una quidem specierum ejus omnes simul occurrunt. Gastrosulum, vel melius Gastrosylum, et Tripleurospermum cl. C. H. Schultz solo pappo in illo bilobo, in hoc integro discrepantia, rectius qua sectiones unius generis naturalis Chamaemeli, quam distincta genera habenda. Vide de hac re observationes nostras in Giorn. bot. Ital. Firenze. 1845.

CCXLIII. Chrysanthemum L.

Gen. pl. ed. II. p. 309.

Char. Capitula radiata, involucro hemisphaerico, corollis radii ligulatis foemineis, disci tubulosis basi compressis hermaphroditis. Receptaculum planum vel convexum. Achenia conformia utrinque angulata, aut sulcato-costata, apice glandulosa, pappo nullo aut membranaceo. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

*Leucanthemum Tourn. inst. rei herb. p. 492.

DC. prodr. syst. nat. VI. p. 45. Phalacrodiscus Less. syn. comp. p. 253.

acheniis radii saepissime coronatis, disci nudis, radio albo.

X **695. Chrysanthemum Leucanthemum** L. sp. pl. ed. II. p. 1251. Vis. stirp. dalm. p. 31. Host fl. austr. 2. p. 501. Rchb. fl. germ. exc. p. 232. Alsch. fl. jadr. p. 198. Pett. bot. Wegw. n. 255.

Ch. foliis infimis longe petiolatis obovato-aut oblongo-spathulatis obtuse dentatis, superioribus sessilibus oblongo-linearibus linearibusve remote serratis: acheniis albo-decem-costatis subtetragonis, radialibus calvis vel pappo membranaceo coronatis.

Var. α. pratense: foliis superioribus oblongis basi incisis, acheniis saepius calvis. — Syn. Leucanthemum vulgare Lam. fl. fr. 2. p. 137. — Icon. Schrk fl. monac. tab. 194. Flor. dan. t. 994. Blackw. herb. t. 42. Matthiol. disc. in Diosc. 1568. p. 960. — Illyr. Volui oko. Revan.

Var. β. laciniatum: foliis caulinis omnibus oblongis pinnatifido-laciniatis acutis, acheniis radii papposis.

Var. γ. montanum: foliis superioribus lanceolatis linearibusve argute aequaliterque serratis, acheniis radii papposis. — Syn. Chr. montanum L. sp. pl. ed. II. p. 1252. Rchb. fl. germ. exc. p. 232. Alsch. fl. jadr. p. 198. Pett. bot. Wegw. n. 256. Chr. lanceolatum Pers. syn. pl. 2. p. 460. — Icon. Jacq. obs. pl. 4. tab. 91. Allion. fl. pedem. tab. 37. f. 2. Lam. enc. bot. pl. 678. f. 4. C. Bauh. prodr. p. 120. f. 2.

Var. δ. nudicaule: simplex, monocephalum, foliis fere omnibus subradicalibus oblongis inciso-serratis, acheniis radii papposis.

Var. ε. graminifolium: gracilius, subsimplex, glabrum, foliis inferioribus cuneato-linearibus subtruncatis argute serratis, supremis linearibus integerrimis, acheniis radii papposis. — Syn. Chr. graminifolium L. sp. pl. ed. II. p. 1252. Rchb. fl. germ. exc. p. 850. Pett. bot. Wegw. n. 254. Phalacrodiscus montanus B. graminifolius C. H. Schultz bip. Ueb. die Tanacet. p. 41. — Icon. Lam. enc. bot. pl. 678. f. 5. Magnol. hort. monsp. p. 31.

Hab. varr. α. et β. in pratis et pascuis: var. γ. in sylvaticis montium Vellebith, Promina, Dinara, Biokovo, nec non supra Narenta et Ragusa: var. δ. in saxosis insulae Pago: var. ε. in apricis nemorosis Bolesnik prope Zara, et saxosis circa Ragusa. Flores radio albo. Floret aestate. ♃. vel ♄.

Obs. Transitionibus innumeris rite observatis ad Chrysanthemum Leucanthemum reduci debere arbitror Chr. montanum, et Chr. graminifolium. Pappum in Chrysanthemis eadem de causa ac in Anthemidibus parvi faciendum esse, nec speciebus, ne dicam generibus, discriminandis sufficere, evidenter mihi patuit ex repetita observatione in floribus radii Chr. Leucanthemi, in quo, non una vice, sed saepius in una eademque planta et non raro in eodem capitulo, inveni achenia radii nunc papposa nunc calva. Quo facto distinctio omnis inter hoc et Chr. montanum penitus evanescit. In Chr. montano insuper et in Chr. graminifolio pappum variare comperi integrum vel divisum; forma nunc coronam, nunc auriculam simulante; extensione, qua nunc fere completus, nunc tantummodo dimidiatus; longitudine nunc tubum corollae aequante, nunc dimidio, nunc triplo breviore; amplitudine denique nunc tubum ipsum arcte, nunc laxe obvolvente. Hinc nec genera sola pappi praesentia a Chrysanthemis distincta, ut Leucanthemum DC., Phalacrodiscus Less., et Pyrethrum Gaertn. amplius retinenda, nec species soli pappi characteribus differentes, ni alia discrimina accedant, servari aut constitui merentur. Folia magnopere variant in Chr. Leucanthemo, sed infima in quavis varietate semper obovata sive apice dilatata et obtuse dentata; interdum vero latius spathulata fiunt, ut in planta pratensi; vel oblongo-spathulata ut in planta montana; vel anguste cuneato-spathulata ut in forma australi et collina, quae Chr. graminifolium L.: caulina inferiora et media nunc oblonga nunc lanceolata, sed semper angustiora et acute serrata: suprema lanceolata vel linearia, argute serrata vel integerrima. Inter has formas transitiones plurimas a latiore ad angustiorem gradatim abeuntes ob oculos habeo. Praeter foliorum formam et glabritiem, quas cum Chr. montano communes habet, Chr. graminifolium non differt ab illo nec caulium simplicitate, cum non raro ramosum occurrat; nec squamis involucri margine fuscis, cum in Dalmatia frequentius adsit squamis hisce margine decoloribus. Var. β. laciniatum accedit foliis ad Chr. ceratophylloides All., recedit squamarum margine albo, et probabiliter utrasque species conjungit. Var. δ. quam habui ex eodem loco, et ab ipso cl. Biasoletto, a quo suam cel. DC., qui eam Pyrethro ceratophylloidi adscripsit (prodr. syst. nat. VI. p. 56.), quoad habitum, quoad folia crenato-nec pinnato-lobata, et squamas albo marginatas potius Chr. Leucanthemo pertinet. Varios Chr. Leucanthemi montani lusus jamdiu expresserat Barrelierus in Icon. plant. tab. 458.

X **696. Chrysanthemum ceratophylloides** Allion. fl. ped. p. 190. Rchb. fl. germ. exc. p. 232.

Ch. foliis infimis petiolatis obovatis, superioribus oblongis sessilibus, omnibus pinnato-lobatis, laciniis lanceolato-linearibus linearibusve, apiculatis mucronatisve, acheniis albo decemcostatis lineari-turbinatis, radii compresso-trigonis pappo membranaceo coronatis, disci subteretibus papposis vel calvis.

Syn. Pyrethrum ceratophylloides Ten. fl. nap. p. 233. DC. prodr. syst. nat. VI. p. 56.

Hab. in sylvaticis Pakleniza in devexitatibus montium Vellebith, ubi legit Jos. Kargl. Floret aestate. ♃.

Obs. Hoc quoque ludit foliis longe et breviter, late et anguste lobatis; rachide dilatata et angusta; squamis toto margine fuscis, vel linea fusca tenui, quam excipit latus margo scariosus albidus, circumscriptis; ligulis oblongis brevioribusque, vel oblongo-linearibus; acheniis omnibus papposis, ut de sua cel. DC., vel disci calvis, ut interdum occurrere

video in ipsis speciminibus pedemontanis a cl. Moris benevole communicatis. Icon Allionii formam foliorum lobis remotis elongatis rachique anguste linearibus exhibens nostrae non quadrat, quae lobis foliorum multo brevioribus et rachide lata gaudet.

**Pyrethrum Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 430. tab. 169. acheniis omnibus apice coronatis, radio albo, rarissime nullo.

X **697. Chrysanthemum cinerariaefolium** Vis.

Chr. incano-sericeum, foliis supra glabris glanduloso-punctatis, inferioribus longe petiolatis pinnatipartitis, pinnis late ovatis subbifidis basi cuneatis, laciniis lobatis partitisve obtusis mucronulatis, superioribus sessilibus, supremis linearibus integris, caule subsimplici ramisve apice nudis monocephalis, acheniis obverse linearibus pappo eroso coronatis, glandulosis, pentagonis.

Syn. Chr. Turreanum Vis. stirp. dalm. spec. p. 19. Pett. bot. Wegw. n. 237. Chr. rigidum Vis. del. sem. h. pat. 1825. Pyrethrum cinerariaefolium Trev. ind. sem. h. Vratisl. 1820, et Act. nat. cur. vol. 13. p. 204. Host fl. austr. 2. p. 506. Rchb. fl. germ. exc. p. 231. Alsch. fl. jadr. p. 199. Tanacetum cinerariaefolium C. H. Schultz bip. Ueb. die Tanacet. p. 58. — Icon. Vis. l. c. tab. VIII. Rchb. hort. bot. cent. 1. p. 25. tab. XXXVI. Boccon. mus. piant. rar. p. 23. tab. 4. et. 31. Zanon. rar. stirp. hist. ed. Monti p. 77—78. tab. 51. — Illyr. Divji pellin.

Hab. in saxosis, umbrosis, et apricis totius Dalmatiae vulgare. Floret vere, et aestate ineunte. ♃.

Obs. Plantae hujus jam ab anno 1660 in H. Patavino cultae (Georg. a Turre cat. pl. h. patav. 1660. p. 63.) et iconibus Bocconi et Zanonii jamdudum fideliter expressae vide fusiorem notitiam et descriptionem in Stirp. dalm. spec. loco citato. Achenia radii interdum compresso-tetragona, et pappo altius dentato coronata.

Usus. Capitula hujus in pulverem trita pulices enecant tum hominis tum animalium, horumque stramini hac de causa immiscetur herba haec, nec Chr. Leucanthemum ut scripsit Cantraine (v. Bullet. de l'Acad. de Bruxell. 1841. vol. 8. p. 234.). Insuper pulveris ejusdem fumigationes culices obstupefaciunt, et contra ipsos jamdiu in Dalmatia, et modo etiam in Regno Veneto usuveniunt.

X **698. Chrysanthemum corymbosum** L. sp. pl. ed. I. p. 890.

Chr. viride, foliis inferioribus breviter petiolatis pinnatipartitis, pinnis ovalibus pinnatisectis, lobis argute serratis mucronatis, caeteris sessilibus, pinnis oblongis mucronato-serratis, caule apice ramoso-corymboso, ligulis oblongis, acheniis linearibus pappo eroso coronatis pentagonis.

Syn. Chr. corymbiferum L. sp. pl. ed. II. p. 1251. Pyrethrum corymbosum W. sp. pl. 3. p. 2155. Host fl. austr. 2. p. 504. Rchb. fl. germ. exc. p. 231. Alsch. fl. jadr. p. 199. Tanacetum corymbosum C. H. Schultz l. c. p. 57. — Icon. Jacq. fl. austr. tab. 379. Barrel. ic. stirp. tab. 781. 782. Clus. hist. pl. III. p. 338. f. 2. — Illyr. Kokotacz.

Hab. in montosis sylvaticis Vellebith, Svilaja, Mossor, Biokovo, Pastrovichio. Floret aestate. ♃.

Obs. Habeo ex herbario Neumayeri speciem aliam huic proximam, sed omnium partium canescentia, gracilitate, pinnis pectinato-partitis, lobis oblongis obtusis, et tamen mucronulatis certe diversam, quam vero ob capitula adhuc inexplicata fusius describere, et tute nominare non audeo.

X **699. Chrysanthemum Parthenium** Pers. syn. pl. 2. p. 462.

Chr. glauco-pubescens, foliis omnibus petiolatis pinnatipartitis, pinnis ovalibus pinnatilobis, lobisque ovatis lobulatis obtusis apiculatis, caule ramoso superne corymboso, ligulis oblongis, acheniis obverse linearibus glandulosis multicostatis, pappo brevissimo denticulato coronatis.

Syn. Matricaria Parthenium L. sp. pl. ed. 2. p. 1255. Pyrethrum Parthenium Sm. fl. brit. ed. Roem. 2. p. 900. Host fl. austr. 2. p. 505. Rchb. fl. germ. exc. p. 231. Alsch. fl. jadr. p. 199. Tanacetum Parthenium C. H. Schultz l. c. p. 55. — Icon. Flor. dan. tab. 674. Bull. herb. de la Fr. tab. 203. Blackw. herb. t. 192. Dodon. pempt. p. 35. — Illyr. Gorka metva, Povratich. Matrikovo zelje. Ruman. Bratich.

Hab. in ruderatis fere spontanea circa Sebenico, Spalato, Ragusa, et Dobrota. Floret aestate. ♃.

Usus. Herba et flores odore gravi, sapore amaro insignes, exhibentur intus forma infusi, et aquae stillatae in hysteria, colica, dyspepsia; extus forma balnei, enematis, cataplasmatis.

700. Chrysanthemum macrophyllum Waldst. et Kit. pl. hung. rar. 1. p. 97.

Chr. viridi-pubescens, foliis inferioribus breviter petiolatis, reliquis sessilibus, omnibus pinnatisetis, pinnis latis oblongo-lanceolatis inciso-pinnatis in rachim late alatam decurrentibus, lobis subduplicato-serratis, serraturis mucronatis, caule subsimplici apice corymboso, ligulis obovato-subrotundis involucri dimidium aequantibus, acheniis obverse linearibus glandulosis pentagonis, pappo brevissimo repando coronatis.

Syn. Achillea macrophylla Pill. et Mitterp. it. poseg. pag. 111. Alsch. fl. jadr. p. 200. Pyrethrum macrophyllum W. sp. pl. 3. p. 2154. Host fl. austr. 2. p. 504. Rchb. fl. germ. exc. p. 231. Gymnocline leucocephala Cass. dict. nat. vol. 20. p. 120. Tanacetum macrophyllum C. H. Schultz l. c. p. 33. — Icon. Waldst. et Kit. l. c. tab. 94.

Hab. in sylvaticis montium Vellebith, ubi legit prof. Alschinger, penes quem vidi. Radius albidus. Floret aestate. ♃.

Obs. Inflorescentia Achilleae, a qua differt receptaculo nudo.

701. Chrysanthemum Tanacetum Vis.

Chr. velutino-cinereum, foliis ellipticis indivisis serratis, inferioribus petiolatis, superioribus sessilibus basi auriculatis pinnatifidisve, caule ramoso-corymboso, capitulis discoideis, involucri squamis intimis apice membranaceo appendiculatis, acheniis oblongis tenuissime quinquecostatis glandulosis, pappo brevissimo subdentato coronatis.

Syn. Tanacetum Balsamita L. sp. pl. ed. II. p. 1184. Balsamita major Desf. act. soc. hist. nat. Par. 1. p. 3. Rchb. fl. germ. exc. p. 225. B. vulgaris W. sp. pl. 3. p. 1802. Alsch. fl. jadr. p. 92. Pyrethrum Tanacetum DC. prodr. syst. nat. VI. p. 63. — Icon. Blackw. herb. t. 98. Dalech. hist. pl. 1. p. 678. Dod. fl. et coron. hist. p. 299. — Illyr. Kàloper. Blàxena metva.

Hab. ubique cultum in hortis. Floret lutei, ut tota herba suaveolentes. Floret aestate. ♃.

Obs. A. Tanacetis veris differt corollis omnibus quinquefidis, nec radialibus trifidis; a Balsamita Desf. hac ipsa nota, et pappo completo: potius notis omnibus accedit Chrysanthemis, a quibus sejungi nequit.

Usus. Herba amara, vermifuga, antispasmodica.

***Xanthophthalmum.

acheniis omnibus apice nudis, radio luteo.

702. Chrysanthemum segetum L. sp. pl. ed. II. p. 1254. Host fl. austr. 2. p. 502. Rchb. fl. germ. exc. p. 232.

Chr. glabrum glaucescens, foliis inferioribus spathulatis inferne dentato-serratis, apice flabellato-trifidis incisis, caulinis oblongis amplexicaulibus inciso-dentatis,

supremis cordato-amplexicaulibus integris, caule ramoso, ligulis ellipticis inciso-tridentatis, acheniis cylindricis sulcatis crasse multicostatis eglandulosis calvis.

Syn. Xanthophtalmum segetum C. H. SCHULTZ bip. l. c. p. 17. — Icon. Flor. dan. t. 997. NISSOLL. in Mem. de l'Acad. du Paris 1724. p. 44. pl. 2. CLUS. hist. 1. p. 334.

Hab. inter segetes insularum Ossero et Lesina, nec non circa Ragusa. Floret aestate. ⊙.

Obs. In acheniis radii, quae paullisper compressa, costa laterum angustiorum prominet quidquam, et crassior est caeteris, sed nec marginem, nec multo minus alam angustam efficit, saltem in nostris. Hoc insuper observatur frequentius in uno latere tantum, raro utrinque in acheniis radii: hinc notis tam mutabilibus genus superstrui nequit. Achenia omnia ita diversa ab illis Chr. coronarii, ut hae species haud possint generice copulari. Folia variant late dentata, aut pinnatifido-laciniata.

CCXLIV. Pinardia Cassin.

Dict. des sc. natur. tom. 41. p. 38.

Char. Capitula radiata involucro hemisphaerico, corollis radii ligulatis foemineis, disci tubulosis teretibus hermaphroditis. Receptaculum convexum Achenia difformia calva, radii tripteris, disci monopteris, alis apice spinulosis. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

703. Pinardia coronaria LESS. syn. gen. comp. p. 255.

P. *glabra*, foliis superne latioribus bipinnatifidis, achenii lateribus sulcatis glandu-loso-vittatis.

Syn. Chrysanthemum coronarium L. sp. pl. ed. II. p. 1254. HOST fl. austr. 2. p. 503. RCHB. fl. germ. exc. p. 232. PETT. bot. Wegw. n. 253. — Icon. ZANON. rar. pl. hist. ed. Mont. tab. 52. MORIS. hist. ox. sect. VI. tab. 4. f. 2. 3. CLUS. hist. pl. 1. p. 335. f. sup.

Hab. in agris insulae Lissa, ubi legi Sept. Flores radii omnino lutei, vel ligulis albis basi luteis. ⊙.

Obs. Genus acheniorum forma bene distinctum, praeter nostram, comprehendit, P. viscosam (Chrys. viscosum DESF. seu P. anisocephalam CASS.) diversam etiam a praecedenti vittarum glandulosarum defectu, quae vittae in quovis achenii latere binae, in exteriori magis conspicuae. Huc quoque, neglecto pappo, referenda est Ismelia CASS. et LESS., ideoque Ismelia versicolor, quae Chrys. carinatum SCHOUSB. Pinardia carinata vocanda. In icone LAM. enc. bot. pl 678. f. 6. variae fructus imagines a GAERTN. de fr. et sem. tab. 168. f. 3. mutuatae, minus verae.

Sect. III. Artemisieae.

Less. syn. comp. p. 263.

Capitulis discoideis, receptaculo epaleaceo.

CCXLV. Artemisia L.

Gen. pl. ed. II. p. 304.

Char. Capitula ovata aut globosa, homogama aut heterogama, corollis teretibus, radii tridentatis, disci quinquedentatis. Receptaculum planum aut convexum. Achenium obovatum apterum calvum, disco epigyno minuto. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia superflua Syst. sex. —

*Absinthium TOURN. inst. rei herb. p. 457. t. 260. GAERTN. 2. p. 393. t. 164.

floribus radii foemineis, disci hermaphroditis, receptaculo villoso.

704. Artemisia Absinthium L. sp. pl. ed. II. p. 1188. Vis. stirp. dalm. p. 26. Host fl. austr. 2. p. 456. Rchb. fl. germ. exc. p. 222. Alsch. fl. jadr. p. 194. Pett. bot. Wegw. n. 106.

A. herbacea, incano-sericea, foliis radicalibns tripinnatisectis longe petiolatis, caulinis bipinnati-et pinnatisectis, basi in petiolum exauriculatum attenuatis, laciniis floralibusque lanceolato-oblongis planis obtusis, floribus ample paniculatis, capitulis nutantibus, squamis exterioribus linearibus, interioribus apice rotundatis, margine scariosis glabris.

Syn. Absinthium vulgare Lam. fl. fr. p. 45. — Icon. Engl. bot. t. 1230. Lam. enc. bot. pl. 695. f. 1. Camer. epit. p. 452. Fuchs. comment. stirp. p. 1. — Illyr. Pellin. Akscenaz. Akscenaz gorki.

Hab. in ruderatis, et ad vias totius Dalmatiae, praecipue in saxosis. Flores lutei. Floret aestate. ♃.

Usus. Folia et summitates hujusce plantae, odore gravi sapore amarissimo praeditae, continuo adhibentur in dyspepsia, anorexia, amenorrhea, helminthiasi, et praecipue contra febres intermittentes, forma pulveris, decocti, tincturae, et extracti.

705. Artemisia arborescens L. sp. pl. ed. II. p. 1188. Host fl. austr. 2. p. 456. Rchb. fl. germ. exc. p. 222.

A. suffruticosa, foliis incano-cinereis petiolatis exauriculatis bi-tripinnatipartitis, laciniis linearibus obtusis planis, floralibus pinnatipartitis, supremis linearibus indivisis, floribus paniculatis, capitulis nutantibus, squamis ovato-oblongis obtusis, exterioribus dorso cinereo-pubescentibus, margine interioribusque scariosis nitidis glabris.

Icon. Lobel. icon. stirp. p. 753. Dodon. pempt. p. 21. f. int. (ead. ac Lob.) — Illyr. Pellin bili.

Hab. in rupium fissuris ad maris littora circa Budua, et frequentius in insula Pelagosa, unde allatum colitur prope Comisa. Usus idem ac Absinthii. Flores lutei. Floret aestate. ♄.

706. Artemisia camphorata Vill. prosp. p. 31. et hist. des pl. dauph. 3. p. 242. Host fl. austr. 2. p. 460. Rchb. fl. germ. exc. p. 220. Alsch. fl. jadr. p. 194. Pett. bot. Wegw. n. 1031.

A. suffruticosa, subcanescens, foliis petiolatis basi auriculatis bipinnatipartitis, laciniis floralibusque linearibus teretiusculis subcarnosis obtusis, floribus virgate paniculatis, capitulis nutantibus, squamis exterioribus linearibus herbaceis canescentibus, interioribus oblongis obtusissimis glabris margine scariosis.

Syn. A. corymbosa Lam. enc. bot. 1. p. 263. A. subcanescens W. en. h. berol. p. 861. A. rupestris Scop. fl. carn. 2. p. 146. — Icon. Balb. et Nocc. fl. ticin. 2. tab. XIV. Columñ. ecphr. 1. p. 54. f. 2. Lobel. icon. stirp. p. 769. f. 1. Dodon. pempt. p. 22. (ead.)

Var. β. Biasolettiana: foliis capitulisque tomento denso albo tectis. Koch syn. fl. germ. ed. II. 1. p. 402. — Syn. A. Biasolettiana Vis. ind. sem. h. patav. 1836. A. Columnae B. Tenor. Syll. pl. neap. p. 422. A. saxatilis W. sp. pl. 3. p. 1830. Rchb. fl. germ. exc. p. 220. Host fl. aust. 2. p. 460. A. nivea Host herb! non W. A. intermedia Host fl. austr. 2. p. 460! — Icon. Fl. dalm. tab. IX. f. 1. Ten. fl. nap. tab. 190. f. 2. — Illyr. Broda.

Var. γ. virens: foliis capitulisque glabratis viridibus.

Hab. in saxosis apricis totius Dalmatiae. var. β. in rupestribus insularum Cherso, Veglia, et Pago: var. γ. locis elatioribus, vel minus apricis litoris vel insularum. Flores lutei. Odor camphoratus gravis. Floret aestate. ♄.

Obs. Planta, quam olim dedi pro A. Biasolettiana, si spontanea observetur, tomenti

copia et canitie ita ab A. camphorata diversa est, et habitu sic peculiari contracto lignoso parvifolio gaudet, ut ni cultura probaveris, distinctam credas. Culta vero tum haec, tum A. Columnae Ten. tomentum exuit, et folia et habitum formae vulgaris assumit. A. saxatilis Rchb. et A. intermedia Host idem sunt ac A. Biasolettiana ex inspectione speciminum originalium ab egr. Noë prope Buccari collectorum, quae auctores illi ob oculos habuerunt et mox citatis nominibus donavere. Receptaculi villi cum flosculis decidunt, hinc illud quibusdam glabrum visum est.

Usus. Herba haec ex aqua decocta lanis viridi colore inficiendis in insula Pago adhibetur.

**Abrotanum Bess. tent. abr. in Mem. de Mosc. v. 3.
floribus radii foemineis, disci hermaphroditis, receptaculo nudo.

X **707. Artemisia paniculata** Lam. enc. bot. ed. Patav. 1. p. 263.

A. suffruticosa erecta, foliis bipinnatisectis petiolatis exauriculatis, lobis foliisque floralibus capillaceis, junioribus canescentibus, superioribus subsessilibus, ramis floriferis stricte paniculatis, panicula pyramidata conferta, capitulis ovalibus erectis demum campanulatis nutantibus, involucri squamis ovalibus, exterioribus herbaceis puberulis, interioribus margine scariosis glabris.

Syn. A. procera W. sp. pl. 3. p. 1818. Host fl. austr. 2. p. 459. A. procera δ. Visianiana Bess. l. c. n. 13. DC. prodr. VI. p. 108. A. Abrotanum Rchb. fl. germ. exc. p. 220. quoad pl. dalmat. A. naronitana Vis. pl. dalm. in erg. bot. zeit. 1830. — Illyr. Sarçeno zelje. Ohsjenaz pitomi. Boxje drivo. Akscenaz sitni, udoviçki.

Hab. ad agrorum margines circa Metkovich prope antiquae Naronae rudera, et in montibus circa Clissa. Planta graveolens. Flores lutei. Floret autumno. ♄.

Obs. Planta nostra quidquam a specie differt caule stricte ramoso nec ramoso-patente, capitulis pubescentibus nec glabris, odore gravi, et canescentia foliorum in caulibus sterilibus, nec squamas involucri interiores apice fimbriatas habet, quales in A. procera petit cl. Besser. Ab A. Abrotano magis recedit foliis multo tenuioribus, panicula multo crassiore conferta, capitulis numquam subrotundis nec albido tomentosis, duplo minoribus rarioribusque.

Usus. Summitates vel in pulverem tritae, vel ex aqua decoctae a Naronitanis contra vermes utiliter propinantur.

X **708. Artemisia scoparia** Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 1. p. 66. Host fl. austr. 2. p. 459. Rchb. fl. germ. exc. p. 219. Alsch. fl. jadr. p. 193. Pett. bot. Wegw. n. 109.

A. herbacea, unicaulis, erecta, foliis inferioribus bi-tripinnatisectis, lobis lineari-lanceolatis abbreviatis patenter villosis petiolatis, auriculatis vel basi pinnatifidis, superioribus sessilibus pinnatisectis, lobis floralibusque anguste linearibus glabris, ramis laxe paniculatis patentibus, capitulis demum ovatis glabris nutantibus, involucri squamis ovatis sensim majoribus, infimis herbaceis, reliqnis margine, intimis omnino scariosis.

Icon. Waldst. et Kit. l. c. tab. 65. — Illyr. Metva.

Hab. locis saxosis, arenosis, sterilibus prope Nona, Boccagnazzo, Zagorie, Lemess, Sticovo, Sign, Trigl, Dugopolje, et alibi in Dalmatia montana. Flores lutei. Floret aestate. ♂ vel ⊙.

Obs. Forma subglobosa capitulis hujus plantae ab auctoribus tributa talis non est ante anthesim, ut in aliis pluribus: planta florente capitula ovata sunt vel ovalia, ut in icone Kitaibeli.

709. Artemisia campestris L. sp. pl. ed. II. p. 1185. Host fl. austr. 2. p. 460. Rchb. fl. germ. exc. p. 220.

A. suffruticosa, multicaulis, adscendens, foliis inferioribus bi-tripinnatisectis petiolatis, auriculatis vel basi pinnatifidis, superioribus sessilibus pinnatisectis, lobis omnium floralibusque anguste linearibus glabris, ramis laxe paniculatis adscenden-

tibus, capitulis subspicatis ovatis glabris nutantibus, involucri squamis ovatis sensim majoribus, infimis mediisque dorso herbaceis, margine intimisque scariosis.

Icon. Flor. dan. t. 1175. Camer. epit. pl. p. 597. Lobel. ic. stirp. p. 767. f. 2. Matthiol. disc. in Diosc. ed. 1568. p. 900.

Hab. ad moenia arcis Knin, nec non in sterilibus prope Sign. Flores lutei. Floret aestate. ♄.

Obs. Praecedenti valde affinis, et vix diversa, uti cuilibet auctorum descriptiones iconesque, et utriusque specimina conferenti clare patebit. Utraque stigmate hermaphroditorum cyathiformi orbiculato denticulato insignis. Cfr. L. fl. svec. ed. II. p. 285. quoad A. campestrem, et W. Kit. loc. cit. p. 67. quoad A. scopariam.

X **710. Artemisia vulgaris** L. sp. pl. 2. p. 1188. Vis. stirp. dalm. p. 26. Host fl. austr. 2. p. 456. Rchb. fl. germ. exc. p. 221. Alsch. fl. jadr. p. 194. Pett. bot. Wegw. n. 110.

A. herbacea, erecta, foliis subtus albo-tomentosis, supra viridibus, basi auriculatis, inferioribus petiolatis lyratis, lobo terminali subrotunde ovato pinnatifido laciniis ovali-lanceolatis incisis, superioribus sessilibus ovalibus pinnatifidis laciniis lanceolatis linearibusque acuminatis integris incisisve, floralibus lineari-lanceolatis integris, ramis laxe paniculatis adscendentibus, capitulis subspicatis ovatis tomentosis cernuis erectisve subsessilibus, involucri squamis ovato-oblongis sensim majoribus, infimis mediisque dorso herbaceis, margine intimisque scariosis.

Icon. Lam. enc. bot. pl. 695. f. 1. 2. Flor. dan. t. 1176. Blackw. herb. t. 431. Lobel. ic. stirp. p. 764. f. 2. — Illyr. Pellin czěrni, czěrno-bilnik. Pellin divji. Pisana metva. Komunika. Cjoppa.

Hab. ad sepes, vias, ruderata. Flores lutei vel apice rubri. Floret ab aestate in autumnum. ♃.

***Seriphidium Bess. in bull. Soc. Mosc. 1829.
floribus omnibus hermaphroditis, receptaculo nudo.

X **711. Artemisia caerulescens** L. sp. pl. ed. II. p. 1189.

A. suffruticosa, canescens, foliis oblongo-lanceolatis obtusis integris basi attenuatis, inferioribus varie lobatis, ramis floridis paniculatis patentibus, capitulis oblongis trifloris homogamis, squamis ovato-oblongis dorso herbaceis canescentibus, margine intimisque scariosis.

Syn. A. caerulescens α. latifolia DC. prodr. syst. nat. VI. p. 100. — Icon. Sav. mat. med. tab. 38. f. 2. ColumN. ecphr. 2. f. 76. Lobel. ic. stirp. p. 765. f. 2. p. 766. f. 1. — Illyr. Pellin morski, polemorski.

Hab. in paludosis maritimis, locisque salsis insulae Veglia, Pago, circa Zara, Traù, Spalato, Stagno. Flores lutei. Floret ab aestate in autumnum. ♄.

Usus. Herba vel ejusdem summitates decoctae vim habent anthelminthicam, menagogam, febrifugam.

CCXLVI. Tanacetum L.

Gen. pl. ed. II. p. 300.

Char. Capitula hemisphaerica homogama aut heterogama, floribus radii filiformibus tridentatis, disci quinquedentatis. Receptaculum planiusculum. Achenium ovale angulatum, disco epigyno latitudine achenii, pappo marginali coronatum. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

X **712. Tanacetum vulgare** L. sp. pl. ed. II. p. 1184. Host fl. austr. 2. p. 455. Rchb. fl. germ. exc. p. 2. Alsch. fl. jadr. p. 193.

T. foliis pinnatipartitis, laciniis oblongo-lanceolatis serrato-pinnatifidis basi alato-

decurrentibus, rachi dentata, caule ramoso-corymboso, involucri squamis intimis apice scariosis obtusis.

Icon. Flor. dan. tab. 871. LAM. enc. bot. pl. 696. f. 1. BLACKW. herb. t. 464. FUCHS. hist. stirp. p. 46. —

Var. β. crispum: foliorum laciniis latioribus incisis crispis. — Icon. DODON. pempt. p. 36. — Illyr. Vratika, Bratich.

Hab. in sylvaticis, et ad agrorum margines in Dalmatia montana. Flores lutei, et tota planta moschum redolentes. Floret aestate. ♃.

Usus. Herba amara, stomachica, febrifuga, semina anthelminthica.

Trib. XVIII. Heliantheae. *Less.*

Syn. gen. compos. p. 221.

Stylus floris hermaphroditi ramis vel truncatis et pennicillatis, vel cono acuto, aut appendice lineari terminatis. Antherae ecaudatae. Capitula radiata rarius discoidea. Achenia ex angulis pappo aristaeformi munita.

CCXLVII. Helianthus L.

Gen. pl. ed. II. p. 317.

Char. Capitula heterogama, involucri squamis imbricatis, floribus radii ligulatis neutris, disci tubulosis hermaphroditis. Receptaculum plano-convexum paleaceum. Achenia aristis paleaceis 2—4 levibus deciduis ornata. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia frustranea Syst. sex. —

X **713. Helianthus tuberosus** L. sp. pl. ed. II. p. 1277. RCHB. fl. germ. exc. p. 212. ALSCH. fl. jadr. p. 201. PETT. bot. Wegw. n. 466.

H. radice repente tuberifera, scaber, foliis alternis petiolatis triplinerviis serratis, inferioribus cordato-ovatis, superioribus oblongo-ovatis acuminatis, squamis involucri ciliatis.

Icon. JACQ. hort. vind. 2. tab. 161. COLUMN. ecphr. 2. tab. 13. — Illyr. Rippa aràpska.

Hab. in Brasilia, colitur ob tubera edulia circa Mioçich, Verlika, Clissa. Flores lutei. Floret autumno. ♃.

CCXLVIII. Bidens L.

Gen. pl. ed. II. p. 302.

Char. Capitulum homogamum vel heterogamum, involucri squamis biserialibus, floribus omnibus tubulosis hermaphroditis, vel radialibus ligulatis neutris. Receptaculum planiusculum paleaceum. Achenia aculeata, aristis linearibus 2—5 retrorsum ciliato-serrulatis persistentibus. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

X **714. Bidens tripartita** L. sp. pl. ed. II. p. 1165. HOST. fl. austr. 2. p. 450. RCHB. fl. germ. exc. p. 248. ALSCH. fl. jadr. p. 192.

B. foliis tripartitis, laciniis lanceolatis serratis, intermedia interdum trifida, capitulis discoideis, involucri squamis exterioribus foliaceis capitulo longioribus, acheniis bi-triaristatis margine retrorsum serrulatis.

Icon. Sow. engl. bot. t. 1113. LAM. enc. bot. pl. 660. f. 4. BLACKW. herb. t. 419.

Hab. ad fossas et agrorum margines circa Zara, Dernis, Knin, Narenta et Cattaro. Flores lutei. Floret Aug. Sept. ⊙.

Obs. Folia inferiora quandoque indivisa ovali-lanceolata, superiora interdum quinquefida ob laciniam mediam plus minusve trifidam.

SUBORDO III. CICHORIACEAE. *Vaill.*

in Hist. de l'Acad. des Sc. Paris. 1721.

Capitula ligulata homogama hermaphrodita. Stylus cylindricus. —

Trib. XIX. Scolymeae *Less.*

Syn. gen. compos. p. 126.

Receptaculum paleaceum subglobosum, paleis achenium involventibus, eique adnatis. Pappus coroniformis vel setaceus.

CCXLIX. Scolymus Tourn.

Instit. rei herb. p. 480. tab. 273.

Char. Capitulum foliis apice spinescentibus bracteatum, involucro imbricato squamis margine scariosis, acheniis palea involvente alato-marginatis, pappo coroniformi setis binis palea inclusis aristatum vel muticum. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex.

715. Scolymus hispanicus L. sp. pl. ed. II. p. 1143. Vis. stirp. dalm. p. 47. Rchb. fl. germ. exc. p. 280. Alsch. fl. jadr. p. 208. Pett. bot. Wegw. n. 840.

S. biennis, caule lanuginoso, foliis radicalibus oblongo-obovatis, basi pinnatifidis et in petiolum attenuatis, caulinis pinnatifido-spinosis ala deorsum angustata decurrentibus, involucri foliolis omnibus acuminatis, pappo bi-trisetoso.

Syn. Myscolus microcephalus Cass. dict. d'hist. nat. 34. p. 85. Scolymus angiospermus Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 356 (excl. synon. 2. et 3.). Scolymus maculatus Host fl. austr. 2. p. 432. excl. syn. — Icon. Gaertn. de fr. et sem. 2. tab. 157. f. 2. Mill. icon. pl. tab. 229. Clus. hist. pl. 2. p. 153. f. 1. Dodon. pempt. p. 725. f. 1. ead.

Hab. in apricis, saxosis, ruderatis, incultis totius Dalmatiae, et praecipue maritimae, frequens. Corollae et antherae flavae. Floret aestate. ♂.

Obs. Differt ab hoc Sc. maculatus L. sp. pl. ed. II. p. 1142. radice annua, caule glabro, ala foliorum utrinque aequilata, antheris fuscis, acheniis muticis. Gaertnerus utrasque species in icone distinxit, et quamquam in descriptione Sc. angiospermi sui setas se numquam vidisse in cultis plantis affirmet, tamen earum rudimentum sat clare delineavit in icone citata litt. c. Hic juvat observare achenia marginis interdum esse triquetro-cymbaeformia cum aristis vel liberis vel adnatis vel obsoletis; reliqua complanata aristis itidem plus minusve evolutis, interdum etiam paleae cui praestant adnatis (litt. C.). Setae variant binae, ternae et quaternae, duabus semper longioribus.

Trib. XX. Lampsaneae. *Less.*

Syn. gen. compos. p. 126.

Receptaculum nudum planum. Achenia calva.

CCL. Lampsana Tourn.

Inst. rei herb. p. 479. tab. 272.

Char. Involucrum 8—10—phyllum calyculatum angulatum, fructiferum erectum. Achenia obovato-oblonga compressa 20—striata, striis aequalibus, margine brevissimo coronata, decidua, libera. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

716. Lampsana communis L. sp. pl. ed. II. p. 1141. Host fl. austr. 2. p. 430. Rchb. fl. germ. exc. p. 248. Alsch. fl. jadr. p. 208. (excl. syn.)

L. foliis petiolatis dentatis, inferioribus lyratis, vel subrotundis indivisis obtusis, superioribus oblongis acutis, caule ramoso, involucris glaberrimis corollas subaequantibus.

Icon. Flor. dan. tab. 500. Gaertn. de fr. et sem. tab. 157. f. 1. Dodon. pempt. p. 675. f. 2. — Illyr. Oghnjçina trava. Sissava trava.

Hab. ad sepes circa Zara et Ragusa, et in herbidis montis Biokovo. Floret Aprili, Majo. Flores flavi. ⊙.

Obs. Specimina nostra pilosiora sunt, et folia exhibent inferiora non lyrata, sed solo lobo terminali subrotundo constantia.

CCLI. Rhagadiolus Tourn.

Inst. rei herb. p. 679. tab. 272.

Char. Involucrum 5—8—phyllum calyculatum, fructiferum patens. Achenia linearia subtrigona estriata, apice attenuato rostrata, exterioribus involucri squamis obductis iisque brevioribus. — Class Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex.

717. Rhagadiolus stellatus DC. prodr. syst. nat. VII. p. 77.

Rh. calyculo involucri brevissimo, acheniis exterioribus stellato-patentibus.

Var. α. indivisus: foliis indivisis dentatis, acheniis incurvis, exterioribus extus hispidis. — Syn. Lapsana stellata L. sp. pl. ed. II. p. 1141. Rhag. stellatus Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 354. Vis. stirp. dalm. p. 45. Host fl. austr. 2. p. 431. Alsch. fl. jadr. p. 208. Pett. bot. Wegw. n. 770. Rhagodiolus stellatus Rchb. fl. germ. exc. p. 249. — Icon. Gaertn. l. c. tab. 162. f. 2. Lobel. icon. stirp. p. 240. f. 2. Joh. Bauh. hist. pl. 2. p. 1014. f. 1.

Var. β. intermedius DC. prodr. syst. nat. VII. p. 77. foliis inferioribus runcinato-lyratis, acheniis incurvis extus hispidulis. — Syn. Rh. lampsanoides Desf. cat. h. paris. 1829. Rh. intermedius Ten. fl. med. 2. p. 25.

Var. γ. edulis DC. l. c.: foliis inferioribus lyratis, acheniis rectis, glabris. — Syn. Lapsana Rhagadiolus L. sp. pl. ed. II. p. 1141. Rhagadiolus edulis Gaertn. l. c. Vis. stirp. dalm. p. 45. Host fl. austr. 2. p. 431. Rchb. fl. germ. exc. p. 244. Pett. bot. Wegw. n. 769. — Illyr. Púpavicza.

Hab. in locis graminosis et ad vias in tota Dalmatia; var. γ. praecipue in ejusdem parte orientali a Traù ad Ragusam. Floret Aprili, Majo. Flores flavi. ⊙.

Obs. Involucri squama, achenio ab ipsa obducto longior, apicem achenii simulat incurvum, et flaccidum.

Trib. XXI. Hyoserideae *Less.*

Syn. gen. Compos. p. 127.

Receptaculum nudum planum. Achenia pappo paleaceo, aut coroniformi superata.

CCLII. Cichorium Tourn.

Inst. rei herb. p. 478. tab. 272.

Char. Involucrum duplex, exterius quinquephyllum, interius 8—phyllum, phyllis coalitis. Achenia brevia crassa subtetragona striata, paleis membranaceis obtusis brevissimis coronata, disco epigyno magno. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

718. Cichorium Intybus L. sp. pl. ed. II. p. 1142. Vis. stirp. dalm. p. 31. Host fl. austr. 2. p. 432. Rchb. fl. germ. exc. p. 251. Alsch. fl. jadr. p. 208. Pett. bot. Wegw. n. 258.

C. perenne, caule farcto, foliis floralibus basi ovatis sessilibus, pappo achenio suo multoties breviore.

Var. α. sylvestre: foliis inferioribus runcinatis. — Icon. Flor. dan. tab. 907. Camer. epit. pl. p. 293. Fuchs. hist. stirp. p. 679.

Var. β. indivisum: foliis inferioribus oblongo-lanceolatis serrulatis. — Illyr. Xutinicza. Xuchienicza.

Hab. utrumque sponte in siccis, incultis, ad vias. Flores caerulei, vel albi, vel rosei. Floret aestate. ♃.

Usus. Herba amara, stomachica, febrifuga, solvens; cujus radix et folia ex aqua cocta frequens in usum veniunt. Extractum quoque et syrupus ex ejusdem succo parantur, quae pueris alvum solvunt vel sola vel rheo juncta.

719. Cichorium Endivia L. sp. pl. ed. II. p. 1142. Rchb. fl. germ. exc. p. 251. Alsch. fl. jadr. p. 208.

C. annuum, caule fistuloso, foliis floralibus basi cordatis hastatisve amplexicaulibus, pappo achenio suo duplo breviore.

Icon. Camer. epit. pl. p. 282 (bona). Matthiol. comm. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 528. Fuchs. hist. stirp. p. 677.

Var. β. pumilum: minus, hirtum, foliis inferioribus inciso-runcinatis. — Syn. Cichorium pumilum Jacq. obs. bot. 4. p. 3. Rchb. fl. germ. exc. p. 853. C. minimum Portenschl. en. pl. dalm. p. 16. Pett. bot. Wegw. n. 259. — Icon. Portenschl. l. c. tab. 12. f. 2. Jacq. l. c. t. 80. (cultum.)

Hab. tum species tum varietas in agris et arvis insulae Lesina sponte: haec tamen in saxosis apricis. Florent aestate. Flores caerulei. ⊙.

Obs. C. pumilum Jacq. est eadem planta culta ac C. minimum Portenschl., quae nec ad C. Intybus ut alii putant, nec ad C. divaricatum Schousb. quae hujus varietas, et a quibus allatis notis recedit, vero ad varietatem aut potius formam macriorem C. Endiviae referri debet. Ex hisce patet C. Endiviam plantam esse Europae indigenam, cultura tamen adeo mutatam, ut prima fronte diversam putes. Habeo specimen C. pumili foliis laceris crispis, quod bene refert, data proportione, similes lusus hortenses C. Endiviae. Icones Camer. epit. p. 284, et Dodon. pempt. p. 634. f. 2. Cichoriis hisce veluti intermediae, transitum probant alterius in alterum.

CCLIII. Hyoseris L.

Gen. pl. ed. II. p. 288. (excl. spec.)

Char. Involucrum 8—10—phyllum calyculatum, phyllis subconcavis achenia marginalia excipientibus. Achenia difformia, extimis intimisque linearibus, mediis lanceolatis complanatis alatis. Pappus exteriorum paleis omnibus brevissimis vel quibusdam longioribus, reliquorum paleis elongatis lanceolato-acuminatis, brevioribus capillaribus intermixtis. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex.

720. Hyoseris radiata L. sp. pl. ed. II. p. 1137. Host fl. austr. 2. p. 428. Rchb. fl. germ. exc. p. 250.

H. scapis teretibus folio longioribus, foliis runcinato-pinnatipartitis, lobis deorsum subimbricatis acute incisis, involucro fructifero stellato-patente, acheniis exterioribus setis brevibus et quibusdam longioribus coronatis.

Icon. BOCCON. mus. piant. p. 106. f. 1. BARREL. icon. pl. ic. 237 (ead. ac BOCC.). PLUKEN. alm. t. 37. f. 2. (bona.)

Hab. in umbrosis ad sepes circa Gradaz, Kliake in ditione Dernis, et in saxosis insulae Lesina. Floret vere. Flores flavi. ♃.

Obs. Icon GAERTN. de fr. et sem. 2. p. 373. tab. 160. involucrum fructiferum exhibet clausum et torosum sub α., et achenia radii brevissime papposa ut in H. scabra: illa LAM. enc. bot. p. 654. f. 2., praeter icones has a GAERTNERO mutuatas, folia exhibet a nostra diversa et quae potius H. lucidam sapiunt. Hinc tute citari nequeunt.

721. Hyoseris scabra L. sp. pl. ed. II. p. 1138. VIS. stirp. dalm. p. 38. RCHB. fl. germ. exc. p. 250. PETT. bot. Wegw. n. 494.

H. scapis apice clavato-incrassatis folio brevioribus, foliis runcinato-pinnatifidis, lobis discretis ovatis dentatis, involucro fructifero erecto, acheniis exterioribus brevissime papposis, paleis subaequalibus.

Syn. H. microcephala CASS. dict. d'hist. nat. 22. p. 338. H. adpressa MOENCH. meth. pl. p. 541. H. lucida HOST fl. austr. 2. p. 428. ex herb. PORTENSCHL! non W. Hedypnois lucida LAM. ill. des genr. 3. p. 233. non L. — Icon. LAM. enc. bot. pl. 654. f. 1. BOCCON. mus. t. 106. fig. infima.

Hab. in siccis, et ad vias totius Dalmatiae frequens. Floret a vere in aestatem. Flores flavi. ⊙.

Obs. Synonimon Lamarkii huc pertinere probatur ex icone Encyclopaediae botanicae, quae icon ab ejusdem operis continuatore cl. Poireto ad plantam Lamarkii raepresentandam citatur.

CCLIV. Hedypnois Tourn.

Inst. rei herb. p. 478. t. 271.

Char. Involucrum simplex polyphyllum calyculatum, phyllis canaliculato-involutis, demum incrassatis achenia marginalia involventibus. Achenia uniformia subcylindrica costata incurva, marginalibus pappo coroniformi inaequaliter dentato, centralibus paleis lanceolato-acuminatis setisque brevioribus coronatis. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

722. Hedypnois cretica W. sp. pl. 3. p. 1617. HOST fl. austr. 2. p. 429. RCHB. fl. germ. exc. p. 249.

H. caule gracili diffuso ramoso, foliis inferioribus integris incisisve basi attenuatis, superioribus subcordato-amplexicaulibus integris, pedunculis apice paullo incrassatis, involucri fructiferi aperti phyllis remotiusculis apice erectis, extus superne muricato-setosis, pilosis, vel levibus.

Syn. Hyoseris cretica L. sp. pl. ed. II. p. 1139. Hedypnois rhagadioloides HOST fl. austr. 2. p. 429. ex herb. Portensch.! ALSCH. fl. jadr. p. 207. excl. syn. omn. PETT. bot. Wegw. n. 493. H. coronopifolia TEN. fl. neap. prodr. p. 46. — Icon. TEN. fl. nap. tab. 182. f. 2. CAVAN. icon. pl. 1. t. 43. GAERTN. de fr. et sem. 2. tab. 160. f. 2. LOBEL. icon. stirp. p. 239. f. 1.

Hab. in saxosis et arvis Dalmatiae. Floret aestate. Flores flavi. ⊙.

723. Hedypnois tubaeformis TENOR. fl. nap. 2. p. 179. VIS. stirp. dalm. p. 37. HOST fl. austr. 2. p. 429. RCHB. fl. germ. exc. p. 249.

H. caule abbreviato aut prostrato, foliis omnibus basi attenuatis, integris, vel inferioribus dentatis incisisve, obtusis, pedunculis incrassato-clavatis, involucri fructus maturi clausi phyllis contiguis, undique scabris, apice incurvo conniventibus.

Syn. H. cretica β. subacaulis DC. prodr. syst. nat. VII. p. 81. H. rhagadioloides SM. fl. gr. prodr. 2. p. 142. — Icon. TEN. fl. nap. tab. 73.

Hab. in apricis saxosis totius Dalmatiae. Floret aestate. Flores flavi. ⊙.

Obs. Species hujus generis adeo similes, ut fere omnes in unicam coire videantur: tamen hae nostrae datis characteribus et habitus diversitate satis distinctae. Variant hae quoque praesertim quoad divisionem foliorum, quae ludunt integra, dentata, incisa et pinnato-lobata in utraque. Hyoseris cretica SCOP. del. insubr. I. p. 36. tab. XVI. quoad involucri fructiferi formam certe H. tubaeformis synonimon, sed pedunculi tenuius clavati.

Trib. XXII. Hypochoerideae. *Less.*

Syn. gen. Compos. p. 130.

Receptaculum paleaceum. Achenia pappo anguste paleaceo coronata, paleolis omnibus, vel intimis plumosis.

CCLV. Hypochoeris L.

Gen. pl. ed. II. p. 286.

Char. Involucrum imbricatum. Achenia omnia vel saltem centralia rostrata, pappi biserialis paleis linearibus. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

724. Hypochoeris radicata L. sp. pl. ed. II. p. 1140. HOST fl. austr. 2. p. 427. RCHB. fl. germ. exc. p. 268. PETT. bot. Wegw. n. 496.

H. foliis radicalibus oblongo-obovatis runcinato-dentatis obtusis hispidis, caule glabro, ramis foliolatis, corollis involucro longioribus, acheniis omnibus vel centralibus rostratis, pappi setis exterioribus simplicibus, interioribus plumosis.

Syn. Achyrophorus radicatus SCOP. fl. carn. ed. II. vol. 2. p. 117. GAERTN. de fr. et sem. 2. p. 370. — Icon. GAERTN. l. c. tab. 159. SOW. engl. bot. t. 831. Flor. dan. tab. 150. LOBEL. icon. stirp. p. 238. f. 1.

Hab. ad vineas circa Zara, et in arenosis vallis Zuppa ultra Cattaro. Floret aestate. Flores flavi. ♃.

725. Hypochoeris maculata L. sp. pl. ed. II. p. 1140. HOST fl. austr. 2. p. 427. RCHB. fl. germ. exc. p. 269.

H. foliis radicalibus caulinoque ovali-oblongis hirtis dentatis, caule superne nudo subsimplici, involucri scabri phyllis superioribus apice tomentoso-marginatis, corollis duplo brevioribus, acheniis omnibus rostratis, pappi setis omnibus plumosis.

Syn. Achyrophorus maculatus SCOP. fl. carn. ed. II. vol. 2. p. 116. — Icon. Flor. dan. tab. 149. CLUS. hist. 2. p. 139. f. 2. SOW. engl. bot. t. 225.

Hab. in umbrosis sylvaticis Pakleniza et Monte Santo in montibus Vellebith, ad Mavize prope Verlika, et in planitie Dversno supra Krivoscie prope Cattaro. Floret aestate. Flores flavi. ♃.

Obs. Variat foliis rubro maculatis et immaculatis, caule ramoso vel simplici ut in icone Engl. bot.

CCLVI. Seriola L.

Gen. pl. ed. VI. p. 404.

Char. Involucrum simplex polyphyllum subcalyculatum. Achenia omnia, vel saltem centralia, rostrata, transverse muriculata, marginalibus saepe abortivis, pappo uniseriali, paleis basi latioribus. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

726. **Seriola aetnensis** L. sp. pl. ed. II. p. 1139. HOST fl. austr. 2. p. 428. RCHB. fl. germ. exc. p. 269.

S. caule ramoso glabro subnudo, foliis radicalibus obovatis oblongisve integris aut dentatis hirtis, caulinis parvis oblongo-linearibus, pedunculis superne involucrisque patenter setosis, pappo radii sessili submullo.

Syn. Metabasis aetnensis DC. prodr. syst. nat. VII. p. 307. Seriola urens ALL. fl. pedem. 1. p. 230. — Icon. LAM. enc. bot. pl. 656. f. 1. ALLION. fl. pedem. tab. 29. f. 1. JACQ. observ. pl. 4. tab. 79. GAERTN. de fr. et sem. tab. 160.

Hab. ad vias agrestes in scopulo S. Andrea prope Lesina, ubi invenit prof. Stalio. Flores flavi. Floret aestate. ⊙.

Obs. Achenia marginalia in Serioli s interdum abortiunt, quo in casu rostro breviori gaudent, vel omnino carent; pappo etiam nullo, vel ex palea unica, vel paucis conflata. Hoc observatur tum in S. aetnensi, tum in S. cretensi, quibus Metabasis DC. superstructa. Sed in ipsa S. laevigata L. pappus acheniorum marginalium sessilis est, teste cl. DESF. in fl. atl. 2. p. 237, et tamen Serioli s adnumeratur. Horum characterum itaque variabilitate recognita, eorumque attenta parvitate, Seriolae generis integritatem servandam censeo, eadem sane de causa, qua e solo rostri defectu, aut praesentia cl. DC. Hypochoerides minime dividendas esse putavit (DC. prodr. VI. p. 90—91.). Plantae hujus specimen deest in herbario Hostiano. Aetna scribi debet nec Aethna.

Trib. XXIII. Scorzonereae. *Less.*

Syn. gen. comp. p. 131.

Receptaculum nudum. Achenia pappo angustissime paleaceo; omnium vel centralium plumoso, vel marginalium basi villoso, horumve coroniformi.

Clavis analytica generum.

Involucro bi-pluriseriali . .	vid. Nr. 1	Involucro uniseriali simplici . .	vid. Nr. 7
1. Involucro imbricato . . .	- - 3	Involucro biseriali. Helminthia.	
3. Acheniis sessilibus	- - 4	Acheniis stipite inflato pedicellatis. Podospermum.	
5. Acheniis laevibus	- - 6	Acheniis transverse rugosis. Picris.	
6. Acheniis rostratis.		Acheniis erostratis. Scorzonera.	
7. Pappo radii discique conformi.	- - 8	Pappo radii paleaceo, disci plumoso. Geropogon.	
8. Receptaculo glabro. Tragopogon.		Receptaculo piloso. Urospermum.	

CCLVII. Helminthia Juss.

Gen. pl. p. 170.

Char. Involucrum duplex, exterius pentaphyllum foliaceum, interius octophyllum angustius. Achenia oblonga compressa angulata transverse rugosa obtusa, rostro capillari elongato fragili, pappo persistente conformi plumoso. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

727. **Helminthia echioides** GAERTN. de fr. et sem. 2. p. 368. VIS. stirp. dalm. p. 37. HOST fl. austr. 2. p. 420. RCHB. fl. germ. exc. p. 254. ALSCH. fl. jadr. p. 207. PETT. bot. Wegw. n. 469.

H. foliis oblongo-ovalibus repando-dentatis, inferioribus in petiolum attenuatis, superioribus amplexicaulibus, involucri phyllis exterioribus ovato-subcordatis ovatisve.

Syn. Picris echioides L. sp. pl. ed. II. p. 1114. — Icon. LAM. enc. bot. pl. 648. GAERTN. de fr. et sem. tab. 159. f. 2. LOBEL. ic. stirp. tab. 577. f. 2.

Var. β. glabra: — Syn. Picris echioides β. L. loc. cit. H. humifusa TREV. act. nat. curios. bonn. 13. p. 195. DC. prodr. VII. p. 132. Picris humifusa W. mag. berl. 1807. p. 137. — Icon. HERM. parad. bot. tab. 185. f. 1.

Hab. in agris, ruderatis, ad vias totius Dalmatiae frequens: var. circa Ragusa vecchia legit Doct. Clementi. Flores flavi. Floret aestate. ⊙.

Obs. Varietas a specie differt sola glabritie, quod omnium primus scripsit et icone expressit HERMANNUS, in cujus icone caulis quoque erectus et phylla involucri cordato-ovata. Haec variant in eadem planta basi emarginata vel integra.

CCLVIII. Picris Juss.

Gen. pl. p. 170.

Char. Involucrum parce imbricatum. Achenia teretiuscula basi et apice vix attenuata transverse rugosa, erostria, pappi decidui setis plumosis basi coalitis, interioribus basi latioribus. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex.

X **728. Picris hieracioides** L. sp. pl. ed. II. p. 1115. VIS. stirp. dalm. p. 43. HOST fl. austr. 2. p. 420. RCHB. fl. germ. exc. p. 253. ALSCH. fl. jadr. p. 206. (excl. syn. W.). PETT. bot. Wegw. n. 696.

P. hispida, foliis oblongo-lanceolatis integris sinuatisve, inferioribus basi attenuatis, superioribus subcordato-amplexicaulibus, capitulis corymbosis cymosisve, involucri phyllis exterioribus patulis dorso canescentibus, margine glabris, acheniis tenuissime rugosis.

Icon. LAM. enc. bot. pl. 648. f. 2. Flor. dan. t. 1522.

Var. β. umbellata: capitulis umbellato-cymosis. — Icon. MORIS. hist. oxon. sect. VII. tab. 4. f. 45. — Illyr. Laktaz.

Hab. ad agrorum margines, locisque incultis totius Dalmatiae. Floret aestate. Flores flavi. ♂.

Obs. Varietas nostra non differt a specie nisi pedunculis cauli terminalibus umbellato-cymosis, rameis sparsis alternis.

X **729. Picris laciniata** VIS. pl. rar. dalm. p. 24. in ergänz. zur bot. Zeit. 1829. PETT. bot. Wegw. n. 697.

P. hispida, foliis inferioribus lanceolatis in petiolum attenuatis mediisque sessilibus sinuato-dentatis vel laciniato-pinnatifidis, supremis subcordato-lanceolatis acuminatis integris, capitulis corymbosis aut dichotome paniculatis, pedunculis incrassato-fistulosis, involucri phyllis exterioribus laxis setoso-ciliatis, acheniis plicato-rugosis.

Syn. Crepis hispidissima BARTL. in BARTL. et WENDL. Beitr. 2. p. 125! RCHB. fl. germ. exc. p. 258. C. lappacea HOST fl. austr. 2. p. 421. ex herb! C. laciniata SCHKUHR. n. 4215. ex DC. prodr. VII. p. 129. Picris ruderalis β. laciniata RCHB. fl. germ. exc. p. 854. n. 1629. Picris hispidissima KOCH syn. fl. germ. ed. I. p. 421., ed. II. p. 484. non BARTL.

Icon. Flor. dalm. tab. VI.

Hab. in asperis apricis Milievzi et Zagorie in ditione Dernis, circa Koinsko, in monte Radigne prope Dizmo, circa Almissa, in collibus supra Ragusa et sub arce urbis Cattaro, nec non in insulis Cherso et Veglia. Flores magni flavi, ligulis subtus aurantio vittatis. Floret aestate. ♂.

Descr. Radix ramosa biennis. Herba omnis a pede dimidio ad duos pedes alta, pilis rigidis simplicibus, vel apice hamoso-bifidis, patentibus hispida. Caulis unicus, vel ex una radice plures, erecti, angulosi, apice ramosi, interdum superne dichotomi. Folia omnia lanceolata, inferiora laciniato-pinnatifida, laciniis lanceolatis integris vel raro subdentatis, rarius sinuato-dentata, basi in petiolum attenuata; caulinia omnia sessilia minus divisa: suprema, sive sub pedunculis ramisque floriferis, basi dilatata et subcordata semiamplexicaulia, apice acuminata, omnino integra. Capitula in caule ramisque terminalibus corymbosa, rarius dichotome paniculata. Pedunculi incrassati fistulosi nudi, vel foliolis lanceolato-acuminatis ornati. Involucra subcylindrica, phyllis imbricatis lanceolatis, exterioribus dorso viridibus setosisque, margine setoso-ciliatis (tab. VI. f. a.), intimis fere duplo longioribus dorso canescentibus et sparse setosis, margine setis nullis vel rarissimis obsitis. Receptaculum pentagono-areolatum planum. Achenia incurva teretiuscula, vel vix et obtuse angulata, utrinque paullo, sed apice longius attenuata, transverse plicato-rugosa plicis conspicuis, majora ac in praecedente. Pappus sessilis setis omnibus *plumosis*, *intimis basi* quidquam latioribus. Differt a P. ruderali Schmd., quae simplex forma P. hieracioidis, foliis laciniatis, pedunculis crassis, flore duplo majore, capituli foliolis extimis setoso-ciliatis, achenii rugis crassioribus. Affinis potius P. scaberrimae et P. spinulosae Bertol. Illam diversam faciunt pedunculi brevissimi, capitula albo farinosa, pappus substipitatus: hanc pedunculi non incrassati subumbellati, capituli phylla exteriora dorso nec margine setosa. — Nullibi cl. Bartling plantam hanc P. *hispidissimam* nominavit, ideoque stat nomen nostrum.

Explic. iconis. Tab. VI. litt. a. phyllum capituli exterius. b. flosculus. c. seta pappi. d. achenium auctum, et sine pappo. e. achenium pappo instructum, et magnitudine naturali.

730. Picris Sprengeriana Lam. enc. bot. ed. Patav. 5. p. 292.

P. hispida, foliis inferioribus ovali-lanceolatis in petiolum attenuatis serratis, caulinis lanceolato-acuminatis serratis sessilibus, basi acute et arrecte incisis, supremis lanceolato-linearibus integris, caule apice ramoso, pedunculis teretibus, involucri phyllis externis patulis anguste linearibus dorso setosis, intimis intus concavis extus torulosis, acheniis rugosis.

Syn. Hieracium Sprengerianum L. sp. pl. ed. II. p. 1130. Crepis rhagadioloides L. mant. 108, et syst. nat. ed. XII. 2. p. 524. Jacq. hort. schoenbr. II. p. 9. Crepis Sprengeriana W. sp. pl. 3. p. 1598. Picris Rhagadiolus Pers. syn. pl. 2. p. 370. Medicusia aspera Moench. M. Sprengeriana Rchb. fl. germ. exc. p. 254. — Icon. Jacq. l. c. tab. 144. Bauh. hist. pl. 2. p. 1026. f. 1. Moris. hist. oxon. sect. VII. tab. 5. f. 17. ead.

Hab. in asperis insulae Giuppana ditionis Ragusinae, ubi legit doct. Clementi. Flores flavi. Floret aestate. ⨀.

Obs. Incisurae basis foliorum caulinorum in nostris speciminibus sursum tendunt, ideoque folia haec nequeunt dici sagittata. Sola hujusce plantae specimina genuina e loco supradicto habui.

CCLIX. Thrincia Roth.

Catal. botan. 1. p. 97.

Char. Involucrum imbricatum. Achenia in rostrum attenuata, squamuloso-muricata, marginalia pappo deciduo brevi coroniformi paleaceo dentato, disci plumoso setis basi latioribus coalitis. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

731. Thrincia tuberosa DC. fl. fr. 4. p. 52. Host fl. austr. 2. p. 405. Rchb. fl. germ. exc. p. 251. Alsch. fl. jadr. p. 206.

T. radice tuberoso-fasciculata, foliis oblongo-ovatis sinuato-dentatis runcinatisque iuvolucroque hispidulis, acheniis omnibus rostro suo subaequalibus.

Syn. Leontodon tuberosum L. sp. pl. ed. II. p. 1123. Apargia tuberosa W. sp. pl. 3. p. 1549. Hyoseris tuberosa Santi viagg. in Tosc. 3. p. 113. — Icon. Santi l. c. tav. 2. Lobel. icon. stirp. p. 232. f. 1. Matth. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 533. Dodon. pempt. p. 636.

Hab. locis saxosis apricis et pascuis siccis circa Zara, Boraja, Traù, Ragusa, Cattaro, Budua, nec non in insulis Ossero, Veglia, Lissa, Lacroma. Floret Majo, Junio, in insula Lacroma jam mense Januario. Flores flavi. ♃.

Obs. Thr. hirta DC., in Dalmatia mihi adhuc invisa, differt jam radice fibrosa, acheniis brevius rostratis, immo marginalibus fere erostratis. Thr. hirta Alsch. fl. jadr. p. 206. forsan Leontodontis hispidi synonimon. In Thr. tuberosa interdum vidi unam alteramve paleolam pappi acheniorum marginalium in setam plumosam produci.

CCLX. Leontodon Juss.

Gen. pl. p. 170.

Char. Involucrum parce imbricatum. Achenia teretia striata, transverse ruguloso-muricata, sensim in rostrum attenuata, pappo persistenti coroniformi plumoso, setis omnibus vel interioribus basi latioribus. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

732. Leontodon autumnale L. sp. pl. ed. II. p. 1123. Rchb. fl. germ. exc. p. 253.

L. caule simplici aut ramoso superne foliolato, foliis omnibus radicalibus oblongo-obovatis pinnatifido-dentatis, pedunculis sensim incrassatis squamosis, pappi setis omnibus plumosis, basi dilatata scariosis.

Syn. Apargia autumnalis Hoffm. fl. germ. 4. p. 113. Host fl. austr. 2. p. 402. Oporina autumnalis Don. in Edinb. phil. journ. 1829. Hypochoeris radicata Alsch. fl. jadr. p. 207. ex herb! — Icon. Matth. disc in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 809. Fuchs. hist. stirp. p. 320.

Hab. in herbidis circa Zara, in pascuis montium Vellebith, in pratis Mavize prope Verlika. Flores flavi. Floret autumno. ♃.

Obs. Oporinae genus revera non differt a Leontodonte nisi defectu pilorum simplicium, qui interdum adsunt in margine achenii circa pilos plumosos pappi in Leontodonte et in Picride. Hi tamen interdum deficiunt etiam in hisce, teste Picride laciniata et Leontodonte saxatili, et notam nimis exiguam praebent, ut haec sola generi statuendo sufficiat. Icones citatae, et praecipue icon Flor. dan. tab. 501., minus exactae ob caulem foliosum, qui vix foliolatus vel squamosus dicendus.

733. Leontodon hastile L. sp. pl. ed. II. p. 1123.

L. radice praemorsa, caule aphyllo nudo vel superne uni-bisquamato, apice incrassato, foliis oblongo-obovatis-lanceolatisque, basi attenuatis, dentatis pinnatifidisve, acheniis apice attenuatis, pappi setis exterioribus brevioribus linearibus scabris, reliquis plumosis, basi dilatata scariosis.

Var. α. pratensis: foliis, caule involucroque glabris. — Syn. Leontodon hastile Rchb. fl. germ. exc. p. 253. L. danubiale Jacq. en. stirp. vind. p. 274. L. proteiforme Vill. pl. dauph. 2. p. 87. Picris danubialis All. fl. ped. I. p. 211. Virea hastilis Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 365. Apargia hastilis Hoffm. fl. germ. 4. p. 113. Host fl. austr. 2. p. 404. Alsch. fl. jadr. p. 206. — Icon. Jacq. fl. austr. t. 164. Gaertn. l. c. t. 159. f. 7. All. l. c. t. 70, f. 3. Vill. pl. dauph. tab. 24. f. A. B. C. D.

Var. β. hirta: tota, vel solis foliis pilis bi-trifurcatis hirtis. — Syn. L. hispidum L. sp. pl. ed. II. p. 1124. Rchb. fl. germ. exc. p. 252. Apargia hispida Hoffm. fl. germ. 4. p. 113. Host fl. austr. 2. p. 402. A. hirta Pett. bot. Wegw. n. 83 (nec al.). Thrincia hirta Alsch. fl. jadr. p. 206 (nec al.). — Icon. Flor. dan. t. 862. Clus. hist. pl. p. CXLII. f. 1. Vill. pl. dauph. tab. 24. f. E. F.

Var. γ. laciniata: hirta, foliis laciniato-pinnatipartitis, pinnis lanceolatis linearibusve. — Syn. L. hastile γ. hyoserioides Koch syn. fl. germ. ed. II. p. 482. L. hyoseroides Welw. in Rchb. fl. germ. exc. p. 853. — Icon. C. Bauh. prodr. p. 66.

Hab. in pratis et pascuis, nec non in montibus totius Dalmatiae frequens. Flores flavi. Floret ab aestate in autumnum. ♃.

Obs. Planta indumento et divisione foliorum mire polymorpha.

734. Leontodon saxatile Rchb. fl. germ. exc. p. 252.

L. radice fusiformi apice truncata, caule subsimplici nudo aut superne uni-bi-squamato, apice incrassato, foliis oblongo-lanceolatis basi attenuatis sinuato-dentatis pinnatifidisve, acheniis a medio ad apicem in rostrum attenuatis, pappi setis omnibus a basi plumosis, linearibus.

Var. α. simplex: hirta, caule monocephalo aphyllo. — Syn. L. saxatilis Koch syn. fl. germ. ed. II. p. 483. L. hispidum Scop. fl. carn. 2. p. 112. nec L. Apargia saxatilis B. Tenor. syll. pl. p. 393. A. saxatilis Host fl. austr. 2. p. 401. ex herb! A. tergestina Hopp. pl. exsicc. — Icon. Columm. ecphr. p. 243.

Var. β. ramosa: hispida, caule diviso folioso. — Syn. Leontodon hispidum Cav. icon. rar. 2. p. 39 (nec L.). Apargia hispanica W. sp. pl. 3. p. 1553. Host fl. austr. 2. p. 402! ex loco nat! Asterothrix hispanica DC. prodr. syst. nat. VII. p. 127. A. saxatilis A. Tenor. syll. pl. p. 393. A. aspera W. et Kit. pl. hung. 2. p. 114. Leontodon asperum Rchb. fl. germ. exc. p. 253. — Icon. Tenor. fl. nap. tab. LXXII. W. et Kit. l. c. tab. 110. Cav. icon. rar. 2. tab. 149.

Var. γ. glabra: minor, simplex, angustifolia, caule foliisque glabris, squamis involucri glabriusculis. — Syn. Apargia tenuifolia Vis. pl. sicc. — Illyr. Surjam.

Hab. in collibus locisque saxosis circa Sebenico, Ragusa, in insula Lesina et in monte Vellebith: var. β. in Biokovo: var. γ. in Pakleniza ad pedem Vellebith, et in collibus Mioçich prope Dernis. Floret aestate. Flores flavi. ♃.

Obs. Varietas ramosa L. saxatilis nullo modo differt a L. aspero, et ab A. hispanica W. In hac interdum locis siccioribus squamae involucri dorso villo albo rigido longo copioso saepius integro, qualem in L. hispido suo descripsit et pinxit Cavanillesius obductae sunt, ut fere plumosae appareant. Asterothrix Cass., saltem quoad A. hispanicam, genere a Leontodonte non differt, nam rostrum plus minus longum, setarum basis latiuscula vel angusta, quarum exteriores nunc scabrae sunt, nunc sparse pilosae, nunc vero plumosae, notas parvi momenti et saepe indistinctas praebent, ut ad species caeteroquin simillimas generice sejungendas sufficiant. L. crispum Vill. L. saxatili nimis affine, videtur tantum diversum acheniis brevius, seu solo apice attenuato rostratis, nam rostrum tuberculato-scabrum in illo, hirto-scabrum in hoc a cl. Koch indicatum, ludit utroque modo in eodem L. saxatili. Var. γ. habitu tenuiori, pumilo, foliis lineari-lanceolatis dentato-sinuatis vel lacero-pinnatifidis cauleque glabris recedit a specie, sed achenia simillima.

735. Leontodon incanus Schrank. baier. flor. 2. p. 337. Rchb. fl. germ. exc. p. 253.

L. radice fusiformi truncata, caule simplici nudo aut superne uni-bi-squamato, apice incrassato, foliisque oblongo-lanceolatis subdenticulatis hirto-canescentibus mollibus, acheniis a medio ad apicem attenuatis, pappis setis exterioribus linearibus scabris, aut sparse pilosis brevioribus, reliquis lanceolato-linearibus plumosis.

Syn. Hieracium incanum L. syst. nat. ed. XII. vol. 2. p. 522. Apargia incana Scop. fl. carn. 2. p. 113. Leontodon alpinum Vill. pl. dauph. 3. p. 94 (nec al.). — Icon. Jacq. fl. austr. t. 287. Clus. hist. pl. p. CXLI. J. Bauh. hist. pl. 2. p. 1038. ead. —

Hab. in rupestribus montis Vellebith, unde decerpsit cl. Welden. Floret aestate. Flores flavi. ♃.

Obs. Icon Villarsii tab. XXIV. peccat foliis nimis dentatis, attamen huc certe spectat. Setae pappi exteriores nunc scabrae, ut vidit etiam Villarsius, nunc sparse et interrupte pilosae: quod cum valeat etiam de L. Berinii Bartl., notae hujus variabilitatem supra indictam confirmat. Setae interiores lanceolato-lineares transitum faciunt a setis basi latiusculis Leontodontis ad setas lineares Asterothricis, et utraque jungunt.

CCLXI. Podospermum DC.

Fl. franç. 3. vol. 4. p. 61.

Char. Involucrum imbricatum. Achenia linearia aequalia erostria, callo oblongo inflato cavo stipitata, pappo plumoso lanuginoso conformi. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

736. Podospermum laciniatum DC. fl. fr. 4. p. 61.

P. radice bienni, caule ramoso, foliis pinnati-partitis, laciniis linearibus, terminali majore, supremis simplicibus linearibus, involucri squamis infra apicem submucronatis, floribus marginalibus involucro sublongioribus.

Syn. Scorzonera laciniata L. sp. pl. ed. II. p. 1114. Vis. stirp. dalm. p. 47. Host fl. austr. 2. p. 392. Rchb. fl. germ. exc. p. 276. Alsch. fl. jadr. p. 207. Pett. bot. Wegw. n. 843. S. octangularis W. sp. pl. 3. p. 1506. — Icon. Gusson. pl. rar. tab. 55. Barrel. icon. pl. tab. 799.

Var. β. calcitrapifolium: foliorum laciniis lanceolato-linearibus, caulibus lateralibus procumbentibus, involucri squamis submuticis. — Syn. Podospermum calcitrapifolium et P. resedifolium DC. fl. fr. 4. p. 455. Scorzonera calcitrapifolia Vahl. symb. bot. 2. p. 87. Sc. resedifolia Retz obs. 3. p. 42. non L. — Icon. Barrel. icon. pl. tab. 800.

Hab. in agris argillosis circa Zara, Scardona, Sebenico, Boraja, Traù, Spalato. Floret vere et aestate. Flores flavi. ♂.

Obs. Squamarum appendix infra apicem nunc adest nunc deest in eodem capitulo: caules nunc omnes stricti, nunc laterales adscendentes vel prostrati intermedio erecto: folia denique laciniis anguste lateve linearibus discrimina variabilia praebent, cultura evanescunt, nec ideo ad species distinguendas sufficiunt. Quoad P. Jacquinianum quod saltem duratione perenni, et floribus marginalibus involucro duplo longioribus videtur diversum, confer cl. Koch syn. fl. germ. ed. II. p. 488. Huic pertinet Sc. laciniata Jacq. fl. austr. tab. 356. nec L.

CCLXII. Scorzonera L.

Gen. pl. ed. II. p. 289 (excl. specieb.).

Char. Involucrum imbricatum. Achenia oblongo-linearia aequalia erostria sessilia, pappo plumoso, lanuginoso, aut piloso-scabro. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex.

737. Scorzonera rosea Waldst. et Kit. pl. hung. 2. p. 127. Host fl. austr. 2. p. 391. Rchb. fl. germ. exc. p. 276.

Sc. radice cylindrica collo filamentosa, caule foliato simplici vel subramoso, foliis lanceolato-linearibus linearibusve carinatis, involucri phyllis exterioribus ovato-lanceolatis apice araneosis, acheniis sulcatis, angulis superne denticulato-scabris.

Syn. Scorzonera purpurea Scop. fl. carn. 2. p. 96, et Alsch. fl. jadr. p. 207. non L. — Icon. W. et Kit. 2. tab. 121. Scop. fl. carn. 2. tab. 46. f. 1.

Hab. in pascuis convallium in montibus Vellebith, Dinara, Prologh. Floret aestate. Flores rosei. ♃.

Obs. Caulis variat basi vel apice ramosus, ut video in speciminibus e loco classico Scopoliano, nempe e montibus Tolminensibus, a cl. Tommasinio communicatis: hinc sola nota differentialis inter hanc et simillimam Sc. purpuream L. est scabrities vel laevitas apicis acheniorum, quod sane parum.

738. Scorzonera Candollei Vis.

Sc. radice cylindrica collo nuda, caule simplici basi foliato, medio foliolato, foliis linearibus complicato-carinatis glabris, basi dilatata amplexicaulibus, involucri phyllis exterioribus lanceolato-attenuatis elongatis apice obtusis margine glabris, acheniis angulatis striatis laevibus.

Syn. Sc. angustifolia DC. fl. fr. 4. p. 60. Gaud. fl. helv. V. p. 19 (non L. nec al.). Sc. angustifolia β. provincialis Duby bot. gall. I. p. 309. — Icon. Buxb. cent. pl. II. p. XXI. bona.

Hab. in paludosis maritimis insulae Pago. Floret aestate. Flores flavi. ♃.

Obs. Caulis apice vix incrassatus, glaber, foliolo uno alterove ad medium praeditus vel nudus, foliis glabris, inferioribus supra basim angustatis, basi vero dilatatis amplexicaulibus margineque membranaceis. Involucrum glabrum, phyllis exterioribus lanceolato-attenuatis, interioribus sublinearibus elongatis, omnibus summo apice obtusis. Achenia subcompressa. Haec nequit esse Sc. angustifolia L. sp. pl. ed. II. p. 1113, cujus folia subulata, caulis basi ramosus villosus, pedunculi versus florem crassiores ipso caule, quae omnia melius cadunt in Sc. villosam, de qua infra, sagaciter divinante cl. Koch in syn. fl. germ. ed. 1. p. 426. — Planta nostra differt tantummodo ab illa DC. Gaud. et Duby omnium partium glabritie et est varietas β. Bot. gall. Linnaeus in Spec. pl. ed. II. p. 1113. citat iconem Buxbaumii ad suam Sc. graminifoliam, quae tamen si est eadem ac Sc. grandiflora Lap., ut asserit cl. Meyer in Chlor. hannov. juxta specimina Gmeliniana a Linnaeo ipso citata, male exprimitur in icone Buxbaumii nostram optime referente.

739. Scorzonera austriaca W. sp. pl. 3. p. 1499. Host fl. austr. 2. p. 390.

Sc. radice cylindrica collo filamentosa, caule simplici glabro, foliis radicalibus coriaceis nervosis glabris glaucis in petiolum attenuatis basi dilatato-membranaceum, involucri phyllis exterioribus ovato-lanceolatis acuminatis, apice obtusis, margine lanuginosis, acheniis angulatis striatis laevibus.

Syn. Sc. humilis Jacq. fl. austr. tab. 36. DC. prodr. syst. VII. p. 120.

Var. α. latifolia: foliis ellipticis oblongis multinerviis. — Syn. Sc. latifolia Fl. dalm. tab. V. f. 2. non DC. Sc. humilis α. latifolia DC. prodr. l. c.

Var. β. oblongifolia: foliis oblongo-lanceolatis. — Syn. Sc. humilis Rchb. fl. germ. exc. p. 275, et herb. norm! Sc. humilis β. austriaca DC. prodr. syst. nat. VII. p. 120. — Icon. Clus. hist. pl. p. 138. f. 2. J. Bauh. hist. pl. 2. p. 1061. f. sup. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 9. f. 4.

Var. γ. angustifolia: foliis linearibus. — Syn. Sc. angustifolia Rchb. fl. germ. exc. p. 275 (non L. et excl. icon Gmel.). Sc. humilis γ. linearifolia DC. prodr. l. c. Sc. austriaca β. Koch. syn. fl. germ. p. 487. Sc. humilis Alsch. fl. jadr. p. 206 (non L. et excl. L. syn.). — Icon. Clus. hist. pl. p. 138. f. 3. J. Bauh. hist. pl. 2. p. 1061. f. inf. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 9. f. 10.

Hab. in asperis saxosis insulae Pago, in pratis prope Nona, in herbidis montium Vellebith, et circa Traù et Ragusa. Floret vere. Flores flavi. ♃.

Obs. Folia mire variant a forma latissime elliptica, sive subrotunda, diametro bipollicari, ad angustissimam linearem; crasse vel tenuiter nervosa; margine undulata vel plana. Dignoscitur ab affini Sc. humili L. apud nos deficiente radicis collo filamentoso nec nudo: caeteri characteres minus constantes. Icones Tabern. ic. pl. 601. f. 2.

Matthiol. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 570. Dalech. hist. pl. 2. p. 1207. ob collum radicis nudum et caulem ramosum minus bonae. Icon Flor. dan. tab. 816. collum squamatum exhibet nec filamentosum. In icone Jacq. fl. austr. tab. 36. folia sunt lanceolata et linearia, hinc icon haec varietates β. et γ. conjungit. Differt a Sc. angustifolia L. glabritie, caule basi simplici, foliis neutiquam subulatis. Pappi setae apice nudae et vix scabrae, ut in Lasiospora Cass. dict. sc. nat. tom. 25. p. 306.

740. Scorzonera villosa Scop. fl. carn. 2. p. 97. Vis. stirp. dalm. p. 47. Rchb. fl. germ. exc. p. 276.

Sc. radice cylindrica collo lanata, caule basi subramoso striato, foliisque linearibus sessilibus sparse villosis, involucri hirsuti squamis exterioribus lanceolato-subulatis acutis, acheniis muricato-tuberculatis, pappi setis exterioribus scabris, intimis basi intus lanuginosis.

Syn. Sc. angustifolia Waldst. et Kit. pl. hung. 2. p. 128. Host fl. austr. 2. p. 392. an L. sp. pl. ed. I. p. 791? (excl. syn.) Sc. hirsuta Host syn. fl. austr. p. 422. Alsch. fl. jadr. p. 207 (non L. et excl. syn.). Pett. bot. Wegw. n. 842. Gelasia villosa Cass. dict. sc. nat. 18. p. 286. Galasia villosa Koch syn. fl. germ. p. 490. — Icon. Waldst. et Kit. l. c. tab. 122. Scop. fl. carn. 2. tab. 46. (mala).

Var. β. dalmatica: foliis glabratis. — Syn. Sc. graminifolia Portenschl. herb! Sc. dalmatica Host fl. austr. 2. p. 391. ex herb.!

Hab. locis saxosis apricis totius Dalmatiae: var. in Campo grande insulae Lissa, et in herbidis montis Dinara. Floret vere et aestate. Flores flavi, pappo interdum fulvo. ♃.

Obs. Variat caule simplici vel inferne ramoso, pappi setis denticulatis vel piloso-serrulatis, conformibus vel intimis quidquam latioribus, his basi intus lanuginosis vel glabratis. Hinc Gelasiae genus Cassini in bull. phil. 1818, aeque ac Lasiospora ejusdem servari nequeunt, quia notis pappi variabilibus superstructa. Differt species haec a Sc. hirsuta acheniis glabris nec lanatis. Num haec sit Sc. angustifolia L. difficile dictu. Characteres ejus in editione prima Spec. pl. p. 791, ubi describitur planta hispanica a Loefflingio missa, equidem potius nostram quam Sc. angustifoliam DC., aut illam Rchb. respiciunt: synonima vero ejusdem (excl. illo Barrelieri) et diagnosis edit. 2. Spec. pl. p. 1113, postquam scilicet Linnaeus plantam monspeliensem et austriacam viderat, potius Sc. austriacae varietatem nostram angustifoliam, sive plantam Reichenbachianam designant. An planta Loefflingi hispanica a Linnaeo visa et a Barreliero in icon pl. tab. 496 adumbrata, ab omnibus hisce diversa? Hoc quoque, ut alia etiam dubia de plantis Loefflingi, enixe Florae hispanicae scrutatoribus commendandum.

CCLXIII. Geropogon L.

Gen. pl. ed. VI. p. 398.

Char. Involucrum octophyllum simplex. Achenia subulata longissime rostrata striata scabra, radii persistentia pappo 4—5—aristato scabro, disci decidua pappo lanuginoso plumoso, pluribus marginalibus abortientibus setiformibus. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

741. Geropogon glabrum L. sp. pl. ed. II. p. 1109. Rchb. fl. germ. exc. p. 269.

Herba glabra, foliis linearibus semiamplexicaulibus elongatis, caule apice subincrassato, capitulo cylindraceo.

Syn. G. australis Spr. syst. veg. 3. p. 663. — Icon. Curt. bot. mag. t. 479. Jacq. hort. vind. 1. tab. 33. Gaertn. de fr. et sem. 2. tab. 160. Lam. enc. bot. pl. 646. Columm. ecphr. 1. p. 231.

Hab. in arvis et inter segetes circa Traù, Spalato, in insula Lesina, et circa Ragusa. Floret vere. Flores rosei. ⊙.

Obs. Setae, aut paleolae marginales, quae interdum receptaculum ambiunt hujusce plantae, sunt achenia abortientia suo etiam pappi rudimento quandoque instructa. Hae vero interdum omnino desunt, quo in casu receptaculum prorsus nudum est, quale viderunt Linnaeus, Gaertnerus et alii. Habeo specimen corollis involucro longioribus praeditum.

CCLXIV. Tragopogon L.

Gen. pl. ed. II. p. 289. (excl. spec.)

Char. Involucrum 5—polyphyllum, simplex, phyllis ima basi concretis. Achenia oblonga muricata, in rostrum non septatum attenuata, areola laterali, pappo lanuginoso-plumoso. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

×**742. Tragopogon major** Jacq. fl. austr. p. 19. Host fl. austr. 2. p. 388. Rchb. fl. germ. exc. p. 277.

T. pedunculis incrassato-clavatis, involucri phyllis 8—12 corollis paullo longioribus, capitulo supra concavo, acheniis subulatis squamosis sensim in rostrum apice lanuginosum attenuatis.

Icon. Jacq. fl. austr. tab. 29. Lam. enc. bot. pl. 646. f. 1.

Hab. in agris sterilibus insulae Lesina, unde misit prof. Stalio. Floret aestate. Flores flavi. ♂.

Obs. Vix characteribus datis et florum colore a sequente diversus. Fructum maturum non vidi.

×**743. Tragopogon porrifolius** L. sp. pl. ed. II. p. 1110. Vis. stirp. dalm. p. 49. Host fl. austr. 2. p. 389. Rchb. fl. germ. exc. p. 278. Alsch. fl. jadr. p. 206. Pett. bot. Wegw. n. 947.

T. pedunculis incrassato-clavatis, involucri phyllis 8—9 corollis subduplo longioribus, capitulo supra plano, acheniis subulatis squamulosis sensim in rostrum sesquilongius apice lanuginosum attenuatis.

Icon. Tenor. fl. napol. tab. 186. f. 3. A. (bona). Jacq. icon. pl. rar. t. 159. Flor. dan. t. 797. Engl. bot. t. 638. Matthiol. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 568. — Illyr. Kozia brada.

Hab. ad margines agrorum et in herbidis circa Zara, Sebenico, Traù, Spalato, Almissa, Ragusa, et in insulis Ossero et Lesina. Floret aestate. Flores purpureo-coerulei. ♂.

Obs. Rostrum achenii apice, sive sub pappo, annulo lanuginoso circumdatum et in hoc, nec glabrum ut de T. porrifolio neapolitano et siculo scripsere cl. Tenore in syll. fl. neap. p. 388 et cl. Gussone in fl. sic. syn. 2. p. 384. — Icon fructus in tabula Jacquiniana non vera, in Tenoreana optima.

×**744. Tragopogon eriospermus** Tenor. fl. med. nap. tom. 2. p. 2,

T. pedunculis incrassato-clavatis, involucri phyllis 8—10 corollas subaequantibus, acheniis oblongis angulatis nudis, in rostrum duplo longius filiforme apice lanuginosum abrupte contractis.

Icon. Tenor. fl. napol. tab. 186. f. 2.

Hab. in herbidis ad agrorum margines in insula Lesina, ubi invenit prof. Stalio. Floret aestate. Flores purpureo-violacei. ♂.

Obs. Species praecedenti affinis, at corollis longioribus et praesertim acheniorum forma egregie distincta. Acheniorum anguli rostrum versus acutiores et minute serrulati. Phylla involucri numero varia et in hac specie ut in omnibus hujusce generis.

×**745. Tragopogon crocifolius** L. sp. pl. ed. II. p. 1110. Host fl. austr. 2. p. 389. Rchb. fl. germ. exc. p. 278. (excl. syn. et var.)

T. pedunculis teretibus sub capitulo vix incrassatis, involucro 5—phyllo corollas subaequante, acheniis subulatis angulatis squamulosis sensim in rostrum aequilongius apice nudiusculum ibique constrictum attenuatis.

Icon. COLUMN. ecphr. 1. p. 230.

Hab. in apricis saxosis circa Sebenico, et in insula Lesina. Floret aestate. Flores atropurpurei apice lutei. ♂.

Obs. Rostri apex valde constrictus, ibique vel omnino nudus, vel saepius villis paucis sparsis huc illuc obsitus. In icone citata corollae nimis breves, nam saepius involucrum aequant. Hinc etiam Tr. nebrodense GUSS. fl. sic. syn. p. 384, ni fructu differat, huc referendum.

746. Tragopogon pratensis L. sp. pl. ed. II. p. 1109. VIS. stirp. dalm. p. 49. HOST fl. austr. 2. p. 388. RCHB. fl. germ. exc. p. 277. ALSCH. fl. jadr. p. 205. PETT. bot. Wegw. u. 948.

T. pedunculis teretibus sub capitulo vix incrassatis, involucro 8—phyllo corollas subaequante, acheniis oblongo-lanceolatis angulatis in rostrum filiforme aequilongius apice lanuginosum incrassatumque abrupte attenuatis, marginalibus serrulato-squamulosis, intimis laeviusculis.

Icon. BULL. herb. de la Fr. t. 209. LAM. enc. bot. pl. 646. f. 2. GAERTN. de fr. et sem. p. 159. FUCHS. hist. stirp. p. 821. — Illyr. Kozia brada.

Hab. in pratis et pascuis totius Dalmatiae frequens. Floret a vere in aestatem. Flores flavi. ♂.

Obs. Genus solis fructuum characteribus in suas species tute distinguendum, nam foliorum formam, phyllorum numerum, eorumdem cum ligulis proportionem et praesentiam annuli lanuginosi sub pappo, in una eademque specie variare comperi.

CCLXV. Urospermum Scop.

Intr. ad Hist. nat. p. 122.

Char. Involucrum octophyllum simplex, phyllis basi concretis. Achenia oblonga muricata longissime rostrata: rostrum cum achenio articulatum inflatum cavum ab embryone diaphragmate separatum, pappo conformi plumoso. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

747. Urospermum picroides DESF. cat. h. paris. ed. 1. p. 90. RCHB. fl. germ. exc. p. 277. ALSCH. fl. jadr. p. 205.

U. involucro setoso-hispido, rostro supra basim ovatam achenio latiorem abrupte in stipitem filiformem contracto.

Var. α. laciniatum: foliis lyrato-runcinatis denticulatis. — Syn. Tragopogon picroides L. sp. pl. ed. II. p. 1111. Arnopogon picroides W. sp. pl. 3. p. 1496. VIS. stirp. dalm. p. 26. HOST fl. austr. 2. p. 389. PETT. bot. Wegw. n. 105. — Icon. LAM. enc. bot. pl. 646. f. 3. GAERTN. de fr. et sem. t. 69. f. 4. C. BAUH. prodr. p. 60. f. 2.

Var. β. indivisum: foliis indivisis denticulatis. — Syn. Tragopogon asperum L. sp. pl. ed. II. p. 1111. Arnopogon asper W. sp. pl. 3. p. 1497. A. picroides β. integrifolius VIS. stirp. dalm. p. 26. Urospermum asperum DC. fl. fr. 4. p. 63. U. picroides β. asperum DC. et DUBY bot. gall. 1. p. 295. — Illyr. Praska lochika.

Hab. in locis cultis et vineis tum in insulis tum in tota Dalmatia litorali. Floret vere et aestate. Flores flavi, pappus niveus vel dilute carneus. ☉.

748. Urospermum Dalechampii DESF. cat. p. paris. ed. 1. p. 60. RCHB. fl. germ. exc. p. 277. ALSCH. fl. jadr. p. 205.

U. involucro molliter pubescente, rostro achenii a basi ad apicem sensim attenuato.

Syn. Tragopogon Dalechampii L. sp. pl. ed. II. p. 1110. Arnopogon Dalechampii W. sp. pl. l. c. HOST fl. austr. 2. p. 389. PETT. bot. Wegw. n. 104. — Icon. CURT. bot. mag. t. 1623 (culta). GAERTN. de fr. et sem. 2. tab. 159. f. 4. BARREL. icon rar. t. 209. DALECH. hist. pl. p. 569. f. 1.

Hab. in agris locisque saxosis tum insularum tum orae continentis dalmatici. Floret vere et aestate. Flores sulphurei, pappus rufescens. ♃.

Trib. XXIV. Lactuceae. *Less.*

Syn. gen. compos. p. 135.

Receptaculum nudum, vel paleis capillaribus obsitum. Achenia pappo capillari simplici coronata.

Clavis analytica generum.

Receptaculo paleis piliformibus sparso.	vid. Nr. 1	Receptaculo nudo.	vid. Nr. 3
1. Involucro fructifero toruloso globoso.	- 2	Involucro fructifero campanulato, aut cylindrico. **Trichocrepis.**	
2. Acheniis marginis intus alatis. **Gatyona.**		Acheniis marginis apteris. **Zacintha.**	
3. Floribus in involucro multiserialibus.	- 4	Floribus bi-triserialibus.	- 8
4. Acheniis apice attenuatis rostratisve.	- 5	Acheniis apice aequalibus, muticis.	- 6
5. Acheniis in rostrum filiforme contractis. **Taraxacum.**		Acheniis apice sensim attenuatis. **Crepis.**	
6. Pappo multiseriali niveo. . . .	- 7	Pappo uniseriali sordide albo. **Hieracium.**	
7. Acheniis compressis multicostulatis. **Sonchus.**		Acheniis 4—5—gonis. **Picridium.**	
8. Acheniis rostratis.	- 9	Acheniis truncatis. **Prenanthes.**	
9. Rostro basi nudo.	- 10	Rostri basi squamulis coronata. **Chondrilla.**	
10. Acheniis in rostrum filiforme contractis. **Lactuca.**		Acheniis in rostrum lanceolatum sensim attenuatis. **Phoenixopus.**	

CCXLVI. Taraxacum Hall.

En. stirp. helv. p. 739. ord. I.

Char. Involucrum imbricatum subcalyculatum, receptaculo nudo, floribus multiserialibus. Achenia oblonga costulata, superne squamuloso-muricata, in rostrum filiforme basi nudum, apice annulo pappigero coronatum contracta. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

749. Taraxacum officinale Wigg. prim. fl. hols. p. 56. Rchb. fl. germ. exc. p. 271.

T. acheniis lineari-obovatis supra apicem in rostri basim coloratam acuminatam productis, rostro achenio multo longiore.

Syn. Leontodon Taraxacum L. sp. pl. ed. II. p. 1122. Vis. stirp. dalm. p. 39. Host fl. austr. 2. p. 399. Alsch. fl. jadr. p. 204. Pett. bot. Wegw. n. 540. — Icon. Bull. herb. de la fr. t. 217. Lam. enc. bot. pl. 653. Tabern. icon. stirp. p. 175. f. 1. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 8. f. 1. Fuchs. hist. stirp. p. 680. — Illyr. Xukko zelje. Xukki dimacz.

Variatio I. foliis indivisis runcinatisque, laciniis latis acutis.

Var. II. foliis interrupte runcinato-pinnatilobis, lobis lobulisque ovatis rotundatis obtusiusculis.

Var. III. foliis interrupte runcinato-pinnatifidis, laciniis late lanceolatis, lacinulis interpositis linearibus.

Var. IV. foliis interrupte runcinato-pinnatipartitis, laciniis linearibus, dentibus lacinulisque setaceis.

Var. V. foliis oblongo-linearibus sinuato-runcinatis denticulatis integerrimisque. — Syn. Taraxacum palustre DC. fl. fr. 4. p. 48. Rchb. fl. germ. exc. p. 270. Leontodon palustre Sm. fl. brit. 3. p. 823. Host fl. austr. 2. p. 401. Leontodon lividus W. et Kit. pl. hung. 2. p. 120. Leontodon salinus Poll. pl. palat. 2. p. 381. Alsch. fl. jadr. p. 204. L. tenuifolium Hopp. Pett. bot. Wegw. n. 541. Hedypnois paludosa Scop. fl. carn. 2. p. 100. — Icon. W. et Kit. l. c. tab. 115. Sow. engl. bot. t. 583. Scop. fl. carn. 2. tab. 48.

Hab. in pratis, pascuis, locis herbidis totius Dalmatiae vulgatissimum. Flores lutei. Floret a primo vere in autumnum. ♃.

Obs. Stirps foliorum divisione, laciniarum, bractearumque calyculi forma pro stationem diversitate admodum varia. Nec acheniis a basi vel a medio rugosis, nec rostri proportioni valde fidendum in auctorum speciebus admittendis, cum harum partium discrimina varient in una eademque planta. Differentias ipsas, quibus cl. Koch T. tenuifolium Hoppe a varietatibus T. officinalis distinguit, mihi in plantis e loco classico Tergestino acceptis eas sedulo perquirenti haud contigit observare.

Usus. Radix et folia herbae hujus sub decocti vel extracti forma, qua stomachica amara et diuretica, contra febres intermittentes, dyspepsiam, obstructiones frequens medicis usuveniunt.

CCLXVII. Chondrilla Tourn.

Inst. rei herb. p. 165. tab. 268. (excl. spec.)

Char. Involucrum suboctophyllum foliolis brevibus calyculatum, receptaculo nudo, floribus biserialibus. Achenia angulata, sursum ad angulos muriculata, rostri filiformis basi squamulis cincta, apice annulo pappigero coronato. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

X **750. Chondrilla juncea** L. sp. pl. ed. II. p. 1120. Vis. stirp. dalm. p. 30. Host fl. austr. 2. p. 397. Rchb. fl. germ. exc. p. 271. Alsch. fl. jadr. p. 204. Pett. bot. Wegw. n. 232.

Ch. caule basi setoso hispido, superne ramoso virgato, foliis inferioribus oblongo-obovatis sinuato-runcinatis, superioribus lanceolato-linearibus linearibusque, capitulis laxe spicatis.

Icon. Jacq. fl. austr. t. 427. Lam. enc. bot. pl. 650. f. 1. Gaertn. de fr. et sem. tab. 158. Tabern. icon. stirp. p. 178. f. 1.

Hab. in saxosis, sterilibus, ad agrorum margines in tota Dalmatia. Floret aestate. Flores flavi, ligulis subtus striis tribus pallidioribus. ♂.

CCLXVIII. Prenanthes Vaill.

Mém. de l'Acad. des Sc. Paris 1721. 2. 18.

Char. Involucrum subpentaphyllum, basi foliolis brevioribus imbricatum, receptaculo nudo, floribus quinis. Achenia compresso-prismatica laevia erostrata, annulo pappigero coronata. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

751. **Prenanthes purpurea** L. sp. pl. ed. II. p. 1121. Host fl. austr. 2. p. 399. Rchb. fl. germ. exc. p. 272.

P. foliis glabris basi cordato-amplexicaulibus, subtus glaucis, superioribus angustioribus, paniculae ramis patulis, ramulis capitulisque nutantibus.

Var. α. vulgaris: foliis inferioribus in petiolum anguste alatum indivisum contractis, superioribus late lanceolatis subsessilibus. — Icon. Clus. hist. pl. p. CXLVII. f. 2. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 3. f. 23.

Var. β. major: foliis inferioribus in petiolum late alatum indivisum contractis, superioribus late linearibus elongatis sessilibus. — Syn. P. purpurea β. L. sp. pl. ed. II. p. 1121. — Icon. Columm. ecphr. 1. p. 246. Moris. hist. pl. oxon. sect. 7. tab. 3. p. 22.

Var. γ. latifolia: foliis inferioribus hastato-deltoideis in petiolum pinnatilobum contractis attenuatisve, supremis ellipticis basi breviter attenuatis integris.

Hab. in sylvaticis montium Vellebith et Biokovo: var. γ. iisdem locis in Pakleniza ad pedem Vellebith, ubi detexit egr. Kargl. Floret aestate. Flores purpurei. ♃.

Obs. Habitus var. γ. sat diversus a specie: folia magna basi pinnatiloba, lobo terminali maximo hastato-deltoideo angulato-dentato, superiora late ovalia, nec lanceolata, omnia vix basi amplexicaulia, nec cordata ut in specie. Flores iidem. Forsan species propria, sed in planta quoad folia adeo polymorpha supra unicum specimen discrimen statuere vereor. Var. β. accedit quoad folia superiora ad P. tenuifoliam L. sp. pl. ed. II. p. 1120. All. fl. pedem. tab. 33. f. 2, quae aliam sistit speciei varietatem, sed in nostra folia sunt quidquam latiora et minus longa.

CCLXIX. Lactuca Tourn.

Inst. rei herb. p. 477. t. 267.

Char. Involucrum calyculato-imbricatum, receptaculo nudo, floribus bi-triserialibus. Achenia compressa, rostri abrupte filiformis discoloris apice annulo pappigero marginato. — Clas. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

752. **Lactuca perennis** L. sp. pl. ed. II. p. 1120. Host fl. austr. 2. p. 397. Rchb. fl. germ. exc. p. 273. Alsch. fl. jadr. p. 205. Pett. bot. Wegw. n. 522.

L. glabra laevis, foliis pinnati-partitis, aut lyrato-pinnatifidis, ramis floriferis laxe corymbosis, bracteis cordato-lanceolatis, acheniis utrinque unicostatis glabris rostrum subaequantibus, rostro persistente, annulo cum pappo deciduo.

Icon. Curt. bot. mag. t. 2130. Dodon. pempt. p. 637. Dalech. hist. pl. p. 566. f. 2. Matth. disc. in Diosc. ed. 1568. p. 539. Tabern. icon. stirp. p. 176. f. 1. et p. 177. f. 1.

Hab. in rupium fissuris locisque saxosis montium Vellebith, Promina, Dinara, Biokovo. Floret a vere in aestatem. Flores caerulei. ♃.

753. **Lactuca saligna** L. sp. pl. ed. II. p. 1119. Vis. stirp. dalm. p. 39. Host fl. austr. 2. p. 396. Rchb. fl. germ. exc. p. 272. Alsch. fl. jadr. p. 204. Pett. bot. Wegw. n. 524.

L. foliis subtus carina aculeatis laevibusque, basi sagittatis, inferioribus oblongis lanceolatisve runcinato-pinnatifidis sinuatisve, laciniis superioribusque linearibus

acuminatis integerrimis, ramis virgatis, floribus racemoso-spicatis, bracteis cordato-lanceolatis, acheniis utrinque tenuissime septemcostatis, apice hirtellis, rostro achenium duplo excedente cum annulo pappoque persistente.

Icon. Jacq. fl. austr. t. 250. Sow. engl. bot. t. 707. Hall. in Rupp. fl. jen. p. 207. f. 4. Barrel. icon. pl. t. 136.

Hab. in ruderatis, locisque saxosis sterilibus circa Zara, Sebenico, Traù, Spalato, Ragusa. Floret aestate. Flores flavi. ♂.

Obs. Folia inferiora variant plus minusve pinnatifida, interdum sinuata. Achenia video utrinque saepius costis filiformibus septem, praeter marginalia, nec quinque notata, secus ac habet cl. Koch in syn. fl. germ. ed. II. p. 495. Icon Gaertneri de fr. et sem. 2. tab. 158. sub Lactuca saligna, nostrae fructum non bene exhibet, qui male pingitur compresso-tetragonus et rostro subaequalis.

754. Lactuca Scariola L. sp. pl. ed. II. p. 1119. Host fl. austr. 2. p. 396. Rchb. fl. germ. exc. p. 272. Alsch. fl. jadr. p. 205.

L. foliis subtus carina aculeatis, ovali-oblongis, basi sagittatis, runcinato-pinnatifidis, denticulato-spinulosis, ramis floriferis pyramidato-paniculatis subdichotomis, bracteis cordato-lanceolatis, acheniis marginatis utrinque tenuissime quinquecostatis, apice hirtellis, rostro achenio breviore annuloque persistente, pappo deciduo.

Syn. Lactuca virosa Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 362 (non L.). Pett. bot. Wegw. 524. — Icon. Sow. engl. bot. t. 268. Flor. dan. t. 1227. Gaertn. l. c. tab. 158. Camer. epit. pl. p. 300. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 2. f. 17. — Illyr. Erdobrad.

Hab. ad vineas, oliveta circa Zara, Salona, Clissa, Ragusa et in insula Lesina. Flores flavi. ♂.

Obs. In hac specie et sequente, nec non in L. saligna, achenia saepius insimul conglutinata: saepius etiam in capitulo fructifero, disrupto pericarpio, embryonis apex nudus ex achenii vertice erumpit.

Usus. Extractum stirpis hujus, quae Lactuca sylvestris pharmacopeae Austriacae, vi pollet deostruenti, diuretica, et in hydrope et viscerum obstructionibus utiliter propinatur.

755. Lactuca augustana Allion. fl. pedem. p. 224. Rchb. fl. germ. exc. p. 273.

L. foliis subtus carina laevibus aculeatisque, oblongo-lanceolatis, basi sagittatis, indivisis aut levissime sinuatis, denticulato-spinulosis, ramis floriferis pyramidato-paniculatis subdichotomis, bracteis cordato-lanceolatis, acheniis marginatis utrinque tenuissime quinquecostatis, apice hirtellis, rostri achenio brevioris basi fragilis annulo pappoque persistente.

Icon. Allion fl. pedem. tab. LII. f. 1.

Hab. in saxosis, agrestibus insulae Lesina, unde misit prof. Stalio. Floret aestate. Flores flavi. ♂.

Obs. Admodum affinis praecedenti, at foliis oblongis angustioribus nec ovalibus, indivisis nec pinnatifido-runcinatis, rostro basi fragili, annulo pappoque persistente, satis diversa. In L. Scariola pappus digitis trahentibus facile cedit et decidit, rostro annuloque illaesis; in L. augustana e contra rostrum basi rumpitur, annulo pappoque in rostri apice persistentibus. Folia in icone Allionii nimis lata et ovalia, nec anguste oblonga, ut in planta nostra.

756. Lactuca muralis Gaertn. de fr. et sem. tab. 158. DC. prodr. syst. nat. VI. p. 139.

L. glabra, laevis, foliis in petiolum attenuatis lyrato-pinnatipartitis, laciniis ovatis angulato-dentatis mucronulatis integerrimis, ramis floriferis paniculatis gracilibus

subdichotomis, bracteis cordato-acuminatis, involucris calyculatis, acheniis utrinque quinquecostatis glabris, rostro achenio triplo breviore annuloque persistente, pappo achenium aequante deciduo.

Syn. Prenanthes muralis L. sp. pl. ed. II. p. 1121. Vis. stirp. dalm. p. 44. Host fl. austr. 2. p. 399. Alsch. fl. jadr. p. 204. Pett. bot. Wegw. n. 734. Chondrilla muralis Lam. enc. bot. ed. Patav. 2. p. 78. Mycelis angulosa Cass. dict. sc. nat. vol. 33. p. 484. Rchb. fl. germ. exc. p. 272. Cicerbita muralis Wallr. sched. crit. p. 436. — Icon. Sow. engl. bot. t. 457. Flor. dan. t. 509. Clus. hist. pl. p. 146. f. 2.

Hab. in umbrosis rupestribus montium Vellebith, Promina, Biokovo, Snieśniza, Sella. Floret aestate. Flores flavi. ⨀.

Obs. Genus Mycelis solo involucro calyculato nec imbricato a Lactucis diversum. Differt planta haec a Prenanthe achenio rostrato, a Chondrilla achenio laevi, nec apice muricato. Fructus omnino Lactucae, ut primus vidit et pinxit Gaertnerus, etsi in textu exarando aliam sententiam tulerit.

757. Lactuca sativa L. sp. pl. ed. II. p. 1118. Vis. stirp. dalm. p. 39. Rchb. fl. germ. exc. p. 273. Alsch. fl. jadr. p. 205.

L. foliis subtus carina aculeatis laevibusque, ovali-oblongis, basi cordata amplexicaulibus, denticulato-spinulosis, indivisis vel runcinato-pinnatifidis, ramis floriferis in paniculam depressam expansis, bracteis cordato-acuminatis, acheniis utrinque 7—9—costatis apice pilosiusculis, rostri achenio sublongioris basi fragilis annulo pappoque persistente.

Icon. Gaertn. de fr. et sem. tab. 158. Blackw. herb. t. 88. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 2. f. 9. Camer. epit. pl. p. 299. — Illyr. Lochika.

Hab. in hortis culta. Floret aestate. Flores flavi. ⨀.

Usus. Planta junior oleracea, florida succo lacteo viscido scatet, qui leni igne inspissatus Lactucarii vel Tridacis nomen obtinet, vi deprimente et somnifera in nervorum morbis, et pervigilio utiliter adhibitus.

CCLXX. Phoenixopus Cassin.

Dict. sc. nat. 3. p. 391. et 48. p. 426.

Char. Involucrum imbricatum, receptaculo nudo, floribus uniserialibus. Achenia compressa in rostrum concolorum sensim attenuata, apice annulo pappigero marginata. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

758. Phoenixopus vimineus Rchb. fl. germ. exc. p. 272.

Ph. glaber, laevis, foliis adnato-decurrentibus, inferioribus oblongo-ovalibus runcinato-pinnatipartitis, superioribus bracteisque lanceolato-linearibus indivisis, caule ramisque virgatis, acheniis utrinque tenuissime 5—7—costatis glabris, annulo persistente, pappo deciduo.

Syn. Prenanthes viminea L. sp. pl. ed. II. p. 1120. P. viminalis Host fl. austr. 2. p. 398. P. ramosissima All. fl. pedem. p. 226. Chondrilla viminea Lam. enc. bot. 2. p. 78. Lactuca viminea Link. en. h. berol. 1821. p. 281. Phoenixopus decurrens Cass. dict. Sc. nat. 39. p. 391. P. ramosissimus Rchb. fl. germ. exc. p. 272. Phaenopus vimineus DC. prodr. syst. nat. VII. p. 176. — Icon. Jacq. fl. austr. 1. tab. 9. Lam. enc. bot. pl. 650. f. 4. Allion. fl. pedem. tab. 33. f. 1. et 52. f. 2. Columm. ecphr. 1. p. 340.

Hab. in sterilibus, arenosis, incultis circa Sebenico, Traù, Spalato, Ragusa et in insula Lesina. Floret aestate. Flores flavi. ♂.

Obs. Genus a Lactuca diversum praecipue acheniis in rostrum sensim attenuatis, nec abrupte contractis, rostroque achenio concolore sive ex ipsius achenii productione con-

flato, nec albo discolore et ex achenii tegumentis orto, ut in illis. Prenanthes ramosissima All. est forma minor P. viminea e loco arido nata, et discrimina a cel. Allionio indicata utrique plantae communia. Icon tab. 33. fl. pedem. nostram bene exhibet: e contra folia tab. 52. f. 2. laciniarum forma et dentibus minus vera.

CCLXXI. Trichocrepis Vis.

Stirp. dalm. spec. p. 19.

Char. Involucrum calyculatum, fructiferum campanulatum aut cylindricum phyllis exterioribus triplo brevioribus, interioribus subcomplicatis achenia marginalia foventibus, receptaculo paleis elongatis piliformibus obsito. Achenia marginalia alba suberosa extus convexa, intus crasse tricarinata: disci tenuissime multicostata glabra, serie exteriore ad costas hirto-canescente, omnibus apice attenuatis rectis, pappo multiseriali molli persistente. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

759. Trichocrepis bifida Vis. loc. cit. Pett. bot. Wegw. n. 950.

Syn. Pterotheca bifida Fisch. et Mey. ind. IV. H. petrop. 1837. n. 1736. Lagoseris bifida Koch syn. fl. germ. ed. I. p. 435. Pterotheca nemausensis Rchb. fl. germ. exc p. 269. nec Cass. et excl. syn. Crepinia Marschalliana Rchb. l. c. Crepis nemausensis Bieb. fl. taur. cauc. II. p. 255. excl. syn. Lagoseris nemausensis Host fl. austr. 2. p. 426, et Alsch. fl. jadr. p. 202. excl. syn. Pterotheca nemausensis var. Koch syn. fl. germ. ed. II. p. 500. — Icon. Vis. loc. cit. tab. VII. Flor. dalm. icon. tab. L. fig. III.

Hab. in apricis, vineis, satis totius Dalmatiae litoralis. Flores flavi. Floret aestate. ☉.

Obs. Herba tenera annua, radice fibrosa, foliis omnibus radicalibus obovatis, nunc dentatis, runcinatis, aut lyratis, nunc rarius integris, pubescentibus; scapo dichotomo monodicephalo vel polycephalo, pedicellis involucrisque apice pilis glanduliferis vel eglandulosis obsitis; involucris cylindricis, vel in fructu patulis ideoque fere campanulatis, phyllis inferioribus lanceolatis, caeteris triplo longioribus lineari-lanceolatis, omnibus margine scariosis puberulis glandulosisve, vel rarius glabratis, longioribus demum carinato complicatis, ut achenia excipiant. Haec alba sunt, extus nunc convexa, nunc obtuse carinata, levissime striata, intus carina longitudinali crassa obtusa majore perducta, cui adstat utrinque sulcus levis et extra sulcum margo crassiusculus, ita ut achenii facies tribus carinis crassis obtusis praedita videatur: Pappus saepissime nullus. Hisce succedunt pauca quaedam achenia alba linearia teretiuscula laevia, a phyllis involucri libera, et ante dictis alterna. Haec vicissim excipiunt alia achenia linearia teretia tenuissime multicostata, ad costas setis brevibus patentibus crassiusculis albis hirta, quae perinde ac praecedentia vix apice attenuata pappo coronantur. Sequentia caetera hisce similia, sed glabra et magis attenuata. — Pterotheca Cass. bull. soc. philom. 1816. p. 200 et 1821. p. 125 differt a Trichocrepide forma acheniorum marginalium, quae in illa sunt dorso tenuiter 5-costata, costis prominulis sulco divisis, facie 5—costata, quarum costarum duo intermediae tenuiores filiformes, vix angustissime alatae, tres hisce alternae late alato-membranaceae, alis costas intermedias saepe occultantibus (Cfr. Fl. dalm. icon. tab. L. f. II.). Quorum characterum constantia, cum fuerit in Horto patavino cultu triennali probata et a cll. Fischer et Meyer recognita tum in Trichocrepide, tum in Pterotheca, nec sint minoris momenti ac alii pro generibus Compositarum distinguendis adhibiti, hae plantae nequeunt non dicam specie, sed genere amplius confundi, ni velimus magnam dictorum generum partem pari jure delere. Nomen Pterothecae insuper nostrae plantae acheniis apteris praeditae omnino repugnat et errorem includit. Dentes foliorum variant obtusi, vel acuti, quae ultima forma exhibet Pt. bifidam β. Fisch. Mey. l. c., sive Crepidem nemausensem Bieb., Crepiniam Marschallianam Rchb.

CCLXXII. Gatyona Cassin.

Dict. sc. natur. v. 18. p. 184, et v. 25. p. 62.

Char. Involucrum calyculatum, fructiferum torulosum globosum, phyllis exterioribus duplo brevioribus, interioribus incurvo-gibbis conniventibus achenia marginalia

foventibus, receptaculo paleis piliformibus sparso. Achenia marginalia tricostata costis levibus crassis, interiore alata, disci costis conformibus tenuissimis tuberculato-scabris, omnibus apice attenuatis incurvis, pappo multiseriali deciduo molli. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

760. Gatyona Dioscoridis Rchb. fl. germ. exc. p. 254.

G. foliis glabris denticulatis mucronatis, inferioribus obovatis in petiolum attenuatis dentatis, aut runcinato-lyratis, mediis sessilibus obovatis supremisque lanceolato-linearibus hastato-amplexicaulibus basi laciniatis, caule apice divaricate ramoso, involucri canescentis phyllis exterioribus lineari-subulatis.

Syn. Crepis Dioscoridis L. sp. pl. ed. II. p. 1133. Crepis croatica Horn. hort. hafn. suppl. p. 90. Gatyona globulifera Cass. loç. cit. Endoptera Dioscoridis DC. prodr. syst. nat. VII. p. 179. — Icon. DC. icon. pl. gall. t. 18. Tabern. ic. pl. p. 180. f. 2.

Hab. in cultis et etiam sterilibus insulae Zlarin et Lesina. Flores flavi subtus aurantio vittati. Floret aestate. ⊙.

Obs. Variat caule levi et pubescente, foliis inferioribus indivisis et lyrato-runcinatis, superioribus lanceolatis vel linearibus, basi hastatis vel sessilibus integris. Achenia phyllis involucri obvoluta non raro calva. Receptaculi setae marginem versus longiores.

CCLXXIII. Zacintha Tourn.

Inst. rei herb. 2. p. 476. tab. 269.

Char. Involucrum calyculatum, demum toruloso-angulatum, truncatum, phyllis exterioribus dimidio brevioribus, interioribus demum crasse gibbosis apice conniventibus achenia marginalia arcte includentibus, receptaculo nudo. Achenia multicostata levia linearia cuneata acutiuscula, pappo uniseriali molli deciduo; marginalibus extus gibbis, pappo laterali. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

761. Zacintha verrucosa Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 358. Vis. stirp. dalm. p. 51. Host fl. austr. 2. p. 431. Rchb. fl. germ. exc. p. 254. Alsch. fl. jadr. p. 207. Pett. bot. Wegw. n. 1030.

Syn. Lapsana Zacintha L. sp. pl. ed. II. p. 1141. — Icon. Gaertn. de fr. et sem. 2. tab. 157. f. 7. Clus. hist. pl. 2. p. 144. f. ext. Camer. epit. pl. p. 287. Matthiol. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 534.

Hab. in apricis, saxosis, cultisque totius Dalmatiae frequens. Flores flavi subtus fulvi. Floret vere et aestate. ⊙.

Obs. Herba foliis glabris obovatis, integris vel dentatis vel sinuatis vel pinnatifidis vel lyratis, basi attenuatis, caulinis sessilibus basi truncatis inferne laciniatis, caule dichotomo glabro aut canescente, floribus in dichotomia et secus ramulos sessilibus, terminalibus longe pedunculatis. Achenia vix summo apice acutiuscula lineari-obovata.

CCLXXIV. Crepis Linn.

Gen. pl. ed. II. p. 286. (excl. spec.).

Char. Involucrum calyculatum imbricatum, receptaculo nudo, floribus multiserialibus. Achenia teretiuscula sensim in rostrum vel solo apice attenuatis, pappo niveo multiseriali. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

Sect. I. Barkhausia.

Moench. meth. pl. p. 537.

Acheniis omnibus, vel disci rostratis.

762. Crepis vesicaria L. sp. pl. ed. II. p. 1132.

C. caule erecto pubescente apice corymboso, foliis runcinato-dentatis pinnatifidisve

in petiolum attenuatis, superioribus sagittato-lanceolatis sessilibus basi setaceo-dentatis, supremis integerrimis, bracteis pedunculorum et calyculi ovalibus concavis membranaceis glabris, interioribus linearibus villosis, acheniorum rostris involucro brevioribus, costis serrulatis.

Syn. Barkhausia vesicaria SPR. syst. veg. 3. p. 652. HOST fl. austr. 2. p. 424. — Icon. COLUMN. ecphr. 1. p. 237.

Var. β. scariosa: bracteis late scariosis majoribus, calyculi involucrum subaequantibus. — Syn. Crepis vesicaria β. L. l. c. C. scariosa W. sp. pl. 3. p. 1595. PETT. bot. Wegw. n. 304. Barkhausia scariosa RCHB. fl. germ. exc. p. 856.

Hab. in herbidis, apricis, agrorum marginibus circa Scardona, Vissovaz, Verpolje, Spalato, Ragusa, Cattaro, et in insulis Ossero, Onie. Flores flavi. Floret Majo, Junio. ⨀.

Obs. Folia variant dentata vel pinnatifida, superiora margine toto, vel sola basi laciniata, dentibus apice setaceis, bracteis pedunculorum et calyculi nunc ellipticis vel ovatis late scariosis, nunc oblongis angustioribus anguste scariosis, modo involucrum dimidium, modo fere integrum aequantibus. Varietas apud nos frequentior ac species.

763. Crepis setosa HALL. fil. in ROEM. archiv. 1. p. 2. p. 1.

C. caule erecto ramoso, setoso aut glabro, ramis apice corymbiferis, foliis inferioribus runcinato-dentatis, runcinatis lyratisve, basi attenuatis, superioribus sagittato-lanceolatis sessilibus, basi lanceolato-dentatis, supremis integerrimis, bracteis pedunculorum et involucri exterioribus lanceolato-linearibus, margine interioribusque dorso hispidis, acheniorum rostris involucro brevioribus, costis apice hispidulis.

Syn. Barkhausia setosa DC. fl. fr. 5. p. 44. RCHB. fl. germ. exc. p. 255. Crepis hispida WALDST. et KIT. pl. hung. 1. p. 42. Barkhausia hispida LINK en. h. berol. 2. p. 290. HOST fl. austr. 2. p. 426. RCHB. fl. germ. exc. p. 256. Crepis biennis ALSCH. fl. jadr. p. 202. nec. al. — Icon. DC. icon. pl. gall. t. 19. WALDST. et KIT. l. c. t. 43.

Hab. in agris et vineis circa Sebenico, Ragusa, et in valle Zuppa ultra Cattaro. Flores flavi. Floret aestate. ⨀.

Obs. Variat foliis nunc dentatis, nunc ad costam partitis, caulibus pedunculisque hispidis aut glabratis, involucro etiam frequentius hispido, rarius breviter sparseque setoso.

764. Crepis foetida L. sp. pl. ed. II. p. 1133. VIS. stirp. dalm. p. 32. PETT. bot. Wegw. n. 301.

C. hirsuta, caule erecto ramoso, ramis apice 1—3 floris, pedunculis elongatis subincrassatis, foliis inferioribus runcinato-dentatis, runcinatis lyratisve in petiolum attenuatis, superioribus sagittato-lanceolatis sessilibus basi lanceolato-dentatis, supremis linearibus integerrimis, phyllis involucri lanceolatis villoso-canescentibus glandulosisque, costis apice serrulatis, acheniorum centralium rostris involucro longioribus.

Syn. Barkhausia foetida DC. fl. fr. 4. p. 42. HOST fl. austr. 2. p. 426. RCHB. fl. germ. exc. p. 257 (exclus. ic. GAERTN.). ALSCH. fl. jadr. p. 203. — Icon. Sow. engl. bot. t. 406. LOBEL. icon. stirp. p. 226. f. 1. MORIS. hist. oxon. sect. 7. tab. 4. f. 4.

Hab. in arvis, incultis, locisque sterilibus circa Zara, Sebenico, Traù, Ragusa, Cattaro, et in insulis Cherso et Lesina. Flores flavi, herba amygdalas amaras olens. Floret aestate. ⨀.

Obs. Planta caule erecto aut adscendente, foliorum divisione, et involucris glandulosis, vel tantummodo villosis magnopere varians. Hinc Barkhausiam glandulosam PRESL, B. graveolentem LINK, et B. pinguem RCHB. hisce characteribus superstructas specifice differre non credo. Priores in horto patavino cultae e seminibus a cl. Gussone, et ex Horto berolinensi missis ad C. foetidam redierunt.

765. Crepis rubra L. sp. pl. ed. II. p. 1132.

C. glabriuscula, caule erecto vel adscendente subsimplici, caulibus ramisque monocephalis, foliis plerisque radicalibus runcinato-pinnatifidis basi attenuatis, superioribus sessilibus lanceolatis basi incisis, supremis linearibus integerrimis, phyllis involucri exterioribus lanceolatis margine scariosis, glabris, interioribus dorso villosulis, acheniorum costis serrulatis, centralium rostris involucro sublongioribus.

Syn. Barkhausia rubra Moench. meth. pl. p. 537. Host fl. austr. 2. p. 425. Rchb. fl. germ. exc. p. 256. Alsch. fl. jadr. p. 204. — Icon. Columm. ecphr. 1. p. 244. Moris. hist. pl. oxon. sect. 7. tab. 4. f. 3. — Illyr. Dimacz. Pùpavicza.

Var. β. scapigera: Ten. syll. pl. neap. p. 404: foliis interrupte pinnatilobis, lobis ovatis ovalibusque obtusiusculis. — Crepis incarnata Vis. stirp. dalm. spec. p. 17. Pett. bot. Wegw. n. 302. Barkhausia incarnata Host fl. austr. 2. p. 425. — Icon. Vis. l. c. tab. VI. f. 2.

Hab. in herbidis et ad vias agrestes circa Zara, Sebenico, Traù, Spalato, Clissa, Macarsca, Ragusa et in insula Ossero. Flores rosei. Floret aestate. ☉.

Obs. Planta culta, foliis gaudet minus divisis, et hanc refert icon C. Bauh. prodr. p. 68. f. 2, ex tali planta, Bauhino teste, desumpta. Linnaeanum Crepidis nomen potius huic sectioni quam sequenti respondet, cum in editionibus fere omnibus Generum plantarum pappum Crepidis Linnaeus vocaverit stipitatum.

Sect. II. Crepis.

Moench. meth. pl. p. 534.

Acheniis vix apice attenuatis.

766. Crepis bulbosa Cassin. ann. sc. nat. vol. 29. p. 4.

C. radicibus fibrosis tuberiferis, caule monocephalo nudo, apice calyculoque hirto-glanduloso, foliis oblongo-aut obovato-lanceolatis repandis dentatisve glabris, acheniis compressis subtetragonis.

Syn. Leontodon bulbosum L. sp. pl. ed. II. p. 1122. Hieracium bulbosum W. sp. pl. 3. p. 1562. H. stoloniferum Viv. fl. ital. fragm. p. 173. Prenanthes bulbosa DC. fl. fr. 4. p. 7. Aetheorhiza bulbosa Cassin. dict. sc. nat. 48. p. 425. Taraxacum bulbosum Rchb. fl. germ. exc. p. 270. — Icon. Viv. fl. ital. fragm. tab. XX. Columm. phytob. p. 14. Clus. hist. pl. p. 145. f. 2. Lobel. icon. stirp. p. 230. f. 2.

Hab. in umbrosis, graminosis ad Breno prope Ragusam, et in insulis Veglia, Cherso, Crappano, Lesina. Flores flavi. Floret aestate. ♃.

Obs. Caulis interdum stoloniferus et folia sinuato-dentata. Achenia levia compressa, hinc obtuse tricostata, illinc unicostata vel plana, summo apice parum attenuata. Species Crepidibus omnino congener.

767. Crepis alpestris Tausch. bot. zeit. 11. l. erg. bl. p. 79. Rchb. fl. germ. exc. p. 258.

C. caule submonocephalo subaphyllo apice tomentoso, foliis oblongo-obovatis in petiolum attenuatis dentatis runcinatisve, supremo lineari-lanceolato integro sessili, involucri phyllis exterioribus laxis linearibus, intimis lanceolatis canescentibus hirtisve, acheniis compressis utrinque quinque-striatis.

Syn. Hieracium alpestre Jacq. fl. austr. v. 2. Host fl. austr. 2. p. 407. — Icon. Jacq. fl. austr. tab. 191. Gmel. fl. sib. 2. tab. VIII. f. 1.

Hab. in devexitatibus saxosis apricis montium Vellebith et Dinara. Floret aestate. Flores flavi. ♃.

Obs. Variat foliis integris, sinuato-dentatis et runcinato-pinnatifidis, glabris vel pubescentibus, obtusis acutisve, caule monocephalo monophyllo, et ramoso foliato, involucro canescente vel nigrescente. Differt ab affini C. aurea praesertim caulis apice tomentoso nec nigro hirsuto, et phyllis involucri exterioribus laxis nec adpressis.

768. Crepis chondrilloides Jacq. en. stirp. vind. p. 312. Host fl. austr. 2. p. 423. Rchb. fl. germ. exc. p. 258. Pett. bot. Wegw. n. 299.

C. caule sulcato canescente apice ramoso, ramis divaricatis submonocephalis paniculatis, foliis inferioribus obovato-lanceolatis in petiolum attenuatis, caulinisque sessilibus pinnatipartitis, laciniis linearibus acutis integris partitisve, pedicellorum lanceolato-linearibus linearibusque integris, capitulis subsolitariis, involucri phyllis exterioribus laxis linearibus viridibus, intimis lanceolatis cano-tomentosis, acheniis compressis linearibus, utrinque quinque-costatis.

Syn. C. foeniculacea Froel. in DC. prodr. syst. nat. VII. p. 172. C. Adonis Spr. pugill. pl. 1. p. 154. Andryala chondrilloides Scop. fl. carn. 2. p. 115. Berinia andryaloides Brign. pl foroj. p. 50. — Icon. Scop. fl. carn. 2. tab. 52.

Hab. in devexitatibus apricis montium Promina, Dinara et Beljak prope Prugovo. Floret aestate. Flores inter congeneres magni aurei. ♃.

769. Crepis rigida Waldst. et Kit. pl. hung. 1. p. 18. Host fl. austr. 2. p. 420. Rchb. fl. germ. exc. p. 258.

C. caule rigido sulcato angulato apice ramoso, basi foliisque villosis, inferioribus oblongo-obovatis remote runcinato-dentatis in petiolum attenuatis, superioribus sessilibus hastato-amplexicaulibus acuminatis subdentatis, capitulis racemosis divergentibus, involucris cano-lanuginosis, acheniis compressis utrinque quinque-costatis.

Syn. Brachyderea rigida Cassin. dict. sc. nat. v. 48. p. 422. Crepis latifolia Balb. cat. h. taur. Pers. syn. pl. 2. p. 377. — Icon. Waldst. et Kit. loc. cit. tab. 19.

Hab. in agris et pascuis circa Glavasc ad radices montis Dinara, et ad Polazza inter Verlika et Knin. Flores flavi magni. Floret aestate. ♃.

Obs. Hic quoque achenia variant brevius vel longius apice attenuata. Annulus pappigerus in acheniorum apice, detracto pappo, albus conspicuus.

770. Crepis adenantha Vis. in bot. zeit. ergänz. 1830. p. 53. DC. prodr. syst. nat. VII. p. 163.

C. hirta aut scabra, caule sulcato apice ramoso, ramis corymbosis, foliis inferioribus obovato-lanceolatis runcinato-pinnatifidis in petiolum attenuatis, caulinis lanceolatis pinnatifidis basi sagittatis sessilibus, supremis lineari-acuminatis, capitulis corymbosis vel solitariis, pedunculis involucrisque basi costatis setoso-glandulosis, phyllis exterioribus linearibus laxis, acheniis teretibus sublinearibus utrinque crasse quinque-costatis.

Icon. Flor. dalm. tab. V. f. 1.

Hab. in saxosis apricis circa Spalato, Ragusa, et in monte ad Pastrovichio. Floret aestate. Flores flavi. ⊙.

Descript. Herba hirta scabra sesquipedalis, radice fibrosa simplici aut ramosa annua, caule sulcato erecto, foliis radicalibus obovato-lanceolatis runcinato-lyratis runcinatisve, nunc aequaliter nunc interrupte pinnatipartitis, lobis ovalibus lanceolatisve obtusis, integris vel sublobatis, caulinis lanceolatis pinnatifidis, supremis integris linearibus, ramis floriferis corymbosis, monocephalis vel corymbiferis, apice involucrisque setis glanduliferis patentibus hirtis. Involucri foliola anguste linearia laxa, interioribus linearibus duplo longioribus. Receptaculum areolatum, acheniis oblongo-linearibus subincurvis apice parum attenuatis, crasse utrinque 5—costatis sulcatisque, costis obtusis minutissime glandulosis, pappo albo deciduo involucrum vix superante.

Obs. Affinis C. bienni et praecipue C. niceaensi BALB. Ab utraque differt pedunculis involucroque hirto-glandulosis. Icon nostra specimen macrius exhibet, ramis monocephalis, sed folia suprema, et phylla exteriora in icone illa obtusa, et haec adpressa latiuscula et pappus fuscus, minus vera.

771. Crepis neglecta L. mant. pl. p. 107. HOST fl. austr. 2. p. 422. ALSCH. fl. jadr. p. 201. PETT. bot. Wegw. n. 303.

C. caule gracili apice dichotome ramoso ramis corymbosis, basi foliisque pubescentibus, inferioribus obovatis in petiolum attenuatis, runcinatis, lyratis dentatisve, superioribus sessilibus sagittato-amplexicaulibus acuminatis basi dentatis, capitulis corymbosis, involucris basi costatis viridibus, acheniis compressis oblongis utrinque quinque-costatis.

Syn. C. cernua TENOR. fl. neap. prodr. p. 47. C. stricta SCOP. fl. carn. 2. p. 99. C. polymorpha WALLR. sched. crit. p. 426. Barkhausia cernua RCHB. fl. germ. exc. p. 255. B. stricta RCHB. l. c. Crepis virens L. sp. pl. ed. II. p. 1134. C. pinnatifida W. l. c. C. diffusa DC. cat. h. monsp. p. 98. Lapsana capillaris L. sp. pl. ed. I. p. 812. — Icon. SANTI viagg. al. montam. 1. p. 122. tab. 2. SCOP. fl. carn. 2. tab. 47. TENOR. fl. nap. tab. 183. f. 1.

Hab. in pascuis et herbidis totius continentis insularumque dalmaticarum. Flores flavi. Floret ab aestate in autumnum. ⊙.

Obs Folia et in hac magnopere variant a forma lyrato-runcinata ad formam simpliciter rariterque dentatam, capitulis junioribus nutantibus vel erectis, acheniis nunc vix summo apice, nunc longius in rostri speciem attenuatis, quae nota ita gradatim transit, ut limites veri inter achenium muticum et rostratum in hac planta deficiant. Haec variare comperi in uno eodemque specimine, immo in eo ipso a cl. TENORE, pro sua C. cernua, communicato. Hinc C. neglecta, quae hujus synonimon, a C. virente W. et DC. nullo pacto sejungi potest. Characteres C. virenti a Linnaeo tributi nostrae nullo modo repugnant, et Lapsana capillaris ejusdem est forma macrior foliis vix dentatis in sterilibus obvia. Habeo specimen caule diffuso instructum absque ullo abscissionis vestigio, et hoc exhibet C. diffusam DC. — Species haec acheniis nunc subrostratis nunc muticis transitum efficit a Barkhausiis ad Crepides, has toto habitu, illas acheniis refert, ideoque utrasque conjungit.

772. Crepis pulchra L. sp. pl. ed. II. p. 1134. HOST fl. austr. 2. p. 422. RCHB. fl. germ. exc. p. 227. ALSCH. fl. jadr. p. 201.

C. caule glabro apice ramoso, ramis corymbosis foliisque pubescentibus, inferioribus obovatis runcinato-dentatis in petiolum attenuatis, caulinis ovato-lanceolatis basi cordatis truncatisve dentatis, supremis lineari-acuminatis, capitulis corymbosis, involucris costatis glaberrimis, phyllis exterioribus adpressis, acheniis compressis linearibus tenuissime striatis.

Syn. Prenanthes hieracifolia W. sp. pl. 3. p. 1541. P. pulchra DC. fl. fr. 4. p. 7. Chondrilla pulchra LAM. enc. bot. 2. p. 77. Phaecasium lampsanoides CASSIN. dict. sc. nat. v. 39. p. 307. Crepis pulchra β. L. sp. pl. ed. II. p. 1134. C. lapsanifolia RCHB. fl. germ. exc. p. 257. — Icon. Sow. engl. bot. t. 2325. MORIS. hist. oxon. sect. 7. tab. 5. f. 13. et 37. COLUMN. ecphr. 1. p. 249. f. 1. J. BAUH. hist. pl. 2. p. 1025.

Hab. in ruderatis, ad agrorum margines, ad vineas circa Zara, Sebenico, et in insula Lesina. Floret aestate. Flores flavi. ⊙.

Obs. Variat glandulosa vel non, inferne villosa aut glabriuscula, pedunculis adscendentibus arrectisve. Pappus facile deciduus, sed adest et in acheniis marginalibus.

CCLXXV. Hieracium L.

Gen. pl. ed. II. p. 285.

Char. Involucrum imbricatum, receptaculo nudo, floribus multiserialibus. Achenia teretia aut pentagona mutica, plica aut denticulis apice coronata, pappo

uniseriali persistente, sordide albo. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

*Pilosellae Vaill.: caule scapiformi aut furcato, acheniis profunde sulcatis teretibus, apice denticulis coronatis.

773. Hieracium Pilosella L. sp. pl. ed. II. p. 1125. Vis. stirp. dalm. p. 37. Host fl. austr. 2. p. 406. excl. syn. Rchb. fl. germ. exc. p. 260. Alsch. fl. jadr. p. 202. Pett. bot. Wegw. n. 476.

H. caule aphyllo monocephalo, foliis oblongo-obovatis supra setoso-pilosis, subtus incano-tomentosis, involucri nigro-glandulosi canescentis phyllis uniformibus, acheniorum costis apice in denticulum patentem productis.

Icon. Bull. herb. de la Fr. pl. 269. Camer. epit. pl. p. 708. Matthiol. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 1019.

Var. *β.* major: foliis floribusque duplo majoribus. — Icon. Flor. dan. t. 1110. Camer. epit. pl. p. 709. Fuchs. hist. stirp. p. 605. — Illyr. Ovçja bradicza. Ovçja travicza. Runjavicza.

Hab. in pascuis siccis, collibus, ad vias in tota Dalmatia vulgare. Flores sulphurei, marginalibus subtus stria purpurea vittatis. Floret a vere in autumnum. ♃.

Obs. Variat stolonifera et absque stolonibus, foliis breviter longeque, albo rufoque setosis. Var. *β.* similis H. Peleteriano Merat. fl. paris. p. 305, quod vero differt involucro villosissimo.

774. Hieracium bifurcum Bieb. fl. taur. cauc. 2. p. 351; 3. p. 532. Rchb. fl. germ. exc. p. 261.

H. caule monophyllo furcato, ramis elongatis erectis monocephalis, foliis oblongo-obovatis pilosis, subtus pube stellulata subcanescentibus, involucri hirsuti nigro-glandulosi phyllis uniformibus, acheniorum costis in denticulum vix productis.

Syn. H. brachiatum Bertol. in DC. fl. fr. 5. p. 442.

Hab. in pascuis elatioribus Dinara, ubi legi floridum Julio. Flores sulphurei. Caulis rarissime simplex. ♃.

775. Hieracium furcatum Hopp. bot. zeit. XIV. I. p. 181.

H. caule monophyllo furcato, ramis erectis, ramulis monocephalis, stolonibus plerumque nullis, foliis supra setosis, subtus pube minima stellulata adspersis, interioribus lanceolatis acutis, exterioribus obovatis obtusis brevioribus, involucri hirsuti nigro-glandulosi phyllis uniformibus, acheniorum costis in denticulum erectum productis.

Syn. H. angustifolium *γ.* Rchb. fl. exc. p. 261. H. sphaerocephalum Froel. in DC. syst. nat. prodr. VII. p. 201.

Hab. in agris et vineis circa Sebenico et Spalato. Flores sulphurei, marginalibus stria purpurea vittatis. Floret aestate. ♃.

**Piloselloides: caule summo apice corymboso aut subcymoso, acheniis profunde sulcatis cylindricis edentatis.

776. Hieracium florentinum W. sp. pl. 3. p. 1566. Gaud. fl. helv. 5. p. 82. an All?

H. caule paucifolio, apice ramoso-corymboso aut subcymoso, foliis lanceolato-linearibus lanceolatisque glaucis glabris vel sparsim longeque setosis, involucri phyllis uniformibus.

Var. *α.* praealtum: pedunculis subcymosis rectis, involucris puberulis. — Syn. H. praealtum Vill. voy. p. 62. H. Auricula W. sp. pl. 3. p. 1564. non L. Rchb. fl. germ. exc. p. 262. H. Bauhini, et H. obscurum Rchb. l. c. p. 263. H. piloselloides Alsch. fl. jadr. p. 202. nec Vill. — Icon. Rchb. ic. bot. 1. f. 114. Spr. fl. hal. tab. X. f. 1. —

Var. β. **piloselloides**: pedunculis subpaniculato-corymbosis, demum divaricato-adscendentibus, involucris glabriusculis. — Syn. H. piloselloides Vill. pl. dauph. 3. p. 100. Host fl. austr. 2. p. 412. Rchb. fl. germ. exc. p. 262. — Icon. Rchb. icon. bot. 1. fig. 80—81. Vill. l. c. tab. XXVII.

Hab. in pascuis siccis, locis arenosis, saxosis, collinis totius Dalmatiae frequens. Floret aestate. Flores flavi parvi. ♃.

Obs. Praeeunte cl. Gaudin, supradictas species in unicam jungo, cui Allionii nomen imponere haud ausim, inscius an ejus planta sit eadem ac planta homonyma Willdenowii, cum in Allioni herbario desit specimen et in Iconographia Taurinensi deficiat icon H. florentini All. (Cfr. Moris fl. sard. 2. p. 514.). Planta mire polymorpha variat glabra vel stellulato-pubescens, cum vel sine setis longioribus, cum stolonibus, quos video in ipso H. piloselloide, vel sine ipsis: pedunculis saepius subcymosis in var. α., corymbosis in var. β.; sed hanc quoque notam variare comperi, ut et involucri indumentum. Hinc H. praealtum et H. piloselloides vix varietates habendae sunt, cum dentur formae intermediae utraque copulantes.

777. Hieracium cymosum L. sp. pl. ed. II. p. 1126.

H. caule inferne folioso apice cymoso, foliis obovato-lanceolatis lanceolatisque viridibus dense setosis, pedunculis involucrisque villosis, phyllis uniformibus.

Syn. H. echioides Lumn. fl. poson. 1. p. 782. H. setigerum Tausch. bot. zeit. XI. I. p. 61. Rchb. fl. germ. exc. p. 262. H. sabinum Sebast. et Maur. fl. rom. prodr. p. 270. H. cymosum var. Rchb. fl. germ. exc. p. 263. — Icon. Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 1. tab. 85. Sebast. et Maur. l. c. tab. VI. Spr. fl. hal. tab. X. f. 2. Flor. dan. tab. 810. C. Bauh. prodr. p. 67.

Hab. locis asperis apricis Dalmatiae montanae circa Torrette, Dernis, Mirilovich, Sign. Flores flavi. Floret aestate. ♃.

Obs. Planta haec variat pilis rigidioribus fere strigosis, mollioribusque setaceis, erectis vel patulis, involucris brevius villosis ut in H. echioide, vel longius ut in H. sabino, foliis caulinis nullis, vel ab unico ad tria. Inter has stirpes nullum aliud discrimen invenio. Color pilorum involucri vel albus vel serius rufus. Ex descriptione Linnaeana, et ex icone C. Bauh. ab ipso citata, quae nostro optime quadrant, libenter assentior cl. Fries hoc esse verum H. cymosum L. Icon cel. Sprengelii exhibet specimen pauciflorum macrius ejusdem plantae, locis siccioribus obvium.

778. Hieracium pratense Tausch. bot. zeit. XI. I. beibl. p. 56. Rchb. fl. germ. exc. p. 263.

H. caule basi paucifolio, apice corymboso, foliis oblongo-lanceolatis viridi-glaucescentibus, pilis raris elongatis gracilibus sparsis, caule superne involucrisque nigro-villosis, phyllis uniformibus.

Syn. H. dubium L. sp. pl. ed. II. p. 1125. H. cymosum W. sp. pl. 3. p. 1566. ex herb! H. collinum Gochn. diss. cich. p. 17. H. Gochnati Mey. en. pl. cauc. in DC. herb! — Icon. Gochn. l. c. tab. 1. Flor. dan. t. 1044?

Hab. in pascuis siccis collinis circa Verpolje di Sebenico. Flores flavi. Floret aestate. ♃.

Obs. Variat stoloniferum vel non, pilis involucri longioribus nigrescentibus, vel brevioribus fuscis. Icon Florae danicae a cl. Rchb. huc adducta pilis brevibus, capitulisque majoribus a nostra quidquam diversa.

***Hieracii Vaill.: caule laxe ramoso, vel indiviso monocephalo, acheniis pentagonis lateribus planis, plica apice coronatis.

779. Hieracium porrifolium L. sp. pl. ed. II. p. 1128. Host fl. austr. 2. p. 415. Rchb. fl. germ. exc. p. 265.

H. glabrum glaucum, caule folioso furcate ramoso, ramis gracilibus divaricatis, foliis lineari-lanceolatis, utrinque attenuatis, ima basi longe ciliatis, superioribus sessilibus, pedunculis bracteolatis, involucri phyllis subcanescentibus, achenii costis apice plica conjunctis.

Icon. Jacq. enum. vind. tab. 6, et fl. austr. t. 286.

Hab. locis sylvaticis subalpinis in Pakleniza ad pedem montium Vellebith, unde dedit prof. Alschinger. Flores flavi. Floret aestate. ♃.

780. Hieracium glaucum All. fl. pedem 1. p. 214. Var. stuppeum Vis.

H. glaucum, caule folioso laxe paniculato-ramoso, ramis divaricatis, foliis ovali-lanceolatis lanceolatisque utrinque attenuatis, margine denticulato costaque longe piliferis, superioribus sessilibus, pedunculis bracteolatis involucroque subcanescentibus, achenii costis apice plica conjunctis.

Syn. H. glaucum Vis. stirp. dalm. p. 37. Alsch. fl. jadr. p. 202. Pett. bot. Wegw. n. 475. H. saxatile var.? H. stupposum Rchb. fl. germ. exc. p. 265.

Hab. in saxosis apricis totius Dalmatiae litoralis, etiam in insulis. Flores flavi majusculi. Floret a Septembri ad Decembrem. ♃.

Obs. Planta mirimode varians caule paniculato polycephalo, vel furcato di-tricephalo, glabro, vel stellulato-furfuraceo, foliis inferioribus latioribus vel angustioribus, undulatis vel planis, semper costa et margine longe piliferis, petiolo barbatis: margine denticulato vel remote pauci-dentato; foliis superioribus oblongis vel lanceolatis, saepius piliferis, interdum glabris, quandoque parvulis, involucro glabriusculo, aut subcanescente, pilis quibusdam insperso. Hac de causa specifice distinguere nolui ab H. glauco pariter polymorpho, quod cum nostro notis potioribus bene congruit.

781. Hieracium sabaudum L. sp. pl. ed. II. p. 1131 (excl. syn. fl. suec.). Host fl. austr. 2. p. 416. Rchb. fl. germ. exc. p. 268. Alsch. fl. jadr. p. 202. Pett. bot. Wegw. n. 477.

H. scabrum viride, caule rigido stricto folioso colorato paniculato-ramoso, ramis supremis subcorymbosis, foliis ovatis ovalibusque acutis subserratis, inferioribus basi attenuatis, pedunculis bracteolatis, acheniis apice plica tenui coronatis, inter costas apice scrobiculatis.

Icon. All. fl. pedem. tab. XXVII. f. 2. Besl. h. eyst. ord. 12. fol. 1. f. 2. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 5. f. 59.

Hab. in fruticetis, locisque asperis prope Zara, ubi legit prof. Alschinger. Flores flavi. Floret Aug. Sept. ♃.

782. Hieracium murorum L. sp. pl. ed. I. p. 802. Host fl. austr. 2. p. 411. Rchb. fl. germ. exc. p. 267.

H. caule subsimplici, folio unico oblongo subsessili, foliis radicalibus ovato-subcordatis petiolatis subtus margineque serrato hirsutis, dentibus apiculatis, caulis apice, pedunculis bracteolatis involucroque canescentibus glandulosis, achenii costis apice plica conjunctis.

Icon. Dalech. hist. pl. p. 565. Moris. hist. oxon. sect. 7. tab. 5. f. 54.

Hab. in montosis sylvaticis supra Verlika. Floret aestate. Flores flavi. ♃.

Obs. Datur forma monocephala. Folia subtus rubra, interdum etiam rotundata integra, quod H. rotundatum Kit. Nec differt H. incisum Hopp., nam involucri phylla rarius obtusiuscula, fere semper acuminata et acuta video etiam in nostro.

783. Hieracium sylvaticum Lam. enc. bot. 2. p. 366. excl. syn. Gouan. Vis. stirp. dalm. p. 37. Host fl. austr. 2. p. 416.

H. caule ramoso paucifolio, foliis ovato-oblongis, aut ovato-lanceolatis basi inciso-dentatis, subtus margineque hirsutis, dentibus apiculatis, caulinis basi attenuatis radicalibusque petiolatis, supremis linearibus sessilibus, caulis apice, pedunculis bracteolatis involucroque canescentibus glandulosis, achenii costis apice plica subcrenata conjunctis.

Syn. H. murorum L. sp. pl. ed. I. p. 802. H. vulgatum Fries. nov. fl. suec. ed. II. p. 258. non novit. mant. 2. p. 48. Host fl. austr. 2. p. 416. — Icon. Flor. dan. tab. 1113. Sow. engl. bot. t. 2031.

Hab. in sylvaticis montium Vellebith et Biokovo. Flores flavi. Floret aestate. ♃.

Obs. Species ut videtur distincta, nec cum H. murorum *β.* sylvaticum L. confundenda. H. sylvaticum Sm. engl fl. 3. p. 361, quae H. murorum Allion. fl. ped. t. 28. f. 1., formam exhibet integrifoliam vel subdentatam, cui cl. Rchb. refert H. Lachenalii Gmel. fl. bad. 3. p. 322.

784. Hieracium villosum Jacq. enum. stirp. vind. p. 271. Host fl. austr. 2. p. 414. Rchb. fl. germ. exc. p. 266.

H. albo-villosum, caule simplici vel monocephalo, vel ramoso oligocephalo, foliis glaucis glandula apiculatis, radicalibus obovato-lanceolatis lanceolatique basi attenuatis subintegerrimis, caulinis ovatis acutis semiamplexicaulibus, involucri villosissimi eglandulosi phyllis acuminatis, exterioribus laxis, acheniis vix costatis apice plica crenata coronatis.

Var. α. valde pilosum: ex toto albo-villosum, phyllis exterioribus latis foliaceis. — Syn. H. valde pilosum Vill. pl. dauph. 3. p. 106. — Icon. J. Bauh. hist. pl. 2. p. 1034. fig. Roch. pl. bann. f. 60.

Var. β. flexuosum: foliis involucrisque subvillosis, phyllis omnibus lanceolato-linearibus, caule canescente. — Syn. H. flexuosum Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 3. p. 231. Host fl. austr. 2. p. 414. Rchb. fl. germ. exc. p. 265. — Icon. Waldst. et Kit. l. c. tab. 209.

Var. γ. glabratum: foliis inferioribus glaberrimis glaucis, reliquis caule et involucro villosis, phyllis omnibus linearibus.

Hab. in saxosis elatioribus montium Vellebith, Dinara, et Prologh. Floret aestate. Flores flavi. ♃.

Obs. Herba maxime ludibunda caule simplici vel ramoso, nudiusculo vel folioso, foliis latioribus et angustiorihus plus minusve basi attenuatis, involucri phyllis angustis conformibus, vel exterioribus ovatis foliaceis, his laxis vel rarius erectis, villo denique vel totam plantam, vel caulem cum involucro, vel dorsum foliorum, vel utrasque paginas obducente. Harum variationum, cui certe referendae sunt plures species affines, jam omnium primus sermonem habuit cel. Jacquin loco citato. Varietati *α.* pertinet H. valde pilosum Vill. ex ejusdem descriptione, et icone Bauhini ab ipso citata, a quo Villarsius plantae suae nomen hausit. Icon autem Villarsii minus bene plantam exhibet ob villorum brevitatem.

785. Hieracium lanatum Vill. pl. dauph. 3. p. 120. Host fl. austr. 2. p. 410. Rchb. fl. germ. exc. p. 266.

H. dense lanato-tomentosum, pilis plumosis, caule simplici monocephalo, vel ramoso oligocephalo, superne glabrato nudiusculo, foliis crassis obovatis aut oblongo-lanceolatis glandula apiculatis, basi remote denticulatis integerrimisque, inferioribus in petiolum attenuatis obtusis, superioribus sessilibus acutis, involucri stellulato-canescentis glandulosique phyllis acuminatis, exterioribus laxiusculis, acheniorum costis apice plica crenata conjunctis.

Syn. Andryala lanata L. sp. pl. ed. II. p. 1137. Hieracium tomentosum All. fl. ped. 1. p. 216 (excl. H. andryaloide Vill.). H. verbascifolium Pers. syn. pl. 2. p. 374. non Vill. Vis. stirp. dalm. p. 37. H. Tomasinii Host fl. austr. 2. p. 414 ex herb! H. Lawsonii Vill. pl. dauph. 3. p. 118. Rchb. fl. germ. exc. p. 266. — Icon. Waldst. et Kit. 2. tab. 127. opt! Mill. ic. pl. t. 146. Vill. l. c. tab. XXIX. f. 4. Dill. h. elth. t. 150. mediocr.

Hab. in rupium fissuris, locis saxosis apricis montium Vellebith, Biokovo, Orien, Sella. Flores majusculi flavi. Floret aestate. ♃.

Obs. Ab hac specie certe divelli nequit H. lanatum Kit., quod juxta specimina e loco classico et iconem laudatam, est forma foliis quidquam angustioribus speciei Villarsianae. Icones Villarsii et Dillenii mediocres, haec autem pejor ob caulem ad apicem usque foliosum, quae nota plantae cultae forsitan propria, in spontanea desideratur. — Andryala ragusina L. sp. pl. ed. II. p. 1136, sive Hieracium incanum

lanuginosum ragusinum, pilosellae flore Herm. h. ludg. bot. 627. t. 673. Mill. icon. pl. t. 146. f. 2. circa Ragusam, et in tota Dalmatia deest, perinde ac Centaurea ragusina, et probabiliter nomen specificum ex eodem errore natum, nempe ex commutatione Epidauri peloponnesiaci, ubi species oritur, cum Epidauro dalmatico modo Ragusa vecchia.

CCLXXVI. Sonchus Linn.

Gen. pl. ed. II. p. 290. (excl. spec. pl.).

Char. Involucrum imbricatum, receptaçulo nudo, floribus multiserialibus. Achenia compressa costulata erostria, pappo multiseriali persistenti niveo. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

786. Sonchus oleraceus L. sp. pl. ed. II. p. 1116. (excl. var. γ. δ.). Vis. stirp. dalm. p. 48. Host fl. austr. 2. p. 394. Rchb. fl. germ. exc. p. 274. Alsch. fl. jadr. p. 203. Pett. bot. Wegw. n. 895.

S. foliis oblongo-obovatis subulato-dentatis runcinato-lyratis indivisisque, caulinis auriculato-amplexicaulibus, pedunculis umbellato-corymbosis, acheniis obovato-oblongis margine apteris, disco trinervibus, nervis sulco longitudinali diremptis, interstitiis transverse rugosis muriculatisve.

Syn. Sonchus oleraceus α. β. L, l. c. p. 1117. S. ciliatus Lam. fl. fr. 2. p. 87. S. asper Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 360. non Vill. — Icon. Oed. fl. dan. t. 632. Gaertn. l. c. tab. 158. Blackw. herb. tab. 30. Camer. epit. p. 279. Dodon. pempt. p. 643. f. sinistr. — Illyr. Kostrisc. Kostriç.

Hab. in cultis totius Dalmatiae cum sequente commixtus. Flores flavi. Floret a veris exitu ad autumnum. ⊙.

Usus. Herba junior cocta cibo inservit.

Obs. Folia variant indivisa, vel incisa runcinatave, auriculis rotundatis, vel acuminatis; pars caulis superior piloso-glandulosa vel glabra: achenia trinervia, nervis omnibus vel lateralibus sulco longitudinali diremptis ideoque fere binatis, horum interstitiis rugosis vel muriculatis vel levibus.

787. Sonchus asper Vill. pl. dauph. 3. p. 158. Rchb. fl. germ. exc. p. 274. Alsch. fl. jadr. p. 203. Pett. bot. Wegw. n. 894.

S. foliis oblongo-obovatis spinuloso-dentatis indivisis runcinatisve, caulinis auriculato-amplexicaulibus, pedunculis umbellato-corymbosis, acheniis ellipticis margine alatis, disco trinervibus, interstitiis levibus.

Syn. Sonchus oleraceus γ. δ. L. sp. pl. ed. II. p. 1117. S. oleraceus β. asper Vis. stirp. dalm. p. 48. S. fallax Wallr. sched. crit. p. 432. S. arvensis Vis. l. c. Alsch. l. c. Pett. bot. Wegw. n. 893. — Icon. Flor. dan. tab. 893. Loesel. fl. pruss. p. 257. tab. 77—78. Dodon. pempt. p. 643. f. dextr. Camer. epit. pl. p. 278. Fuchs. hist. stirp. p. 674. — Illyr. Kuk. Svinjak. Kostrisc.

Hab. in cultis ubique frequens. Flores flavi. Floret cum praecedente. ⊙.

Obs. Hic quoque variat foliis indivisis, ut in icone Fuchsii et Dodonaei, vel plus minusve profunde laciniatis ut in reliquis; quam formam saepius pedunculis involucrisque glandulosis praeditam olim sumpseram pro S. arvensi. Involucra juniora basi quandoque floccosa. Auriculae saepius rotundatae, tamen variant acutae, quod jam Fuchsius idem expresserat in icone 674. in foliis mediis caulis floriferi plantae suae. Achenia ut plurimum latiora et magis elliptica ac in praecedente, a qua disco levi praecipue differt. Margo tamen nunc late nunc vix alatus, saepius muriculatus: nervi etiam exteriores quandoque scabridi. Hinc species characteribus constantissimis adhuc deficiens.

788. Sonchus maritimus L. sp. pl. ed. II. p. 1116. Rchb. fl. germ. exc. p. 274. Alsch. fl. jadr. p. 203.

S. foliis elongato-lanceolatis integris aut remote runcinato-dentatis, caulinis cordato-auriculatis, pedunculis paucis subcorymbosis, acheniis obovato-oblongis, margine discique costis subternis obtusis crassiusculis obsolete rugulosis.

Syn. Sonchus littoralis Rchb. l. c. — Icon. Cav. icon. pl. 1. tab. 51. All. fl. ped. tab. XVI. f. 2. Zanon. hist. stirp. ed. Mont. tab. 160.

Hab. in salsis maritimis circa Zara, Narenta, Ombla. Flores flavi. Floret aestate. ♃.

Obs. Achenii costae nunc fere laeves, ut in nostro, et quales describit cel. DC. prodr. syst. nat. VII. p. 187, nunc minutissime rugulosae quales video in planta tergestina a cl. Koch descripta in syn. fl. germ. ed. II. p. 497. Dentes foliorum ubi adsunt reversi: achenia apice saepius attenuata, costis utrinque tribus crassis, lateralibus quandoque sulco longitudinali divisis. Icon Zanonii ex loco certe huc spectat, et exhibet specimen integrifolium, cui, comparationis gratia, addidit folium runcinato-dentatum. fig. 3.

CCLXXVII. Picridium Desf.

Flor. atlant. 2. p. 220.

Char. Involucrum imbricatum, receptaculo nudo, floribus multiserialibus. Achenia tetra-pentagona, angulis profunde crenatis sulco divisis, erostria, pappo multiseriali niveo, setis basi annulo junctis cumque ipso deciduis. — Class. Syngenesia. Ord. Polygamia aequalis Syst. sex. —

789. Picridium vulgare Desf. fl. atl. 2. p. 221. Vis. stirp. dalm. p. 43. Rchb. fl. germ. exc. p. 274. Pett. bot. Wegw. n. 695.

P. foliis inferioribus obovatis dentatis pinnatifidisve in petiolum attenuatis, caulinis oblongis basi amplexicaulibus, supremis subintegerrimis, pedunculis elongatis squamosis apice incrassatis, involucri phyllis erectis.

Syn. Scorzonera picroides L. sp. pl. ed. II. p. 1114. Sonchus picroides All. fl. ped. 1. p. 223. Host fl. austr. 2. p. 393. Alsch. fl. jadr. p. 203. — Icon. All. fl. ped. tab. XVI. f. 1. Gaertn. de fr. et sem. 2. tab. 158. f. 2. Lobel. icon. stirp. p. 236. f. 2. Dalech. hist. pl. 1. p. 562. — Illyr. Jaguz.

Var. β. scapigerum: caule subsimplici, foliis omnibus subradicalibus sinuatis spinuloso-denticulatis, involucri phyllis margine late membranaceis, apice patulis.

Hab. in apricis saxosis, et herbidis totius Dalmatiae, var. β. in rupium fissuris montis Orien, ubi legit Neumayer. Flores flavi. Floret a vere in aestatem. ☉. et ♂.

Obs. Planta foliorum integritate, ut in icone Dalechampii, vel divisione admodum varians. Achenia marginalia interdum pentagona, semper fusca crenata, centralia tetragona alba laeviuscula. Varietas β. equidem a specie prima fronte recedit colore caesio, caule subnudo, foliis spinuloso-denticulatis, et margine membranaceo albo involucri. Sed in planta adeo polymorpha ob paucam speciminum copiam et fructuum maturorum defectum specifice distinguere nequeo, nec hujus generis species ab auctoribus hucusque prolatas, utpote quae notis variabilibus superstructae, omnes servandas credo.

Ordo XLII. bis. AMBROSIACEAE.

Link handb. z. erkenn. d. gew. 1. p. 816.

Flores monoici involucrati capitati: masculi plures squamis uniserialibus cinctis, perianthio tubuloso quinquefido, staminibus quinis basi perianthii insertis, antheris approximatis liberis ecaudatis, stylo filiformi-clavato, stigmatibus in unum truncatum apice penicillatum concretis: foeminei duo aut plures nudi et involucro communi obducti, stylo unico, stigmatibus binis lineari-elongatis. Achenia ovata aut compressa sicca intra involucrum demum induratum et in rostra productum nidulantia.

Herbae annuae, caule ramoso, foliis omnibus vel superioribus alternis, simplicibus, indivisis lobatisve, florum capitulis in spicas terminales basi foemineas apice masculas digestis.

CCLXXVIII. Xanthium Tourn.

Inst. rei herb. 1. p. 438. tab. 252.

Char. Flores masculi, phyllis involucri liberis, receptaculo paleaceo: foeminei in involucro hamato-spinoso gemini. Achenia compressa bina in totidem involucri apice rostrati loculis nidulantia. — Class. Monoecia. Ord. Pentandria Syst. sex. —

790. Xanthium strumarium L. sp. pl. ed. II. p. 1400. Vis. stirp. dalm. p. 51. Host fl. austr. 2. p. 616. Rchb. fl. germ. exc. p. 294. Alsch. fl. jadr. p. 224. Pett. bot. Wegw. n. 1029.

X. inerme, foliis longe petiolatis subcordatis 3—5—nervibus 3—5—lobis inciso-dentatis scabris, superioribus basi cuneatis, involucro fructus pubescente, rostris rectis, spinis rectis apice uncinatis.

Icon. Lam. enc. bot. pl. 765. f. 2. Gaertn. de fr. et sem. 2. tab. 164.

Hab. in agris, et ruderatis circa Zara, Sebenico, Narenta, Cattaro, et in insula Lesina. Flores virides. Floret aestate. ☉.

Obs. Rostra variant arcte vel laxe conniventia, vel verticalia, vel divergentia, et haec forma postrema in Dalmatia obvenit: hinc icones illas tantum citavi, quae huic formae propriae.

791. Xanthium spinosum L. sp. pl. ed. II. p. 1400. Vis. stirp. dalm. p. 51. Host fl. austr. 2. p. 616. Rchb. fl. germ. exc. p. 294. Alsch. fl. jadr. p. 224. Pett. bot. Wegw. n. 1028.

X. spinis stipularibus tripartitis, foliis cuneatis trifidis lobo medio longiore, integrisque, breviter petiolatis, subtus canescentibus, involucro fructus pubescente, rostro unico recto, spinis apice uncinatis.

Icon. Lam. enc. bot. pl. 765. f. 4. Magn. h. monsp. t. 208. Moris. hist. pl. 3. sect. 15. t. 3. f. 3. Pluken. alm. tab. 239. f. 1.

Hab. in ruderatis incultis totius Dalmatiae frequens. Flores virides. Floret aestate. ☉.

CCLXXIX. Ambrosia Tourn.

Inst. rei herb. 1. p. 439. tab. 252.

Char. Flores masculi phyllis involucri in cupulam concretis, receptaculo nudo: foeminei plures in involucris multifloris involucro inermi communi cinctis, bracteolis interpositis. Achenia globoso-ovata intra involucrum cornigerum latitantia. — Class. Monoecia. Ord. Pentandria Syst. sex. —

792. Ambrosia maritima L. sp. pl. ed. II. p. 1401. Host fl. austr. 2. p. 617. Rchb. fl. germ. exc. p. 294. Alsch. fl. jadr. p. 224. Pett. bot. Wegw. n. 52.

A. villosa canescens, caule divaricate ramoso, foliis petiolatis ovatis bipinnati-partitis, laciniis obtusis, spicis solitariis, involucro masculo hirtello, foemineo glanduloso cornubus rectis 4—5 echinato.

Icon. Lam. enc. bot. pl. 765. f. 1. Dodon. pempt. p. 35. f. sup. — Illyr. Pomoçnjk. Kunja. Zvonika. Ugarska metva. Gorka metva. Opak. Pellin czarni. Matrik bieli.

Hab. in arenosis maritimis circa Ragusa, Budua, et in insulis Curzola, Lesina, Lissa. Flores lutei. Floret ab aestate in autumnum. ⊙.

Ordo XLIII. CAMPANULACEAE Bartl.

Ord. nat. pl. p. 151.

Flores hermaphroditi, involucrorum lobis aestivatione valvatis. Calyx tubo cum ovario connato adnatove, limbo quinquelobo supero. Corolla monopetala regularis, annulo inter calycem et ovarium prominulo inserta, limbo partito, laciniis lobos calycis numero aequantibus iisque alternis. Stamina quinque ante corollam annulo inserta et corollae lobis alterna, filamentis basi dilatatis conniventibus apice filiformibus, antheris bilocularibus basifixis, interdum basi connatis. Pistillum unicum, ovario extus calyce, supra annulo aut disco nectarifero obducto, bi-quinque loculari, ovulis pluribus axi centrali affixis, stylo simplici, stigmate bi-trifido nudo, lobis 2—5 demum recurvis. Capsula lateraliter inter costas vel apice fatiscens. Semina plurima, embryone recto in axi albuminis carnosi, radicula hilum spectante.

Herbae lactescentes, foliis exstipulatis alternis simplicibus, floribus racemosis, paniculatis, vel glomeratis.

CCLXXXX. Phyteuma L.

Gen. pl. ed. II. p. 57.

Char. Calyx quinquefidus. Corolla quinquepartita, laciniis linearibus primum coalitis, dein a basi ad apicem secedentibus. Stamina filamentis basi dilatatis, antheris liberis. Pistillum stylo piloso apice 2—3—fido. Capsula bi-trilocularis, evalvis, demum lateraliter lacera, aut foraminibus tribus pertusa. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

793. Phyteuma orbicularis L. sp. pl. ed. II. p. 242. Host fl. austr. 2. p. 276. Rchb. fl. germ. exc. p. 297. Alsch. fl. jadr. p. 54.

Ph. foliis crenato-serratis, infimis et caulium sterilium subcordato-ovatis longe petiolatis, reliquis sessilibus lanceolatis, superioribus lanceolato-linearibus, bracteis exterioribus ex ovata basi lanceolato-cuspidatis subintegris, capitulo florente globoso, deflorato ovali.

Icon. Sims. bot. mag. t 1466. Sow. Engl. bot. t. 142.

Var. β. lanceolata: foliis omnibus lanceolalis ciliatis. Syn. Ph. lanceolata Vill. pl. dauph. 2. p. 517. Rchb. fl. germ. exc. p. 297. — Icon. Barrel. icon. pl. t. 526.

Var. γ. Columnae: foliis scabris, inferioribus aut caulium sterilium subcordatis, reliquis lanceolatis linearibusve. — Icon. Column. ecphr. 1. p. 224. Barrel. icon. pl. t. 525. Moris. hist. pl. sect. V. tab. 5. f. 47.

Hab. in sylvaticis et pascuis montium Vellebith, Prologh, Biokovo. Flores purpureo-coerulei. Floret Junio, Augusto. ♃.

Obs. Icon Phyteumae lanceolatae Vill. tab. XII. f. 1. differt a nostra foliis caulinis longe petiolatis nec sessilibus, bracteis apice vix acutis nec attenuato-cuspidatis. Icon Ph. cordatae ejusdem tab. XI. f. 1. recedit foliis omnibus cordatis. Vocem Phyteuma nunc neutro nunc foeminino generi adscribunt variae Plinii editiones.

794. Phyteuma limoniifolia Sibth. et. Sm. fl. graec. prod. 1. p. 144. DC. prod. syst. nat. VII. p. 454.

Ph. foliis repando-denticulatis integrisve margine undulatis, radicalibus longe petiolatis oblongo-lanceolatis, lanceolatisve, superioribus bracteisque linearibus sessilibus, spica elongata lineari interrupta.

Syn. Campanula limoniifolia L. sp. pl. ed. II. p. 239. C. virgata Labill. ic. pl. syr. dec. II. p. 11. Ten. fl. nap. 1. p. 66. Phyteuma stricta Sims bot. mag. p. 2145. Ph. collinum Gusson. pl. rar. p. 97. Bertol. fl. ital. 2. p. 548. — Icon. Labill. l. c. tab. VI. Sims. l. c. tab. 2145. Gusson. l. c. tab. 18!

Hab. in collibus sterilibus locisque saxosis apricis ad Kosiza prope Vergoraz, circa Ragusa et Lastva, et in insula Lesina. Flores caerulei. Floret ab Aprili ad Julium. ♃.

Obs. Planta mire varians glabra vel pube scabra, caule simplici vel raro ramoso, foliis radicalibus apice obtusis aut acutis aut acuminatis, integris, repandisve, aut dentatis, capsula basi vel utrinque attenuata, stigmatibus primum crassiusculis obtusis, serius subulatis longioribus, quod video et in planta spontanea et in culta. Hisce lusibus in sat magna speciminum copia rite observatis, discrimina omnia ab auctoribus hucusque proposita inter Campanulam virgatam Labill. Phyteumam collinam Guss. et Ph. limoniifoliam Sibth. et Sm. penitus evanescunt. Corollam insuper Campanulae virgatae esse quinquepartitam laciniis fere ad basim fissis, nec tantum quinquelobam Billardierus ipse loco citato luculenter testatur. — Capsulae maturae parietes sub apice tribus foraminibus oblongis pertusi, quae fere operculo quodam primum clausa, serius operculo ipso sursum revoluto aperiuntur. Planta nostra omnino eadem ac illa a cll. Gussone et Bertolonio descripta. Icon Florae graecae cent. III. tab. 218. specimen exhibet caule ramoso paniculato luxurians.

CCLXXXXI. Campanula L.

Gen. pl. ed. II. p. 56.

Char. Calyx quinquefidus. Corolla quinquefida campanulata aut rotata, laciniis liberis. Stamina quinque, filamentis basi dilatatis in fornicem conniventibus annulum, tubum aut discum epigynum tegentem, antheris liberis. Pistillum stylo piloso, apice bi-trifido. Capsula bi-trilocularis, evalvis, demum pertusa aut lacera. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

Sect. I. Medium.

Tourn. élém. de bot. I. p. 91. pl. 38.

Calycis tubus turbinatus, sinus appendice reflexa praediti: capsulae maturae parietes basi soluti.

795. Campanula sibirica L. sp. pl. ed. II. p. 236. Host fl. austr. I. p. 273. Rchb. fl. exc. p. 304.

C. hispida, foliis inferioribus oblongo-spathulatis obtusis crenulatis in petiolum attenuatis, reliquis lanceolatis acuminatis semiamplexicaulibus, caule superne paniculato, floribus nutantibus, calyce hispido setoso-ciliato, laciniis erectis lanceolato-linearibus acuminatis, reflexis lanceolatis acutis tubo calycis sublongioribus.

Syn. Campanula divergens W. en. h. ber. I. p. 212. Rchb. fl. exc. p. 304. C. spathulata Waldst. et Kit. pl. hung. 3. p. 286. Host fl. austr. 1. p. 273. non Sibth. C. dichotoma Pett. bot. Wegw. n. 176. non L. — Icon. Sims bot. mag. t. 659. Jacq. fl. austr. 2. tab. 200. Waldst. et Kit. l. c. tab. 258. Gmel. fl. sibir. vol. III. tab. XXIX.

Hab. in saxosis umbrosis sylvaticis Verpolje, Ogorie, Knin, in monte Svilaja, in rupestribus Vrullia et Almissa, nec non in insula Brazza. Flores caeruleo-violacei. Floret Majo, Junio. ♂.

Obs. Ludit foliis interdum etiam mediis obovato-spathulatis, margine undulatis vel planis, sessilibus vel amplexicaulibus, ramis floriferis magis minusve divergentibus, floribus duplo majoribus. Nostra potius exhibet formam speciei majorem, quae C. divergens W., quamque nulla certa nota a C. sibirica distinguere valeo.

796. Campanula capitata Sims bot. mag. vol. XXI. p. 811. Rchb. icon. bot. VI. p. 13.

C. hispida, foliis undulato-crenatis obtusis, inferioribus obovato-spathulatis in petiolum attenuatis, reliquis oblongo-linearibus semiamplexicaulibus, caule subsimplici, floribus capitatis, bracteis e basi ovata cuspidatis apice obtusis, calyce hispido, laciniis setoso-ciliatis acutiusculis, erectis lanceolatis, reflexis subcordato-ovatis nervoso-reticulatis calycis tubo aequalibus, corollis calyce triplo longioribus.

Icon. Sims bot. mag. tab. 811. Rchb. icon. bot. tab. 782.

Hab. in saxosis apricis circa Vrullia, Macarsca, Primorje, Ragusa, et Cattaro. Flores violaceo-caerulei. Floret Aprili, Majo. ♂.

Obs. Haec est C. lingulata dalmatica Host fl. austr. I. p. 272., sed dubius haereo an eadem sit ac C. lingulata Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 1. p. 65. tab. 64. Dubitationis argumenta sunt folia caulina multo angustiora et longiora ac in icone citata; bracteae longe cuspidatae, calycis laciniae omnes acutiusculae, interdum etiam acuminatae, nec rotundato-obtusae ut in illa, corollae denique calycem triplo excedentes, ex quibus fit ut icon illa minime plantae nostrae respondeat. Icones vero cll. Simsii et Reichenbachii hanc certe referunt, etsi peccent calyce exappendiculato. Cum nostra multo minus confundi potest C. lingulata Rchb. ic. bot. b. p. 12. tab. 780. 781. et fl. exc. p. 302, quae ad sequentem sectionem pertinet: quod etiam dicendum de C. dalmatica Tausch syll. pl. nov. p. 246 in bot. zeit. 1827. mihi ignota, quae ab auctore cl. sic describitur „C. dalmatica: Cervicaria (capitulis glomeratis bracteatis exappendiculatis) foliis obtusis subintegerrimis hirtis, radicalibus ovato-spathulatis, caulinis lanceolato-spathulatis subamplexicaulibus; floribus terminalibus capitatis, involucris lanceolatis foliaceis. — Hab. in Dalmatia cum C. ligulata W. K. cui simillima, sed differt indumento hirto nec hispido, foliis subintegerrimis, calycibus exappendiculatis.“ Denique Campanula cichoracea Sibth. fl. graec. tab. 109 huic similis, differt praecipue foliis radicalibus laciniatis.

Sect. II. Eucodon.

Alph. DC. mon. camp. p. 251.

Calycis tubus turbinatus, sinus exappendiculati. Capsulae maturae latera pertusa aut lacera * medio vel basim versus.

797. Campanula glomerata L. sp. pl. ed. II. p. 235. Vis. stirp. dalm. p. 29. Host fl. austr. 2. p. 269. Rchb. fl. exc. p. 302. Pett. bot. Wegw. n. 178.

C. foliis serrulatis, inferioribus subcordato-ovatis oblongisve petiolatis, reliquis ovatis oblongisve amplexicaulibus, caule simplici, floribus terminalibus axillaribusque capitato-glomeratis, bracteis subcordato-acuminatis, calycis laciniis acutis.

Syn. Campanula aggregata W. en. h. ber. suppl. 1. p. 10. Balb. et Nocc. fl. ticin. I. p. 101. Rchb. fl. exc. p. 302. C. elliptica Kit. in Schult. fl. austr. ed. II. p. 918. Rchb. fl. exc. p. 302. — Icon. Rchb. ic. bot. VI. fig. 751 ad 764. Sow. engl. bot. t. 90. Oed. fl. dan. t. 1328. Nocca et Balb. fl. ticin. tab. V.

Hab. in sylvaticis montosis, praecipue ad Promina, Svilaja, Prologh, Mossor, Biokovo. Flores caerulei. Floret Majo, Junio. ♃.

Obs. Lusus multiplices plantae hujus pube cana viridi aut nulla, forma foliorum, copia, dispositione et magnitudine florum mire variantis in nitidissimis Reichenbachianis iconibus videndi sunt. C. aggregata W. excl. Bertol. fl. ital 2. p. 498. differt ab hac glabritie caulis, foliis acutioribus, staminum squamis exacte ovatis ciliatis utrinque glabris: at has quoque notas variare novi, cum squamas illas invenerim in specimine canescente C. glomeratae verae, et vice versa squamas oblongo-lanceolatas in specimine glabro et acutifolio quale petit in C. aggregata cl Bertolonius. Corollae quoque ludunt extus sparsim, aut solo apice pilosae, aut omnino glabrae. Hinc plantae istae simili-

mae nec ut varietates habendae, cum levia earumdem discrimina ab altera forma in alteram gradatim transeant.

798. Campanula Trachelium L. sp. pl. ed. II. p. 235. Vis. stirp. dalm. p. 29. Host fl. austr. 2. p. 268. Rchb. fl. exc. p. 303. Alsch. fl. jadr. p. 54. Pett. bot. Wegw. n. 189.

C. foliis hirto-scabris late duplicato-serratis, inferioribus longe petiolatis cordatis, superioribus floralibusque sessilibus oblongis acuminatis, pedunculis axillaribus uni-trifloris laxe racemosis, calycis laciniis lanceolatis erectis corolla triplo brevioribus.

Syn. Campanula urticifolia Schm. fl. boh. p. 73. — Icon. Sow. engl. bot. t. 12. Flor. dan. t. 1026. Roem. fl. eur. fasc. V.

Hab. ad sepes et in umbrosis circa Zara, Verlika, Dugopolje. Floret aestate. Corolla caeruleo-violacea. ♃.

Obs. Variat pedunculis subunifloris, calycis tubo setis albis rigidis hispido, et haec est C. urticifolia Schm. et W., quae in Dalmatia sat frequens.

799. Campanula rapunculoides L. sp. pl. ed. II. p. 234. Host fl. austr. 1. p. 267. Rchb. fl. exc. p. 302.

C. foliis scabriusculis inaequaliter obtuseque serratis, inferioribus longe petiolatis cordato-ovatis, superioribus lanceolatis acuminatis sessilibus, floralibus linearibus, pedunculis axillaribus unifloris laxe racemosis secundis, calycis laciniis lanceolato-linearibus reflexis, corolla quadruplo brevioribus.

Syn. Campanula trachelioides Rchb. fl. exc. p. 303 an Bieb? C. Trachelium Bull. herb. de la Fr. p. 319. C. infundibuliformis Sims. bot. mag. vol. 53. p. 2632. — Icon. Rchb. icon. bot. VI. f. 700. 701. Bull. loc. cit. tab. 319. Sims bot. mag. tab. 2632. Flor. dan. t. 1327.

Hab. in sylvaticis montis Mossor, unde misit prof. Petter. Corolla caeruleo-violacea. Floret ab aestate in autumnum. ♃.

Obs. Campanula crenata Link en. h. berol. 1. p. 214. Rchb. fl. exc. p. 303, et icon. bot. cent. VI. f. 702, differt a nostra pedunculis subtrifloris: C. lunariaefolia Rchb. fl. exc. l. c., et icon. bot. VI. f. 750 recedit caulibus apice paniculato-ramosis. Caeterum ambae valde C. rapunculoidi similes, et probabiliter formae luxuriantes ejusdem, ut cl. Bertolonius autumat in fl. ital. 2. p. 483.

800. Campanula bononiensis L. sp. pl. ed. II. p. 234. Host fl. austr. 1. p. 267. Rchb. fl. exc. p. 303. Pett. bot. Wegw. n. 174. (excl. syn.)

C. foliis scabriusculis subtus canescentibus inaequaliter crenato-serratis, inferioribus longe petiolatis cordato-ovatis, superioribus ovato-acuminatis sessilibus, floralibus linearibus, pedunculis uni-multifloris in racemum simplicem ramosumve digestis, calycis laciniis lanceolato-linearibus in fructu erectis, corolla triplo brevioribus.

Syn. Campanula Thaliana Wallr. sched. crit. p. 86. Rchb. icon. bot. cent. II. p. 5. C. simplex DC. fl. fr. 3. p. 730. C. ruthenica Bieb. fl. taur. cauc. 1. p. 151. Sims bot. mag. 53. p. 2653. C. obliquifolia Ten. fl. nap. 1. p. 69. — Icon. Rchb. icon. bot. II. f. 221 et f. 222. Tenor. l. c. tab. 17. Sims l. c. tab. 2653. Buxb. cent. pl. VI. tab. XIX.

Hab. locis collinis sylvaticis, ad sepes atque dumeta circa Dernis, Clissa, Ragusa, nec non in montibus Vellebith. Flores caeruleo-purpurei. Floret aestate. ♃.

Obs. Ludit pube cana aut concolore in aversa foliorum parte, caulibus apice paniculato-ramosis, aut racemo simplici terminatis, quod jam citatae icones ostendunt. Capsulae maturae parietes infra medium vel medio rima fatiscunt, quod bene refert tabula Tenoreana.

801. Campanula rotundifolia L. sp. pl. ed. II. p. 232. Host fl. austr. I. p. 262. Rchb. fl. exc. p. 299. Pett. bot. Wegw. n. 186.

C. foliis inferioribus cauliumque sterilium ovatis, cordatis aut reniformibus, crenatis

serratisve, petiolatis; superioribus sessilibus linearibus integris serratisque, caulibus gracilibus uni-plurifloris erectis, calycis laciniis subulatis, corolla turbinato-campanulata triplo brevioribus.

Icon. Fl. dan. t. 189, 855 et 1086. J. Bauh. hist. pl. 2. p. 796.

Syn. Campanula caespitosa Scop. fl. carn. 1. p. 143. Rchb. fl. exc. p. 298. — Icon. Scop. loc. cit. tab. 4. Bocc. mus. plant. rar. tab. 103. — Campanula pusilla Haenk. in Jacq. collect. 2. p. 79. Host fl. austr. 1. p. 262. (excl. icon.) Rchb. fl. exc. p. 298. C. pumila Curt. bot. mag. p. 512. C. rotundifolia β. L. sp. pl. l. c. — Icon. Curt. bot. mag. tab. 512. C. Bauh. prodr. p. 34. — Campanula Scheuchzerii Vill. prosp. des pl. du Dauph. p. 22. C. linifolia Lam. enc. bot. 1. p. 579. Host fl. austr. 1. p. 263. Rchb. fl. exc. p. 299. C. rotundifolia γ. L. sp. pl. l. c. — Icon. Vill. hist. des pl. du Dauph. 2. tab. X. Barrel. icon. pl. 487. Magn. botan. monsp. p. 46.

Hab. in rupestribus et sylvaticis montium Vellebith, Prologh, Biokovo, et Orien. Corolla caeruleo-violacea. Floret aestate. ♃.

Obs. Planta herbariorum omnium consensu mirimode ludibunda, nihilo tamen minus ab auctoribus in falsas species incredibili facilitate discerpta. Variat enim foliorum radicalium forma, quae in ipsa C. Scheuchzerii nunc ovata, nunc cordata, longissime vel breviter petiolata: caulinis inferioribus oblongo-lanceolatis, vel lanceolato-linearibus, integris serratisque: supremis late vel anguste linearibus; caule unifloro, vel laxe paucifloro, racemoso, aut multifloro paniculato; laciniis calycis subulatis aut filiformibus, rarius basi quidquam latiusculis, et tunc abbreviatis; corolla breviore ampliata, vel turbinata longiore; stylo exserto aut incluso, qui lusus fere in quavis e supradictis formis in proprias species a quibusdam receptis facile videndi sunt. Adde, transitiones intermedias innumeras ita hasce formas in unicam speciem polymorpham devincere, ut hae nequeant nec qua varietates distingui, differentiae cujusvis fixis limitibus penitus deficientibus. Ex hac unica causa repetendus etiam auctorum omnium, qui hasce stirpes distinguunt, et in characteribus statuendis et in iconum citatione dissensus.

X **802. Campanula Waldsteiniana** Roem. et Sch. syst. veg. 5. p. 99. Rchb. fl. exc. p. 299.

C. caulibus caespitosis flexuosis erectis, apice racemoso-paniculatis plurifloris, foliis oblongis remote serratis sessilibus, inferioribus obtusis brevioribus, reliquis longe acuminatis, calycis tubo hemisphaerico, laciniis subulatis corolla campanulata quadruplo brevioribus.

Syn. Campanula flexuosa Waldst. et Kit. pl. hung. rar. 2. p. 145. non Michx. C. rupestris Host fl. austr. 1. p. 263. non Sibth — Icon. Waldst. et Kit. l. c. tab. 136. Rchb. icon. bot. 1. tab. 85. f. 180.

Hab. in rupium rimis montium Vellebith. Floret aestate. Flores caerulei. ♃.

Obs. Caules pulchellae hujusce plantulae basi sublignosi, apice in pedunculos axillares bracteolatos erectos, ramulos mentientes, vel etiam in ramulos floriferos paniculatim partiti. Capsula foraminibus irregularibus basi lacero-pertusa. Icon Reichenbachiana specimen macrum exhibet, ideoque simplicissimum. Alabastra variant erecta vel nutantia. Planta omnis glabra.

X **803. Campanula garganica** Ten. in Att. acad. di Nap. 3. p. 103. Alph. DC. mon. Camp. p. 299. Bertol. fl. ital. 2. p. 315.

C. caulibus caespitosis procumbentibus, apice racemoso-paniculatis plurifloris, foliis inaequaliter mucronulato-serratis petiolatis, inferioribus reniformibus obtusis, cordatisve acutis, reliquis cordato-ovatis ovatisque, floralibus breviter in petiolum productis, pedunculis filiformibus uni-trifloris, calycis tubo ovato-subrotundo, laciniis lanceolato-linearibus demum patentibus corolla scutellato-patula quinquepartita duplo brevioribus, stylo exserto.

Syn. Campanula muralis Rchb. fl. exc. p. 300, et Alsch. fl. jadr. p. 54, non Portenschl. et excl. syn. (ex loco). Wahlenbergia flaccida Presl. symb. bot. 1. p. 29. —

Icon. Flor. dalm. tab. XIV. TEN. loc. cit. tab. V. (glabra). PRESL. symb. bot. 1. tab. 18. (pl. canescens).

Hab. in rimis rupium secus Canale della Morlacca ad ostium fluvii Zermagna, secus flumen Kerka et prope hujus catarractam Slap dictam, nec non ad muros arcis Dernis, insularumque Arbe, Veglia, Plavnik, Cherso. Flores caerulei, interdum albi. Floret aestate. ♃.

Obs. Variat foliorum dentibus obtusis argutisque, integris dentatisque, pedunculis uni-trifloris, calycis laciniis angustis latioribusque, erecto-patulis, vel serius reflexis, pube omnium partium canescente, vel nulla. Capsula basi lacero-hians. Affinis Campanulae Elatines L., cujus specimina genuina non vidi, et a qua diversam dicunt foliis imis reniformibus, reliquorum dentibus iterum dentatis, et praecipue caulibus procumbentibus pendulis. Dalmatiae solam partem maxime occidentalem inhabitat, in orientali a sequente excipitur.

804. Campanula Portenschlagiana ROEM. et SCH. syst. veg. 5. p. 93. VIS. stirp. dalm. spec. p. 29. et 54. (excl. syn. MORETT.) PETT. bot. Wegw. n. 182. ex part. et excl. syn. alt.

C. caulibus caespitosis adscendentibus diffusisve, apice racemoso-subcorymbosis, foliis omnibus cordato-reniformibus obtusis, aut superioribus cordato-ovatis acutis, inaequaliter mucronulato-serratis, petiolatis, supremis in brevem petiolum protractis, pedunculis tri-plurifloris, calycis tubo subrotundo, laciniis sublinearibus demum patentibus reflexisque, corolla infundibuliformi quinquefida triplo brevioribus, stylo incluso.

Syn. Campanula muralis PORTENSCHL. herb! C. hederaefolia PORTENSCHL. herb! et HOST herb! C. hederacea HOST fl. austr. 1. p. 274. (glabra). C. diffusa RCHB. fl. exc. n. 2029 p. 300 et 857, nec VAHL quoad pl. dalm. C. mollis HOST l. c. p. 272. C. Elatines RCHB. fl. exc. p. 300, exclusis utriusque icon. et syn. (canescens). — Icon. ALPH. DC. mon. Camp. p. 303. tab. 13. f. A.

Hab. in fissuris rupium circa Almissa, et ad muros domorum ejusdem urbis, in rupestribus et muris horti Conventus PP. Franciscanorum prope Macarsca, in monte Biokovo, et in Primorje, nec non ad rupes vallis Smarska insulae Brazza. Flores violaceo-caerulei. Floret aestate. ♃.

Obs. Affinis Campanulae isophyllae MORETT. agg. al prosp. di SCHOUW in Giorn. di fis. Conf. e Brugn. tom. 7. p. 44, seu C. floribundae VIV. fl. lyb. app. p. 67. RCHB. fl. exc. p. 300. et icon. bot. III. f. 344., nec non speciei praecedenti. Discrimina ejusdem a C. isophylla, cum qua olim commiscui, sunt caules debiliores longiores, calycis laciniae lineares nec lanceolatae, corolla triplo nec duplo longiores, hac scutellata breviore nec longe infundibulari, et stylo incluso. A C. garganica, cum qua a plurimis Florae dalmatae scrutatoribus commutata, praecipue differt calycis laciniis linearibus nec lanceolatis, corolla infundibuliformi quinquefida nec scutellata quinquepartita, et stylo incluso. Magis vero recedit a C. hederacea L., quae Wahlenbergiae species; a C. molli L., quae ad praecedentem sectionem pertinet; et a C. diffusa Vahl, quae foliis crassiusculis nec membranaceis, calycis laciniis lanceolato-linearibus corolla scutellata paullo brevioribus, et stylo exserto abunde diversa. Cl. RCHB. nostram habuit pro C. Elatine, hinc huic speciei Linnaeanae tribuit corollas majores alteri proprias. Specimina insulae Cherso, et e rupibus fluvii Zermagna ab egr. BIASOLETTO clarissimis ALPH. DC. et BERTOLONIO missa, ab hisque C. Portenschlagianae, adscripta rectius praecedenti pertinent, quod mihi ex horum et meliorum quoque speciminum a cl. TOMMASINIO missorum autopsia indubie patuit, assentiente etiam cl. KOCH in syn. fl. germ. p. 540. Capsula basi lacera.

805. Campanula Morettiana RCHB. icon. bot. cent. IV. p. 18, et fl. exc. p. 299. ALPH. DC. in syst. nat. prodr. p. 476. BERTOL. fl. ital. 2. p. 461.

C. humilis caulibus filiformibus prostratis unifloris, foliis omnibus petiolatis late serratis obtusis, imis ovalibus, inferioribus cordato-ovatis, reliquis ovatis basi productis, calyce turbinato hispido, laciniis late lanceolatis corolla turbinato-campanulata quinquefida triplo brevioribus.

Syn. Campanula filiformis MORETT. pl. ital. dec. VIII. no. 75, non RUIZ et PAV. C. hispida, an C. Elatines? an C. Alpini PORTENSCHL. herb. teste cl. MOR. — Icon. RCHB. l. c. f. 499. 500.

Hab. ad rupes montis Biokovo. (PORTENSCHL.) Flores caerulei. Floret aestate. ♃.

Obs. Fide cl. MORETTI, qui litteris ad me datis asseruit se olim plantam hanc in herbario dalmatico cl. PORTENSCHLAGI Vindobonae vidisse cum nomine et synonimis et habitatione supracitatis, nec non fide herb. Candolleani, in quo adesse plantae hujus specimen e Dalmatia scripsit cl. Campanularum monographus loco citato, ipsam nostris accenseo. Praestat tamen confiteri specimina a cl. MORETTIO visa, hodie in herbariis PORTENSCHLAGI tum Vindobonae tum Graecii omnino deficere, nec ullum post PORTENSCHLAGIUM Biokovi exploratorem plantam hanc offendisse.

X **806. Campanula pyramidalis** L. sp. pl. ed. II. p. 233. VIS. stirp. dalm. p. 29. HOST fl. austr. 1. p. 265. RCHB. fl. exc. p. 303. ALSCH. fl. jadr. p. 54. PETT. bot. Wegw. n. 184.

C. caule rigido stricto, apice racemoso-pyramidato, foliis petiolatis glanduloso-serratis glaberrimis, radicalibus subcordato-ovatis, reliquis ovalibus lanceolatisque, pedunculis paucifloris, tubo calycis subrotundo laciniis lanceolato-linearibus corolla scutellato-campanulata patula semi-quinquefida duplo brevioribus, stylo subexserto.

Icon. LOBEL. icon. stirp. t. 327. CLUS. hist. pl. p. V. p. 172 ead. SWEET. floril. 2. tab. 16. f. 2. BESL. Hort. eyst. aest. ord. 1. t. 7. f. 1. — Illyr. Prostjenak. Pirdulin. Pirdelj.

Hab. ad muros totius Dalmatiae litoralis et insularis a Cherso ad Cattaro. Flores dilute caerulei. Floret aestate. ♂.

X **807. Campanula ramosissima** SIBTH. et SM. prodr. fl. graec. 1. p. 137, et fl. graec. 3. p. 3. HOST fl. austr. 1. p. 264. RCHB. fl. exc. p. 301.

C. caule suberecto ramoso, foliis crenatis, inferioribus obovato-spathulatis in petiolum attenuatis obtusis, caulinis ovali-lanceolatis lanceolatisque acutis, floribus terminalibus solitariis longe pedunculatis, tubo calycis fructiferi turbinato, crasse decemcostato, strigoso, costis rectis distinctis, laciniis lanceolato-acuminatis subdentatis trinervibus, corollae scutellato-patenti profunde quinquefidae subaequalibus, stigmate incluso tripartito.

Syn. Campanula Lorei POLLIN. elem. di bot. 2. p. 314, et fl. veron. 1. p. 271. BERTOL. fl. ital. 2. p. 513. PETT. bot. Wegw. n. 180. C. baldensis BALB. cat. stirp. h. taur. 1813. p. 20. — Icon. SIBTH. et SM. fl. gr. III. tab. 204. POLLIN. elem. di bot. 2. tab. ult. f. 1. et fl. veron. 1. tab. 2. f. 4. SIMS bot. mag. tab. 2581.

Hab. in herbidis, et saxosis apricis circa Cattaro, nempe prope Risano, Mulla, et in Castello. Flores saturate caerulei. Floret Junio. ⊙.

Obs. Discrimina omnia a cl. ALPH. DC. adducta in mon. Camp. p. 333 inter Campanulam ramosissimam et C. Lorei plurium speciminum comparatione penitus evanescunt. Planta eadem variat modo simplex, modo parce ramosa, ut in iconibus POLLINII et SIMSII, vel magis ramosa, ut in icone SIBTHORPI. Capsula utriusque immatura sphaeroidea, costisque tenuioribus praedita, maturitate eximie turbinata evadit, costae crassiores fiunt, et intervalla earumdem magis depressa. Variat insuper tum spontanea tum culta strigis calycis copiosioribus, vel rarioribus brevioribusque, vel omnino nullis; laciniis ejusdem plus minusve denticulatis, quod jam notavit laudatus auctor. Omnes hos lusus vidi tum in speciminibus dalmatis a me ipso collectis, tum in veronensibus, tum in graecis a cl. FRIEDRICHSTHALIO communicatis. Caulis angulatus hirtellus. Capsulae parietes medium versus foramine subregulari aperiuntur, vel alio loco disrumpuntur irregulariter: ruptura tamen quaecumque serius, et sola capsulae maceratione locum habet, ob parietum crassitiem, et validitatem proximitatemque decem nervorum, quibus parietes ipsi stipantur. Capsula, saltem basi, quinquelocularis. Descriptio et icon Fl. graecae in nostram optime cadunt: flores tantum illius plantae nostris quidquam minores.

** capsulae latera apicem versus pertusa aut lacera.

808. Campanula persicifolia L. sp. pl. ed. I. p. 164. Host fl. austr. I. p. 265. Rchb. fl. exc. p. 301. Alsch. fl. jadr. p. 54. Pett. bot. Wegw. n. 181.

C. caule erecto subsimplici, foliis rigidis remote obtuseque glanduloso-serrulatis, radicalibus lanceolato-oblongis in petiolum attenuatis, caulinis lanceolato-linearibus sessilibus, pedunculis elongatis laxe racemosis, tubo calycis turbinato ruguloso-reticulato, laciniis lanceolatis corolla ampliato-campanulata late quinqueloba dimidio brevioribus, stigmate tripartito incluso.

Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. cent. III. tab. 205. Flor. dan. t. 1087. Bull. herb. de la Fr. tab. 367. Clus. hist. pl. V. p. 171. f. 3.

Hab. in sylvaticis montosis supra Obbrovazzo, circa Ogorje, et in montibus Mossor, Radigne, Prologh, et Krivoscie. Floret a Majo in aestatem. Flores magni caerulei vel albi. ♃.

Obs. Capsula foraminibus magnis, operculo crassiusculo sursum revoluto demum apertis, hians. Variat glabra aut pubescens, calycis tubo glabro, vel pilis strigosis hispido.

809. Campanula Rapunculus L. sp. pl. ed. II. p. 232. Host fl. austr. 1. p. 264. Rchb. fl. exc. p. 301. Alsch. fl. jadr. p. 54.

C. caule erecto subsimplici, foliis inferioribus obovatis oblongisve in petiolum attenuatis crenulatis, caulinis lineari-lanceolatis glanduloso-serrulatis sessilibus, pedunculis paniculato-racemosis, tubo calycis fructiferi turbinato levi, costis apice arcuatim connexis, laciniis triquetro-subulatis, basi subdenticulatis, corolla turbinato-campanulata quinquefida paullo brevioribus, stigmate incluso trifido.

Syn. Campanula rapunculoides Pett. bot. Wegw. n. 185. et p. 144 non L. — Icon. Sow. engl. bot. tab. 283. Flor. dan. t. 855 et 1326. Sabbat. h. rom. 1. tab. 74. Columm. phytob. p. 102. — Illyr. Repicza. Repussaz. Repussak.

Hab. locis siccis, sylvaticis, herbidis totius Dalmatiae a Zara ad Ragusa. Flores dilute ex caeruleo violacei. Floret a vere ad aestatem. ♂.

Usus. Radix herbae junioris et folia usuveniunt inter acetaria vernalia.

Obs. Capsulae nervi quini sub apice coeunt in arcus tres crassiusculos, in quorum sinu parietes ejusdem tenuissimi et semipellucidi foramine breviter operculato maturitate aperiuntur. In iconibus Florae danicae supra citatis, et praesertim in prima, laciniae calycis nimis breves.

Sect. III. Roucela.

Dumort. comm. bot. I. p. 14.

Calycis tubus subturbinatus, sinus exappendiculati. Capsulae latera basi pertusa, apex lacero-fatiscens.

810. Campanula Erinus L. sp. pl. ed. II. p. 240. Host fl. austr. 1. p. 274. Alsch. fl. jadr. p. 54. Pett. bot. Wegw. n. 177.

C. hirta, caule ramoso dichotomo, foliis obtuse serratis, inferioribus obovatis in petiolum attenuatis, superioribus ovalibus oblongisve, floralibus oppositis tri-quinquelobis, floribus alaribus axillaribusque subsessilibus, tubo calycis brevissime turbinato, laciniis triangulari-lanceolatis, demum stellato-patentibus, corollam tubulosam subaequantibus, stigmate incluso trilobo.

Syn. Roucela Erinus Dumort. l. c. (ex A. DC. mon. p. 295.) Roncela Erinus Rchb. fl. exc. p. 296. — Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. tab. 214. Columm. phytob. p. 29. tab. 31. f. 1. Moris. hist. pl. I. sect. 5. tab. 3. f. 25. J. Bauh. hist. pl. 3. p. 367. f. 3.

Hab. in siccis, apricis, ad muros in Dalmatia universa. Flores pallide caerulei. Floret aestate. ☉.

Obs. Capsulae latera basi foraminibus hiant operculo crassiusculo tectis, aut irregulariter la-

cerantur, ut in Eucodonte: apex a calyce late liber et complanatus, ut in Edraianthis A. DC. maturitate fatiscit: hinc sectio haec praecedentis insimul et sequentis dehiscentiam exhibens, utrasque jungit.

Sect. IV. Edraiantha.

ALPH. DC. mon. Camp. p. 129. (potius Edraeantha.)

Calycis tubus turbinatus, sinus exappendiculati. Capsulae apex lacero-fatiscens.

811. Campanula tenuifolia WALDST. et KIT. pl. rar. hung. 2. p. 168. RCHB. fl. exc. p. 801.

C. caule piloso, foliis linearibns integerrimis aut glanduloso-denticulatis inferne pilosis, sursum setoso-ciliatis, floribus capitatis, bracteis ovatis setoso aut lanato-ciliatis, in acumen lineare productis, laciniis calycis fructiferi lanceolato-linearibus tubo dimidio brevioribus erectis, corolla campanulata triplo brevioribus, stigmate bi-trifido incluso.

Syn. Campanula graminifolia BARTL. de litt. ac ins. liburn. Hann. 1820. p. 42. HOST fl. austr. 1. p. 268. et RCHB. fl. exc. p. 301. quoad pl. dalm. et flumin. ALSCH. fl. jadr. p. 55. non L. nec alior. Wahlenbergia tenuifolia ALPH. DC. mon. Camp. p. 133. Edraianthus tenuifolius A. DC. in DC. prodr. VII. p. 449. — Icon. WALDST. et KIT. l. c. tab. 155.

Hab. in saxosis apricis insularum Cherso, Ossero, Pago, Lesina, ad Smilcich prope Zara, in Kninskopolje, ad Sijn, Clissa, Lastva, Pastrovichio, et in demissis montium Dinara, Prologh, Biokovo, Snjesniza, Krivoscie, Sella: habui quoque e Fiume a NOE. Flores caeruleo-violacei. Floret aestate. ♃.

Obs. Variat pubescentia densiore lanata, vel rariore, ciliis foliorum erectis, patulis vel reversis, bracteis capitulum subaequantibus, vel rarius superantibus. Varietatem angustifoliam Campanulae graminifoliae L. ab hac distinguere nequeo, nec discrimina inter utramque ab auctoribus indicata sufficiunt. Datur forma macrior caulibus unifloris.

812. Campanula caudata. VIS.

C. caule glabrato aut superne piloso, foliis anguste lanceolato-linearibus integerrimis aut glanduloso-denticulatis, basi longius densiusque ciliatis, apice remote ciliatis glabrisve, bracteis ovatis setoso-ciliatis in caudam late linearem productis, laciniis calycis fructiferi late ovatis acutis patulis, tubo calycino et corolla tubuloso-campanulata triplo brevioribus, stigmate bifido incluso.

Syn. Campanula dalmatica BERTOL. fl. ital. 2. p. 491 non TAUSCH. Wahlenbergia dalmatica A. DC. mon. Camp. p 134. Edraianthus dalmaticus A. DC. in DC. prodr. VII. p. 449. — Icon. Fl. dalm. tab. XXXIII.

Hab. in apricis montosis circa Salona et Clissa. Flores caeruleo-violacei. Floret aestate. ♃.

Obs. Differt ab antecedente foliis duplo latioribus, caule inter folia glabriusculo, solo apice interdum piloso, bracteis longe caudatis capitulum superantibus, et praecipue forma et brevitate laciniarum calycinarum, quae cum sint late ovatae et tubo calycis triplo et amplius breviores, ab illis praecedentis speciei omnino differunt. Explic. icon. a. Calyx fructifer duplo auct. b. Semen quadruplo auct. c. Sectio transversa capsulae duplo auctae.

813. Campanula serpyllifolia VIS. in bot. zeit. 1829 ergänz. 1. B. p. 7.

C. caulibus glabratis decumbentibus unifloris, foliis lineari-spathulatis oblongisque obtusis retusisve ciliatis, radicalibus subcrenatis in petiolum attenuatis, caulinis sessilibus integris, floribus terminalibus solitariis sessilibus, calycis tubo subhemisphaerico, laciniis bracteisque involucrantibus oblongis obtusis ciliatis tubum subaequantibus, corolla campanulata triplo brevioribus, stigmate trifido incluso.

Syn. Edraianthus serpyllifolius A. DC. in DC. prodr. VII. p. 499. — Icon. Fl. dalm. tab. XV.

Hab. in saxosis herbidis jugi excelsioris Sveti Jure dicti in monte Biokovo. Flores violacei. Floret aestate. ♃.

Descr. Radix ramosa fragilis fibrillosa multicaulis perennis. Caules diffusi decumbentes vel adscendentes atropurpurei graciles, raris setulis sparsi, nitidi, uniflori. Folia oblonga, aut lineari-spathulata, obtusa aut retusa, aut emarginata, utrinque glabra aut margine ciliata: radicalia rosulata, basi longe attenuata subcrenata, caulina sessilia, basi angustata, alterna, rara. Flos terminalis erectus basi bracteatus sessilis. Bracteae ovato-oblongae, 2—4, purpurascentes, ciliatae. Calyx campanulatus atrorubens quinquefidus, tubo fructifero subhemisphaerico limbi lacinias oblongas obtusas ciliatas patentes subaequante. Corolla obscure violacea campanulata, lobis ovatis obtusis. Stamina quina antheris linearibus, filamentis anthera brevioribus, basi late ovata margine pilosa inter se conniventibus, et germen tegentibus. Stylus filiformis, sursum clavatus, apice trifidus. Capsula inaequaliter 3—5-locularis, septis tenuibus, apice libero demum irregulariter lacera. Semina elliptica nitida, colore cervino, margine crassiusculo pallidiore circumdata, hilo basilari obliquo eodem margine cincto.

814. Campanula Pumilio Portenschl. in Roem. et Sch. syst. veg. V. p. 136. Trattinn. en. pl. dalm. p. 13—14. Vis. stirp. dalm. spec. p. 29. et botan. zeit. 1829 ergänz. bl. p. 5. Rchb. fl. exc. p. 301. Pett. bot. Wegw. n. 183.

C. suffruticosa, caulibus brevissimis dense foliosis, foliis linearibus lanceolato-patentibus integris, basi setoso-ciliatis, margine involutis, subtus nitidis glabris, supra niveo-pilosis, apice pilorum fasciculo penicillatis, floribus terminalibus solitariis sessilibus, calycis tubo breviter turbinato, laciniis reflexis tubum subaequantibus bracteisque involucrantibus foliis caulinis conformibus basique ciliatis corolla tubuloso-campanulata duplo brevioribus, stigmate bi-trifido corollam subaequante.

Syn. Wahlenbergia pumilio A. DC. mon. Camp. p. 134. Campanula silenifolia Host fl. austr. I. p. 268 non Fisch. Edraianthus pumilio A. DC. in DC. prodr. VII. p. 449. — Icon. Trattinn. in Arch. für gesch. statist etcc. maj 1824. p. 309. tab. 2. En. pl. dalm. lect. a Fr. Portenschl. Wien 1824. f. 13. tab. 2.

Hab. in summitate aprica saxosa jugi Troglav dicti montis Biokovo. Flores violaceo-caerulei. Floret aestate. ♄.

Obs. Caespites pulvinati hujusce plantulae inter saxa radices agunt, eaque foliis supra albo vittatis floribusque violaceis obvestiunt ac hilarant, fere ut Silene acaulis, Silene pumilio, et Saxifragae quaedam in alpibus editioribus. Folia omnia, et laciniae calycis basi latiora ac apice, ideoque lanceolato-linearia, marginibus sursum involutis nec revolutis, patentia nec recurva, quae omnia in viridi observanda, nam in sicco mutantur. Calycis fructiferi tubus breviter turbinatus, interdum ovoideus. Capsula apice irregulariter rumpens, intus tri-locularis. Semina omnino ut in praecedente. — Genus Edraianthus (Edraeanthus) cl. A. DC. per Campanulam Erinum in Campanulas veras abit. Hujus sectionis species, quae indehiscentes ut reliquae generis, hac nota differunt a Wahlenbergia, quae capsula gaudet apice quinque-valvi dehiscente.

Sect. V. Specularia.

Heist. syst. pl. gen. p. 8.

Calycis tubus oblongo-prismaticus, sinus exappendiculati. Capsulae latera perforata aut lacera.

815. Campanula Speculum L. sp. pl. ed. II. p. 238. Host fl. austr. I. p. 273.

C. caule a basi ramoso, ramis effusis, inferioribus elongatis, foliis subcrenatis ovato-oblongis ovalibusque obtusis, infimis obovatis, corolla calycem subaequante, laciniis

calycis fructiferi oblongo-linearibus linearibusve patulis, capsulam dimidiam aequantibus.

Syn. Prismatocarpus Speculum HERIT. sert. angl. p. 2. RCHB. fl. exc. p. 305 et p. 858. no. 2072. Specularia Speculum A. DC. mon. Camp. p. 346. (excl. syn. VIS.) — Icon. SIBTH. fl. graec. III. tab. 216. CURT. bot. mag. tab. 102. DALECH. hist. pl. 1. p. 400. (macrior).

var. *β.* hirta: robustior, canescens, foliis oblongis, capsulis crassioribus longioribusque. — Syn. Prismatocarpus hirtus TEN. fl. neap. prodr. p. 16 et Flor. napol. p. 76. Campanula hirta R. S. syst. veg. 5. p. 153. — Icon. TEN. fl. nap. tab. XIX.

var. *γ.* cordata: pinguior, foliis superioribus basi dilatata subcordatis, capsulis crassioribus longioribusque. — Syn. Campanula cordata VIS. stirp. dalm. spec. p. 5. BERTOL. fl. ital. 2. p. 522. Prismatocarpus cordatus RCHB. fl. exc. p. 858. n. 2072. b. — Icon. VIS. loc. cit. tab. 2.

Hab. in satis et cultis totius Dalmatiae frequens. Flores violacei vel albi. Floret Majo, Junio. ⊙.

Obs. Apex tubi calycini et basis laciniarum glandulis raris adspersi sunt et in hac et in sequente. Plantae variabilis forma conspicua australis est nostra var. γ., quae foliis basi subcordatis prima fronte distinguitur: sed specimina intermedia varietatem demonstrant. Capsula apicem versus fatiscit. A sequente recedit caule a basi ramoso, et limbi calycini longitudine.

816. Campanula hybrida L. sp. pl. ed. II. p. 239. HOST fl. austr. 1. p. 274. ALSCH. fl. jadr. p. 54.

C. caulibus subsimplicibus strictis, foliis repando-undulatis obtusis ovato-oblongis, inferioribus obovatis, floribus approximatis, corolla calyce duplo breviore, laciniis calycis fructiferi oblongo-lanceolatis erectis capsula triplo brevioribus.

Syn. Prismatocarpus hybridus HERIT. sert. angl. p. 2. RCHB. fl. exc. p. 305. Specularia hybrida A. DC. mon. Camp. p. 349. — Icon. SOW. engl. bot. t. 375. MORIS. hist. pl. oxon. sect. V. tab. 2. f. 22.

Hab. promiscue cum praecedente, sed locis siccioribus. Flores pallide violacei. Floret vere. ⊙.

Obs. Capsula apice interdum constricta, etiam in priore specie, ibique fatiscit.

817. Campanula falcata ROEM. et SCH. syst. veg. 5. p. 154. BERTOL. fl. ital. 2. p. 523.

C. caule subramoso, foliis crenatis ovalibus obtusis, inferioribus spathulatis, superioribus acutis, floribus cauli adpressis axillaribus solitariis, corolla brevissima, laciniis calycis fructiferi lanceolato-linearibus recurvo-falcatis capsula paullo brevioribus.

Syn. Prismatocarpus falcatus TEN. fl. neap. prodr. p. 16. Flor. napol. p. 77. Specularia falcata A. DC. mon. Camp. p. 345. — Icon. TEN. fl. napol. tab. XX. BUXB. pl. min. cogn. cent. IV. tab. XXXVIII.

Hab. ad muros agrestes et in umbrosis circa Traù, in saxosis insulae Lesina, et inter segetes circa Ragusa. Floret Majo. Flores pallide violacei. ⊙.

Obs. Genus Specularia nec corolla rotata, quae aliis quoque Campanulis propria, nec fructu prismatico, qui in Sp. perfoliata obverse conicus et fere turbinatus conspicitur, nec alia nota distinguitur. Valvae verae in eo quoque deficiunt, sed tria puncta tenuiora capsulae versus ejusdem apicem maturitate rumpuntur: in Sp. perfoliata hoc evenit in medio cujusque lateris, et pars rupta sursum revolvitur.

Sect. VI. Adenophora.

FISCH. in act. mosqu. VI. p. 165.

Calycis tubus turbinatus, sinubus exappendiculatis. Styli basis tubulo nectarifero inclusa. Capsulae latera basi pertusa.

818. Campanula Alpini L. sp. pl. ed. II. p. 1669. RCHB. fl. exc. p. 300. excl. var. et syn.

C. foliis crenato-serratis, primoribus cordato-ovatis, subsequis ovato-lanceolatis, caulinis alternis oblongo-lanceolatis acuminatis inaequaliter arguteque serratis, floribus paniculatis nutantibus, calycis laciniis glanduloso-subserratis, corolla turbinato-campanulata acute quinquefida, stylo exserto.

Syn. Campanula rhomboidalis *β.* L. syst. nat. XII. tom. 2. p. 160. C. lilifolia WALDST. et KIT. pl. rar. hung. 3. p. 274. HOST fl. austr. 1. p. 266. non L. C. suaveolens W. en. h. berol. suppl. p. 10. Adenophora suaveolens FISCH. in RCHB. hort. bot. 1. p. 22., et fl. germ. p. 304. A. stylosa RCHB. hort. bot. 1. p. 32. A. communis FISCH. adumbr. gen. Aden. p. 6. — Icon. RCHB. hort. bot. 1. tab. 32 et 45. W. et KIT. l. c. tab. 335. JACQ. hort. Schoenbr. 3. tab. 335. C. B. Prodr. p. 32. fig. 2. ALPIN. de pl. exot. p. 340. —

var. *β.* stylosa: foliis omnibus petiolatis late ovatis subcordatisque, panicula racemosa. — Syn. C. stylosa LAM. enc. bot. ed. Pat. 1. p. 574. Adenophora stylosa FISCH. adumbr. gen. Aden. p. 6. — Icon. GMEL. fl. sibir. III. tab. 27.

Hab. species cum varietate in nemorosis umbrosis Sudrup prope Grab, et montis Plessevicza prope Knin, unde misit Jos. KARGL. Flores pallide caerulei odorati. Floret aestate. ♃.

Obs. Variat foliis angustioribus latioribusque, sessilibus et petiolatis, florum panicula composita et simpliciuscula, calycis laciniis subdentatis et integris, corolla campanulata et infundibuliformi, ut ex citatis iconibus videre est, ideoque nullum constans discrimen exhibet, quo a C. stylosa distingui possit. Folia primitiva prope anthesim emarcescunt, et hac de causa desunt in iconibus ALPINI, BAUHINI, KITAIBELI et GMELINI. Campanula lilifolia L. sp. pl. I. p. 233. ex descriptione distingui nequit a C. Alpini; ex icone vero a GMELINO data in fl. sibir. III. tab. XXVI. tum radice longissima tum floribus spicatis majoribus quidquam differt. — Adenophorae FISCHERI nota unica nec essentiali, forma scilicet disci nectariferi Campanulis omnibus proprii, sed apud illas in tubulum evoluti, ab aliis, quas characteribus caeteris et habitu referunt, jure distingui neqeunt. Character unicus enim non facit genus, ni maximi sit momenti, aut saltem habitus accedat, cujus ope species aliquot charactere illo conjunctae non solum inter se conveniant, sed etiam ab aliis congeneribus prima jam fronte differant. Ni legi huic Linnaeanae botanici arctissime inhaereant genera artificialia scientiam obruent, et brevi tempore tot genera habebimus quot parvae in organis reproductionis differentiae, ideoque, cum eorumdem analysis in dies subtilior fiat, ferme quot species.

Campanulae omnes superius descriptae nullam veram dehiscentiam exhibent, si pro hac intelligamus cum Candolleo valvarum separationem secus suturas et absque laceratione (DC. théor. élem. p. 405). In illis etenim reapse desunt et valvae distinctae et verae suturae, nec qua tales habendi sunt nervi calycis capsulam obvestientis, qui nullo tempore ab ejusdem parietibus sejunguntur. Capsula aperitur vel parietum perforatione plus minus regulari, vel frequentius eorumdem irregulari laceratione, vel demum apicis capsulae, qua a calyce nudus est et tenuior, inaequali ruptura. Hos omnes falsae dehiscentiae modos fatiscentiam voco, quae idem mihi sonat ac capsulae laceratio. In sectione generis prima parietes fructus basi sola a nervis secedunt, et quasi nisum dehiscentiae simulant: in secunda undequaque cohaerent, sed vel in puncto quodam medio paries quisque tenuior fit, ut facilius demum rumpatur, vel ibidem parva ejusdem particula a reliquo pariete secedit, quae interdum etiam sursum revolvitur, et tali pacto in quovis capsulae latere foramen aperitur ad seminum exitum. In sectione quarta capsulae latera utpote validiora numquam rumpuntur, at horum vice apex capsulae a calyce nudus et tenuis irregulariter laceratur. In tertia vero (C. Erinus) insimul adsunt et foramina lateralia sectionis secundae, et ruptura terminalis sectionis quartae, quae duplex fatiscentia ab auctoribus praetervisa in causa fuit cur aliqui, ut LINNAEUS, JUSSIEU, DE CANDOLLE, REICHENBACH, aliique eam terminalem dixerint, reliqui basi-

larem. Haec vero transitum efficit a Campanulis cl. A. DC. ad Edraianthos ejusdem, utraque jungit, et postremi hujus generis necessitatem excludit. Ex hisce patet genera Roucela et Edraianthus ab auctoribus proposita, et solis levissimis ac transitoriis lacerationis capsulae modis innixa, nullo pacto servanda, sed pari jure ac Medium et Eucodon, qua generis copiosi et naturalissimi sectiones habenda.

Ordo XLIV. VACCINIEAE DC.

Théor. élém. p. 216.

Flores hermaphroditi. Calyx tubo cum ovario connato, limbo 4—5—lobo aut integro, supero. Corolla monopetala regularis epigyna 4—5—loba decidua, lobis dentes calycis numero aequantibus alternisque, aestivatione imbricatis. Stamina corollae lobis alterna vel dupla, ante discum epigynum inserta, a corolla libera, antheris bilocularibus supra basim affixis, loculis apice discretis, quorum singulo in tubulum elongatum apice perforatum producto. Pistillum unicum ovario extus calyce, supra disco epigyno obducto, 4—5—loculari, ovulis pluribus, placentis axi centrali affixis, stylo et stigmate capitato simplicibus. Fructus baccatus clausus 4—5—locularis. Semina plura, embryone recto in axi albuminis carnosi, radicula hilum spectante. —

Frutices foliis alternis simplicibus integris dentatisve breviter petiolatis perennantibus planis, pedunculis axillaribus unifloris vel racemosis.

CCLXXXXII. Vaccinium L.

Gen. pl. ed. II. p. 135.

Char. Calyx 4—5—dentatus vel integer. Corolla 4—5—fida, laciniis revolutis. Stamina corollae lobis dupla. Stylus unicus stigmate obtuso. Bacca globosa apice umbilicata. — Class. Octandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

819. Vaccinium Myrtillus L. sp. pl. ed. II. p. 498. Host fl. austr. I. p. 471. Rchb. fl. exc. p. 203.

V. ramis subalato-angulatis, foliis deciduis ovatis serrulatis, pedunculis axillaribus solitariis unifloris nutantibus, corolla urceolata, antheris biaristatis.

Icon. Sow. engl. Bot. t. 498. Gaertn. de fr. et sem. I. tab. 28. Fl. dan. t. 974. Dalech. hist. pl. p. 192. Cam. epit. pl. p. 135.

Hab. in sylvaticis montium Vellebith ad Vella Pakleniza, ubi legit Jos. Kargl. Flores viriduli colore carneo suffusi. Baccae caeruleo-nigrae edules adstringentes. Floret a Majo ad aestatem. ♄.

820. Vaccinium Vitis idaea L. sp. pl. ed. II. p. 500. Host fl. austr. I. p. 472. Rchb. fl. exc. p. 204.

V. ramis teretibus, foliis sempervirentibus obovatis obtusis retusisve, margine obsolete crenulatis revolutis, subtus punctatis, racemis terminalibus nutantibus, corolla campanulata, antheris muticis.

Icon. Sow. engl. Bot. t. 598. Flor. dan. tab. 40. Camer. epit. pl. p. 136.

Hab. in sylvaticis devexitatibus montium Vellebith inter Pakleniza et Sveto Berdo, ubi legit Jos. Kargl. Flores albi aut rubelli, baccae rubrae acidae amarae. Floret a Majo ad aestatem. ♄.

Ordo XLV. ERICEAE R. Br.

Prodr. fl. nov. Holl. p. 557.

Flores hermaphroditi. Calyx inferus liber, limbo 4—5—fido. Corolla insertione varia, monopetala, 4—5—fida vel profundissime partita, lobis aestivatione imbricatis cum calycis partitionibus alternantibus. Stamina a corolla libera, ejus lobis alterna aut dupla, ante ipsam disco hypogyno inserta, antherarum loculis binis, poris aut rimis dehiscentibus. Pistillum ovario disco hypogyno imposito, multiloculari, loculis uni-multi-ovulatis, stylo et stigmate unico. Fructus capsularis aut baccatus, placentis axi centrali affixis. Semina plura, embryone recto in axi albuminis carnosi, radicula hilum spectante.

Frutices vel suffrutices, foliis exstipulatis, alternis verticillatisve, articulatis, integris, sempervirentibus, pedicellis saepissime bracteatis.

Tribus I. ARBUTEAE DC.

Prodr. syst. nat. VII. p. 580.

Fructus baccatus, corolla monopetala decidua.

CCLXXXIII. Arbutus Tourn.

Instit. rei herb. p. 598. tab. 368.

Char. Calyx quinque fidus. Corolla urceolata quinquedentata, dentibus recurvis. Stamina decem, antheris apice biporosis, dorso bicornibus vel biaristatis. Bacca quinquelocularis, loculis 4—5—spermis. — Class. Decandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

821. Arbutus Unedo L. sp. pl. ed. II. p. 566. Vis. stirp. dalm. p. 26. Host fl. austr. 1. p. 495. Rchb. fl. exc. p. 416. Alsch. fl. jadr. p. 96. Pett. bot. Wegw. n. 92.

A. arborescens, erecta, foliis oblongis obovatisve serratis glabris, racemis paniculatis pendulis, pedicellis glabris, baccis muricato-verrucosis.

Icon. Lam. enc. bot. pl. 366. f. 1. Sow. engl. bot. t. 2377. Mill. fig. of pl. t. 48. f. 1. 2. Barrel. icon. pl. 673. Matth. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 291. — Illyr. Planika. fruct. Maghinja.

Hab. copiosissime in tota Dalmatia litorali et insulari, locis saxosis apricis. Corolla alba aut cerea, apice interdum viridula. Baccae maturae amoene coccineae. Floret a Novembri ad Februarium, fructibus anni praecedentis adhuc onusta. ♄.

Obs. Variat foliis obovatis, oblongis, oblongo-lanceolatis, lanceolatisque, utrinque acutis aut acuminatis vel obtusis, obtuse aut acute serratis, pedunculis interdum pubescentibus, pedicellis tamen glabris.

Usus. Arbusculae hujus pulcherrimae folia et cortex inter coriaria usuveniunt; lignum torno aptum; baccae edules, at fatuae, alcoholis copiam destillationis ope suppeditant.

CCLXXXIV. Arctostaphylos Adans.

Famill. des pl. 2. p. 165.

Char. Calyx quinquefidus. Corolla urceolata quinquedentata, dentibus recurvis. Stamina decem antheris apice biporosis, dorso biaristatis. Drupa nucleo quinqueloculari, loculis monospermis. — Class. Decandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

822. Arctostaphylos Uva ursi Spr. syst. veg. 2. p. 287. Rchb. fl. exc. p. 416.

A. prostrata, foliis coriaceis obovatis nitidis integerrimis glabris, junioribus margine pubescentibus, impresse venosis, racemis terminalibus brevissime bracteolatis.

Syn. Arbutus Uva ursi L. sp. pl. ed. II. p. 566. Vis. stirp. dalm. p. 26. Host fl. austr. 1. p. 495. — Icon. Sow. engl. bot. t. 714. Flor. dan. tab. 33. Svensk bot. 2. tab. 85. L. fl. lapp. tab. 6. f. 3. Clus. hist. 1. p. 63. f. inf.

Hab. in saxosis apricis montium Vellebith et Biokovo. Floret a Majo in aestatem. Flores carnei, baccae coccineae acidissimae. ♄.

Usus. Folia olim ad calculum valde laudata, nunc desueta, operi coriario inserviunt.

Obs. Planta Vaccinio Viti ideae perquam similis, et saepius in officinis commixta distinguitur facile foliis integerrimis, non subtus punctatis, nec margine revolutis.

Trib. II. ERICINEAE.

Fructus siccus capsularis, corolla monopetala marcescens.

CCLXXXXV. Calluna Salisb.

Trans. Linn. Soc. lond. vol. 6. p. 317.

Char. Calyx tetraphyllus bracteolatus coloratus scariosus. Corolla campanulata 4—fida calyce brevior. Stamino octo antheris sub apice rima dehiscentibus basi biaristatis. Pistillum stylo recto, stigmate capitato quadrilobo. Capsula quadrilocularis septicide quadrivalvis, septis a valvis liberis, columellae adnatis, suturis oppositis. — Class. Octandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

823. Calluna vulgaris Salisb. l. c. Rchb. fl. exc. p. 412.

Syn. Erica vulgaris L. sp. pl. ed. II. p. 501. Host fl. austr. 1. p. 474. Alsch. fl. jadr. p. 89. Pett. bot. Wegw. n. 365. Calluna Erica DC. fl. fr. 3. p. 680. — Icon. Sow. engl. bot. t. 1013. Flor. dan. t. 677. Svensk. bot. 1. tab. 53. Bull. herb. de la Fr. tab. 301. Lam. enc. bot. pl. 287. f. 1. — Illyr. Vristiza. Beresk.

Fruticulus ramosus sempervirens, foliis oppositis quadrifariam imbricatis cruciatis sagittatis sessilibus, racemis terminalibus multifloris foliatis secundis, apice sae piu comosis, bracteis senis per paria decussatis florem scariosum nitidum involucr anti bus, calyculum simulantibus, capsula depressa pilosa.

Hab. in pascuis circa Nona, et ad pedem Vellebith in Pakleniza. Flores lilacini. Floret autumno. ♄.

CCLXXXXVI. Erica L.

Gen. pl. ed. II. p. 133.

Char. Calyx tetraphyllus, aut quadripartitus. Corolla quadrifida aut quadridentata calyce longior. Stamina octo, antheris sub apice foramine dehiscentibus, basi biaristatis aut muticis. Pistillum stylo filiformi, stigmate obtuso aut capitato, saepius quadrilobo. Capsula quadrilocularis loculicide quadrivalvis, septis demum fissis, et partim valvis, partim columellae adhaerentibus. — Class. Octandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

824. Erica carnea L. sp. pl. ed. II. p. 504. Host fl. austr. 1. p. 473. Rchb. fl. exc. p. 412.

E. caule decumbente, ramis angulatis effusis, foliis subquaternis linearibus margine et apice acutis, subtus carinatis, patentibus, floribus racemosis secundis, sepalis

lanceolatis acutis corolla cylindrico-campanulata dimidio brevioribus, antheris exsertis apice bifidis, basi muticis, stylo exserto, stigmate truncato simplici.

Syn. Erica herbacea L. sp. pl. ed. II. p. 501. ALSCH. fl. jadr. p. 89. E. purpurascens L. l. c. p. 503. — Icon. TH. F. NEES gen. pl. fasc. XVI. no. 6. JACQ. fl. austr. 1. tab. 32. CURT. bot. mag. t. 11. L. amoen. acad. 8. tab. 1. f. 57. CLUS. hist. pl. 1. p. 43, fig. inf. et p. 44. — Illyr. Vristiza. Beresk.

Hab. in sylvaticis Vellebith ad Pakleniza, nec non in montosis supra Dernis, et ad sepes agri Sibenicensis. Alabastra herbacea viridia in planta autumnali, quae sistit Ericam herbaceam L.: corollae autem carneae. Floret vere. ♄.

825. Erica mediterranea L. mant. pl. alt. p. 229. RCHB. fl. exc. p. 413. (excl. pl. PETT.)

E. caule ramisque angulatis erectis, foliis quaternis linearibus margine et apice obtusis, subtus sulco glauco exaratis, patentibus, floribus longe racemosis secundis, sepalis lanceolatis imo apice obtusis, corolla ovata dimidio brevioribus, antheris exsertis, apice bifidis, basi muticis, stylo exserto, stigmate truncato bifido.

Syn. E. carnea β. occidentalis BENTH. in DC. prodr. syst. nat. VII. p. 614. — Icon. CURT. bot. mag. tab. 471! CLUS. hist. pl. 1. p. 42. f. int.

Hab. ad sepes et in sterilibus Dalmatiae praesertim montanae. Floret vere. Flores carnei. ♄.

Obs. Species quidem praecedenti simillima, at characteribus hic propositis facile distinguenda. Racemi etiam multo longiores in hac, alabastra laxiora et colore carneo suffusa.

826. Erica verticillata FORSK. descr. pl. fl. aeg. arab. cent. VIII. p. 210.

E. caule erecto, ramulis albidis divergentibus, foliis ternis linearibus obtusiusculis strictis, utrinque convexis, subtus unisulcis, floribus racemosis sparsis, sepalis ovatis corolla campanulata triplo brevioribus, antherarum loculis ad basim usque sejunctis exsertis muticis, stylo exserto, stigmate crassiusculo.

Syn. Erica vagans BENTH. in DC. prodr. syst. nat. VII. p. 667. (ex parte) KOCH syn. fl. germ. ed. II. p. 548! non L. E. manipuliflora SALISB. in trans. linn. 6. p. 344. SIBTH. fl. graec. prodr. 1 p. 257. E. vaga SIBTH. et SM. fl. graec. 4. p. 46. E. mediterranea VIS. stirp. dalm. spec. p. 34. RCHB. fl. exc. p. 413. (quoad pl. dalm.) ALSCH. fl. jadr. p. 89. PETT. bot. Wegw. n. 364. E. anthura LINK! berl. bot. zeit. III. 1845. p. 87. — Icon. SIBTH. et SM. fl. gr. IV. tab. 352. — Illyr. Vris mali.

Hab. inter frutices et ad sepes circa Salona, Spalato et Ragusa, et in insulis Cherso, Ossero, Lesina, Lissa. Floret a Februario ad Aprilem, et a Septembre ad Novembrem. Flores carnei. ♄.

Obs. Planta a pluribus cum E. vagante L. et SM. engl. bot. t. 3. confusa, quae recedit foliis longioribus, quaternis, patulis, ramulis fuscis aut virentibus nec incanis, antherae loculis ovatis nec obtusis; et patria occidentali. E. multiflora huic etiam affinis, differt corollis ovato-oblongis majoribus, antheris bifidis nec bipartitis, foliis latioribus patulis. Magis autem distat ab E. mediterranea praecedente. Stirps haec ludit floribus majoribus minoribusque, in racemum nunc abbreviatum semipollicarem, nunc bipollicarem, laxum vel densum digestis, filamentis nunc corollam aequantibus, nunc ipsa longioribus. Pedicelli terminales erecti, caeteri nutantes. E. anthura LK. juxta authentica specimina, et ex loco natali, est forma plantae corollis minoribus longe racemosis ornatae, et promiscue crescit cum specie.

827. Erica multiflora L. sp. pl. ed. II. p. 503. RCHB. fl. exc. p. 412.

E. caule ramisque erectis, foliis quaternis quinisve linearibus obtusis patulis levibus, supra carinatis, subtus unisulcis, floribus racemosis sparsis, sepalis ovato-lanceolatis corolla cylindrica duplo brevioribus, antheris exsertis apice bifidis, stylo exserto, stigmate crassiusculo.

Syn. E. vagans DC. fl. fr. 6. p. 438 non L. E. peduncularis PRESL. del. prag. p. 89

non SALISB. E. multiflora β. longe pedunculata W. sp. pl. 2. p. 411. — Icon. GARID. pl. d'Aix tab. 32. (male quoad fl.) J. B. hist. pl. 1. iib. X. p. 356. MATTH. disc. in DIOSC. ed. VALGR. 1568. p. 170. — Illyr. Vris veliki.

Hab. inter frutices insulae Lesina et Lissa, et ad sepes secus viam inter Spalato et Castel Badessa. Floret vere et autumno. Flores rosei. ♄.

Obs. Ramuli nunc albo-lineati, nunc unicolores fusci.

828. Erica arborea L. sp. pl. ed. II. p. 502. HOST fl. austr. 1. p. 475. RCHB. fl. excurs. p. 413. ALSCH. fl. jadr. p. 89. PETT. bot. Wegw. n. 263.

E. caule erecto, ramulis cano-lanuginosis, foliis ternis quaternisque acicularibus patulis, supra planiusculis, subtus unisulcis, floribus racemosis sparsis, sepalis ovatis corolla campanulata triplo brevioribus, antheris inclusis apice bifidis basi appendiculatis, stylo exserto, stigmate peltato.

Syn. Erica scoparia WULF. in ROEM. arch. 3. p. 359. HOST fl. austr. 1. p. 475. (ex loco) RCHB. fl. exc. p. 412. (quoad pl. dalm.) — Icon. SIBTH. et SM. fl. graec. 4. tab. 351. CLUS. hist. pl. lib. I. p. 41. — Illyr. Vris.

Hab. in locis asperis totius Dalmatiae valde frequens. Floret vere. Flores albi. ♄.

Obs. Erica scoparia L. a b. PORTENSCHLAGIO indicata in insulis Brazza et Lesina, ibidem et in ejusdem Hostiique herbariis desideratur. Ramorum glabritie ab E. arborea levi negotio discriminatur.

Trib. III. RHODOREAE *D. Don.*

in Edinb. phil. journ. 17. p. 152.

Fructus siccus capsularis, corolla monopetala decidua.

CCLXXXXVII. Azalea L.

Gen. pl. ed. II. p. 54.

Char. Calyx aequaliter quinquepartitus. Corolla regularis quinquefida. Stamina quinque, antheris longitudinaliter dehiscentibus. Pistillum stylo brevi, stigmate annulato depresso. Capsula bi-trilocularis apice septicide bi-trivalvis, valvis bifidis. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

829. Azalea procumbens L. sp. pl. ed. II. p. 215. HOST fl. austr. 1. p. 258. RCHB. fl. exc. p. 417.

Syn. Loiseleuria procumbens DESV. journ. bot. 3. p. 35. Chamaeledon procumbens LK. en. h. berol. 1. p. 211. — Icon. L. fl. lapp. tab. 6. f. 2. OED. fl. dan. t. 9. PALL. fl. ross. t. 70. f. 2. Sow. engl. bot. t. 865.

Fruticulus caulibus procumbentibus ramosissimis, foliis oppositis oblongo-ellipticis integris petiolatis, margine revolutis, persistentibus, glabris, pedunculis terminalibus solitariis vel aggregatis, unifloris.

Hab. in rupestribus elatioribus alpium Vellebith in Monte Santo, unde misit doct. D. Papafava. Flores rosei. Floret aestate.

Trib. IV. PYROLACEAE.

Fructus siccus capsularis seminibus arillo tubuloso inclusis, corolla pentapetala.

CCLXXXVIII. Pyrola Tourn.

Instit. rei herb. p. 256. tab. 132.

Char. Calyx quinquepartitus. Corolla pentapetala. Stamina decem filamentis complanatis, antheris poris duobus basi dehiscentibus. Pistillum stylo tereti, stigmate capitato quinquetuberculato quinqueradiato. Capsula globoso-pentagona quinquelocularis, a basi loculicide dehiscens, valvis basi et apice columellae adnexis. — Class. Decandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

830. Pyrola minor L. sp. pl. ed. II. p. 567. Host fl. austr. 1. p. 497. Rchb. fl. exc. p. 414.

P. foliis elliptico-rotundatis, racemo subspicato, staminibus aequaliter conniventibus, stylo recto perpendiculari incluso, stigmate quinquelobo.

Syn. Pyrola rotundifolia Vis. stirp. dalm. spec. p. 44. nec L. — Icon. Sow. engl. bot. t. 154. Gmel. fl. sibir. 4. tab. 56. f. 1. Rivin. monop. reg. t. 136. f. 1. — Illyr. Kruskiza.

Hab. in vallibus nemorosis montis Biokovo, ubi decerpsi fructiferam Julio. Flores albi, tenui rubore suffusi. ♃.

Obs. Genus hoc rectius in cohorte Polypetalarum locandum esset, ni summa ejusdem cum reliquis Ericeis affinitas hunc ipsi locum necessario statueret.

Ordo XLVI. STYRACEAE L. Cl. Rich.

Anal. du fr. p. 48.

Flores hermaphroditi. Calyx ovario adnatus, limbo quinquefido aut subintegro. Corolla perigyna monopetala profundissime 5—7—partita, lobis cum illis calycis alternantibus. Stamina corollae basi inserta, 7—10, ejusdem lobis alterna aut dupla, disco hypogyno nullo, antheris adnatis bilocularibus longitudinaliter dehiscentibus. Pistillum ovario basi adhaerente, septis ad axim incompletis triloculare, ovulis paucis angulo centrali affixis, stylo simplici, stigmate capitato lobato, lobis loculorum numero aequalibus. Fructus calyci basi adnatus unilocularis monodispermus, saepissime valvis tribus a basi dehiscens. Semen hilo rotundo infero, embryone recto in axe albuminis carnosi, radicula hilo proxima.

Frutex pilis stellulatis canescens, foliis alternis subintegris subtus reticulato-nervosis breviter petiolatis, floribus breviter racemosis albis.

CCLXXXIX. Styrax Tourn.

Instit. rei herb. p. 598. tab. 369.

Char. Calyx cupuliformis repando-quinquedentatus. Corolla infundibuliformis tubo brevi, limbo 5—7—partito, laciniis lanceolatis. Stamina 6—16. Pistillum ovario subrotundo, stylo filiformi, stigmate simplici. Drupa coriacea globosa canescens monodisperma. — Class. Decandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

831. Styrax officinalis L. sp. pl. ed. II. p. 635. Vis. stirp. dalm. spec. p. 48. Host fl. austr. 1. p. 498. Rchb. fl. exc. p. 433. Pett. bot. Wegw. n. 918.

S. foliis subrotundo-ovalibus integris, subtus tomentoso-canescentibus, racemis terminalibus paucifloris simplicibus, pedicellis pedunculo abbreviato longioribus calycibusque incanis.

Icon. Sibth. fl. graec. 4. tab. 375. Cav. dissert. tab. 188. f. 2. Gaertn. de fr.

et sem. 1. tab. 59. DUHAM. trait. des arbr. 2. tab. 79. mutuata a MATTH. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 100. — Illyr. Divicza.

Hab. ad vinearum muros et saxorum acervos circa San Giovanni, S. Pietro et Neresi in insula Brazza, nec non in insula Arbe. Floret vere. Flores albi suaveolentes. ♄

Usus. Resina hujus arboris, balsamum Storax dicta, virtute nervina, anodyna, expectorante pollet, hinc pilularum forma exhibetur in morbis pectoris, et praecipue in asthmate pituitoso et nervoso, et in tussi: locum habet etiam externe adhibita in cura ulcerum, nec non qua suffimen.

Obs. Styrax arbor ex Plinio foeminini generis, nec neutri ut Linnaeus habet: balsamum vero masculini.

Ordo XLVII. EBENACEAE L. Cl. Rich.

ex A. RICH. nouv. élém. bot. edit. X. p. 241.

Flores polygami. Calyx liber, limbo 3—4—6—lobo. Corolla hypogyna monopetala tri-sexloba, lobis aestivatione imbricatis. Stamina imae corollae inserta inclusa, ejusdem laciniis dupla vel quadrupla, vel si aequalia alterna, filamentis brevissimis, antheris basifixis bilocularibus longitudinaliter dehiscentibus. Discus hypogynus nullus. Pistillum ovario libero tri-pluriloculari, ovulis 1—2 ex apice anguli centralis pendulis, stylo diviso, rarius simplici, stigmatibus bifidis vel simplicibus. Bacca subglobosa succulenta vel sicca, oligosperma, seminibus compressis inversis, embryone axili, radicula hilo proxima, supera.

Arbores vel frutices haud lactescentes, ligno durissimo, foliis alternis integris exstipulatis, floribus cymosis vel abortu solitariis.

CCC. Diospyros L.

Gen. pl. ed. II. p. 136.

Char. Calyx 4—6—lobus in fructu auctus. Corolla urceolata 4—6—loba. In mare, stamina 8—16, filamentis duplicatis, antheris lineari-lanceolatis, ovarium abortivum: in foemina, stamina sterilia, pauca, ovarium 8—12—loculare, ovulis solitariis, stylus bi-quadrifidus. Bacca pulposa 8—12—locularis calyce patente suffulta, loculis monospermis. — Class. Polygamia. Ord. Dioecia Syst. sex. —

M **832. Diospyros Lotus** L. sp. pl. ed. IV. p. 1510. HOST fl. austr. 2. p. 668. RCHB. fl. exc. p. 433.

D. foliis oblongis acuminatis, superne glabriusculis, subtus pubescentibus discoloribus, floribus axillaribus brevissime pedicellatis, calycis quadrifidi basi intus extusque villosa.

Icon. PALL. fl. ross. cent. 1. tab. 58. MILL. ic. tab. 116. LAM. enc. bot. pl. 858. f. 1. MATTH. disc. in DIOSC. ed. Valgr. 1568. p. 278. — Illyr. Dragun.

Hab. in sylvaticis ad pedem montis Biokovo. Floret aestate. Flores rubro-viriduli. Bacca nigricans edulis. ♃.

Ordo XLVIII. SAMOLINEAE Rafin.

in BARTL. ord. nat. p. 165.

Flores hermaphroditi. Calyx basi adhaerens persistens quinquefidus. Corolla perigyna quinqueloba squamis quinis fauce coronata, limbi laciniis lobis calycinis alternis,

Stamina quinque tubo corollae inserta ejusque lobis opposita, antheris basifixis longitudinaliter dehiscentibus. Pistillum ovario basi calyci adnato uniloculari, placenta centrali globosa, ovulis amphitropis, stylo unico persistente, stigmate capitato. Capsula semisupera dentibus quinque dehiscens, seminibus in foveolis placentae sessilibus, hilo basilari, embryone transverso in axe albuminis carnosi, hilo parallelo.

Herbae foliis integris, radicalibus petiolatis, caulinis alternis sessilibus aut breviter petiolatis floribus racemosis.

CCCI. Samolus Tourn.

Inst. rei herb. p. 146. tab. 60.

Char. Idem ac Ordinis.

833. Samolus Valerandi L. sp. pl. ed. II. p. 243. Host fl. austr. 1. p. 297. Rchb. flor. exc. p. 411. Alsch. fl. jadr. p. 53. Pett. bot. Wegw. n. 815.

S. caule subsimplici erecto, foliis omnibus obovato-spathulatis obtusis, pedicellis supra medium bracteolatis, calycis laciniis ovatis.

Icon. Th. F. Nees gen. pl. fasc. XII. No. 18. Sow. engl. bot. t. 703. Oed. fl. dan. t. 198. Lam. enc. bot. pl. 101.

Hab. in aquosis palustribus circa Zara, Sebenico, Traù, Spalato, Salona, Almissa, Narenta, Ragusa et Cattaro, et in insulis Lesina et Pago. Floret aestate. Flores albi. ♃.

Ordo XLIX. PRIMULACEAE Venten.

Tabl. du regn. veg. 2. p. 285.

Flores hermaphroditi. Calyx liber persistens quinquefidus aut quinquepartitus. Corolla hypogyna quinqueloba, fauce nuda, aut squamulis vel glandulis coronata, limbi laciniis lobis calycinis alternis. Stamina quina corollae inserta ejusque lobis opposita, antheris basi vel supra dorsi basim affixis, longitudinaliter dehiscentibus. Pistillum ovario uniloculari, placenta centrali globosa, ovulis amphitropis, stylo unico persistente, stigmate simplici vel incrassato. Capsula supera ab apice valvis quinque vel transverse et circumscisse dehiscens, seminibus in placentae foveolis sessilibus, dorso rugosis granulatisve, hilo basilari, embryone transverso in axe albuminis carnosi, hilo parallelo.

Herbae perennes, foliis vel radicalibus rosulatis et acaules, vel oppositis et tunc caulescentes, floribus in pedunculo solitariis vel in scapo umbellatis.

Clavis analytica generum.

Capsula longitudinaliter dehiscente.	vid. Nr. 1	Capsula transverse dehiscente. Anagallis.
1. Corollae limbo erecto aut patente.	- - 2	Corollae limbo refracto. Cyclamen.
2. Corollae basi tubulosa	- - 3	Corolla subrotata. Lysimachia.
3. Corollae tubo ovato apice contracto. Androsace.		Corollae tubo cylindrico apice inflato. Primula.

CCCII. Cyclamen L.

Gen. pl. ed. II. p. 68.

Char. Calyx quinquefidus. Corolla tubo urceolato, fauce hiante nuda, limbi quinquepartiti laciniis sub anthesi refractis contortis. Stamina basi corollae inserta, filamentis brevissimis, antheris cordato-pyramidatis acutis basifixis. Stigma simplex. Capsula ab apice ad basim sensim valvis quinque dehiscens, seminibus pluribus angulatis. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

834. Cyclamen hederaefolium Ait. h. Kew. ed. I. vol. 1. p. 196. Rchb. fl. exc. p. 407. Pett. bot. Wegw. n. 315.

C. foliis sinu acuto cordato-ovatis angulatis, obtuse et crebre denticulatis, angulis denticulisque muticis, corollae fauce plicis ad laciniarum basim prominulis decemdentata, stylo subincluso.

Syn. C. europaeum Sm. engl. bot. p. 548. non L. et excl. syn. C. neapolitanum Ten. fl. napol. 3. p. 197. Vis. stirp. dalm. p. 33. — Icon. Th. F. Nees gen. pl. fasc. XII. Nr. 7. Ten. fl. napol. tab. 118. Sow. engl. bot. t. 548. Clus. hist. pl. II. p. 265. f. inter. ead. ac Lobel. icon. stirp. p. 605. f. ext. Gerard the herb. p. 843. Nr. 2. — Illyr. Klobuçaz. Skrisalina. Mihoilicza. —

Hab. in sylvaticis ad Verpolje, Boraja, Spalato. Floret a Septembri ad Novembrem. Flores persicini inodori. ♃.

Obs. Folia variant sinu baseos aperto et clauso, petiolis glanduloso-scabris et levibus. Tuber magnum. — Quod hoc sit verum C. hederaefolium Ait. nec sequens species, secus ac alii perhibent, ex eo probatur quod Aitonus l. c. tribuerit plantae suae folia denticulata, quae illi propria alteri desunt; quod synonimon C. europaei Mill. addiderit, quod ex ipso Millero est idem ac C. hederae folio C. B.; quod insuper se plantam cultam vidisse scripserit apud Joh. Gerard, qui in The Herball. p. 843. nr. 2. sub C. folio hederae plantam nostram exhibuit. Qua de causa C. hederaefolium Ait. et W. est C. folio hederae Lobelii, qui primus hoc nomen adhibuit, et cujus iconem mutuati sunt Clusius, Gerardus, Parkinsonius, C. Bauhinus, aliique inter veteres; dum C. hederaefolium Tenorii, Curtisii, Hostii et recentiorum plurium sequenti pertinet. Folia, ut plurimum, post flores erumpunt, sed non raro coaetanea observavi, ut in iconibus antiquorum saepe exhibentur.

835. Cyclamen vernum Rchb. fl. exc. p. 407.

C. foliis sinu rotundato cordato-ovatis angulatis repandisve subdentatisque, angulis dentibusque mucronulatis, corollae fauce edentula, stylo longe exserto.

Syn. Cyclamen repandum Sibth. et Sm. fl. graec. prodr. 1. p. 128. Rchb. fl. exc. p. 407. C. hederaefolium Ten. fl. napol. 3. p. 196. Curt. bot. mag. p. 1001. Host fl. austr. 1. p. 254. excl. syn. Alsch. fl. jadr. p. 49. non Ait. C. europaeum Vis. stirp. dalm. p. 32. nec L. — Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. cent. II. tab. 186. Curt. bot. mag. tab. 1001. Clus. hist. pl. II. p. 265. f. ext. ead. ac Lobel. ic. stirp. p. 605. f. ext. Gerard. the herb. p. 843. Nr. 3. et 844. Nr. 4. — Illyr. Klobuçac mali.

Hab. in umbrosis, ad sepes circa Zara, Traù, Castelli, Almissa, Ragusa, et in insulis Veglia, Cherso, Lesina. Floret jam a mense Martio usque ad Majum. Corolla rosea aut purpurea, fauce violaceo-rubella saturatiore, odorata. ♃.

Obs. Cyclamen vernum Rchb. nulla alia nota a C. repando Sibth. distinguitur nisi foliis grandius dentatis; sed habeo specimina intermedia transitum alterius in alterum ostendentia. Quoad nomen specificum, Lobelianum a cl. Rchb. restitutum retineo, minus vetustatis causa, cum nomina omnia ante Linnaeum casu data, mea sententia, debita auctoritate careant, et pro specificis haberi nequeant, quam quia C. repandi nomen, quod revera Reichenbachiano anterius, plantae foliis alte dentatis interdum ludenti plane repugnat. Cfr. de hac re cl. Bertol. Osserv. sopra alcun. Cyclam. in Nuovi Ann. di Bol. VIII. Huc ex anthesis tempore referendum etiam C. hede-

raefolium HOST et ALSCH. Icon Fl. graecae, et altera GERARDI p. 844. exhibent formam plantae repandam, in Dalmatia magis obviam; reliquae plantam foliis altius dentatis, quarum tamen Lobeliana et Clusiana minus recte pingunt formam et magnitudinem tuberis, quod in genere minimum, seu vix nuce avellana majus.

CCCIII. Primula L.

Gen. pl. ed. II. p. 51.

Char. Calyx quinquefidus. Corolla tubo cylindrico, fauce ampliata, limbo quinquefido, laciniis obcordatis. Stamina tubo corollae inserta, filamentis brevissimis. Stigma capitatum. Capsula solo apice quinquevalvis. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

836. Primula acaulis JACQ. miscell. austr. 1. p. 158. HOST fl. austr. 1. p. 247. RCHB. fl. exc. p. 402. PETT. bot. Wegw. n. 755.

P. foliis obovato-oblongis dentatis in petiolum sensim attenuatis, scapis unifloris longe villosis, dentibus calycis 5—costati tubulosi lanceolato-acuminatis, corollae limbo rotato plano.

Syn. P. grandiflora LAM. fl. fr. 2. p. 248. P. brevistyla DC. fl. fr. 5. p. 383. P. vulgaris HUDS. fl. angl. p. 83., et SOW. engl. bot. 1. p. 270. P. veris γ. acaulis L. sp. pl. ed. II. p. 205. — Icon. SOW. engl. bot. tab. 4. OED. fl. dan. t. 194. CLUS. hist. pl. III. p. 302. f. sup. COLUMN. phytob. p. 21. f. int.

Hab. in collibus sylvaticis Verlika, Sign, Prugovo, Perzagno, Stolivo, in monte Sniesniza, et in insulis Veglia et Cherso. Floret Februario, Martio. Flores sulphurei, exsiccatione virides ut in sequente. ♃.

837. Primula suaveolens BERTOL. in DESV. journ. de bot. 1813. p. 76. VIS. stirp. dalm. p. 44. ALSCH. fl. jadr. p. 49.

P. foliis obcordato-ovatis undulato-crenatis, in petiolum alatum subdentatum contractis, subtus albo-tomentosis, scapo umbellaque holosericeis, dentibus calycis quinque-costati campanulati ovato-lanceolatis breviter acuminatis, corollae limbo cyathiformi.

Syn. P. Columnae TEN. cat. h. neap. 1813. sine diagn. PETT. bot. Wegw. n. 736. P. veris γ. RCHB. fl. exc. p. 401. P. elatior β. RCHB. l. c. p. 401—2 excl. syn. — Icon. LEHM. mon. primul. tab. 1. TEN. fl nap. tab. 13. MORIS. oxon. Sect. V. tab. 24. f. 4. COLUMN. ecphr. 1. p. 256. — Illyr. Jaghljza, Jaghljka.

Hab. in montosis sylvaticis Vellebith, Promina, Beljak, Vissosniza, Stazza, Biokovo, Montenegro. Floret ab Aprili ad Junium. Flores lutei. ♃.

Obs. Primula suaveolens BERT. et P. Columnae TEN. unum et idem sunt, ideoque immerito ab auctoribus trahitur illa ad P. veris L., haec ad P. elatiorem JACQ. Ab utraque distinguitur foliis non obovatis et in petiolum attenuatis, sed subcordatis et supra petiolum contractis, non subtus pubescentibus sed albo-tomentosis: a P. elatiore insuper corollae limbo concavo nec plano. Attamen P. veris simillima. Petiolus plus minusve alatus, integer vel dentatus vel incisus. Faux variat cylindrica, conica, et hemisphaerica, calyce immersa vel serius emersa. Prima plantae descriptio data fuit a cl. BERTOLONIO loco citato, dum cl. TENORE solum nomen P. Columnae edidit in catal. sem H. Neap. 1813, et plantae diagnosis exhibuit tantum anno 1815, quo in fronte Florae neapolitanae suae hoc anno editae prodromum plantarum in ea crescentium publici juris fecit; de qua re conf. adhuc BERTOL. fl. ital. 2. p. 376—77.

838. Primula integrifolia L. sp. pl. ed. II. p. 205. (excl. pl. styr. et CLUS.)

P. foliis ovali-oblongis, utrinque glabris integris, basi attenuatis, margine scapoque 1—3—floro glanduloso-villosis, calycis teretiusculi pubescentis laciniis oblongis obtusis.

Syn. P. Candolleana Rchb. icon. bot. VI. p. 18, et fl. exc. p. 403. — Icon. Rchb. icon. bot. VI. f. 802—803.

Hab. in editioribus jugis Pakleniza et Monte Santo montium Vellebith. Floret Julio. Flores violacei. ♃.

Obs. Planta styraca, de qua loquitur Linnaeus, et cujus iconem praebuit Clusius hist. pl. p. 304. f. sup. est P. spectabilis Tratt. tabul. 1. p. 426, P. Clusiana Tausch bot. zeit. 4. I. p. 364, P. integrifolia Jacq. obs. pl. 1. p. 26. tab. 15, Host fl. austr. 1. p. 250, Rchb. fl. exc. p. 403, et icon. bot. cent. I f. 69, nec aliorum.

CCCIV. Androsace Tourn.

Inst. rei herb. p. 143. tab. 46.

Char. Calyx quinquefidus. Corolla tubo ovato, fauce contracta et glandulis coronata, limbo quinquepartito, laciniis oblongis. Stamina tubo corollae inserta, filamentis brevissimis. Stigma capitatum. Capsula solo apice vel medium usque quinquevalvis. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

839. Androsace villosa L. sp. pl. ed. II. p. 203. Host fl. austr. 1. p. 246. Rchb. fl exc. p. 400. Alsch. fl jadr. p. 49.

A. caulibus basi infracto-geniculatis, foliis oblongis obtusis conniveti-rosulatis, subtus villosis, apice penicillato-barbatis, scapo umbellaque villosa, invlucri phyllis lanceolatis, pedunculis sub anthesi involucrum subaequantibus.

Icon. Wulf. in Jacq. collect. 1. tab. 12. f. 3. Rchb. icon. bot. VI. f. 788.

Hab. ad rupes summi jugi Monte Santo dicti montium Vellebith. Floret aestate. Flores albi vel rosei, fauce rubelli. ♃.

Ob. Nimium affinis A. Chamejasme W., quae videtur tamen diversa foliis acutis, longius ciliatis, utraque facie glabriusculis, nec apice penicillatis, patentibus nec conniventibus, pedunculis quidquam longioribus, herba omnino viridiore.

840. Androsace lactea L. sp. pl. ed. II. p. 204. Host fl. austr. 1. p. 245. Rchb. fl. exc. p. 400.

A. glabra, foliis involucrisque anguste linearibus, pedunculis filiformibus elongatis.

Syn. A. pauciflora Vill. hist. des pl. du Dauph. 2. p. 477. — Icon. Curt. bot. mag. t. 868, et 981 culta. Jacq. fl. austr. t. 333. Vill. l. c. tab. XV. Columm. ecphr. 2. p. 65. f. inf.

Hab. in editioribus montium Vellebith, unde misit doct. Dom. Papafafa. Flore aestate. Flores nivei, fauce aurea. ♃.

CCCV. Lysimachia L.

Gen. pl. ed. II. p. 52.

Char. Calyx quinquepartitus. Corolla tubo brevissimo subrotata, limbo quinquepartito patulo. Stamina fauci corollae inserta, filamentis basi connatis vel liberis. Stigma obtusum. Capsula solo apice, vel basim usque quinquevalvis. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

841. Lysimachia vulgaris L. sp. pl. ed. II. p. 209. Host fl. austr. 1. p. 255. Rchb. fl. exc. p. 410. Alsch. fl. jadr. p. 48. Pett. bot. Wegw. n. 582.

L. caule erecto, foliis oblongo-lanceolatis oppositis verticillatisve petiolatis, floribus racemoso-paniculatis, corollae laciniis margine glabris, staminibus a basi ad medium connatis.

Icon. Sow. engl. bot. t. 761. Oed. fl. dan. tab. 689. Bull. herb. de la Fr. tab. 347. Matthiol. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 999.

Hab. in paludosis circa Nona, Boccagnazzo, Obbrovazzo, Slap, Sign, Almissa, Narenta, Krivoscie, Montenegro. Floret aestate. Flores flavi. ♃.

842. Lysimachia punctata L. sp. pl. ed. II. p. 210. Host fl. austr. 1. p. 256. Rchb. fl. exc. p. 410.

L. caule erecto, foliis ovato-lanceolatis petiolatis pedunculisque axillaribus oppositis verticillatisve, corollae laciniis glanduloso-ciliatis, staminibus a basi ad medium connatis.

Icon. Jacq. fl. austr. 4. tab. 366. Clus. hist. pl. lib. IV. p. 52. f. 2. Moris. oxon. sect. V. tab. 10. f. 15.

Hab. locis udis sylvaticis circa Stermizza, Sign, in Krivoscie, Montenegro. Flores flavi, fauee obscure purpurea, floret aestate. ♃.

Obs. Folia interdum, nec semper, fusco punctata, quod etiam video in specimine dalmatico praecedentis. Variant quoque in parte inferiore caulium ramorumque sparsa nec opposita. Verticilli 4—8—flori, nunc remoti, nunc ita approximati, ut racemi conferti et foliosi speciem mentiantur. Ovarium punctis aurantiacis inspersum.

843. Lysimachia Nummularia L. sp. pl. ed. II. p. 211. Host fl. austr. 1. p. 257. Rchb. fl. exc. p. 410. Alsch. fl. jadr. p. 45. Pett. bot. Wegw. n. 581.

L. caule prostrato repente, foliis subrotundis oppositis petiolatis, pedunculis axillaribus, laciniis calycis cordatis, corollae laciniis glanduloso-ciliatis punctatis, staminibus ima basi connatis.

Icon. Sow. engl. bot. tab. 528. Dodon. pempt. p. 600. Matth. disc. sopra Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 1067. — Illyr. Trava metiljeva. Metilj.

Hab. in fossis, locis palustribus, pratis udis totius Dalmatiae. Flores citrini. Floret aestate. ♃.

Obs. Pastores dalmatae experti cachexiam aquosam pecudum (illyr. Metilj.) praecipue oriri iis in gregibus, qui in pratis udis pascuntur Nummularia refertis, et insuper decepti quadam figurae similitudine inter folia hujus plantae, et entozoo illo Planaria hepatica dicto, quo pecudes eo morbo detentae saepius laborant, erronee putant causam morbi in solo Nummulariae esu quaerendam; hinc illyricum plantae nomen. Rectius sane putandum non solum Nummulariam, sed herbas omnes palustrium locorum incolas ovibus diu ibidem pascentibus malam ad morbum illum dispositionem inducere.

844. Lysimachia Linum stellatum L. sp. pl. ed. II. p. 211. Vis. stirp. dalm. p. 40. Host fl. austr. 1. p. 256. Alsch. fl. jadr. p. 49. Pett. bot. Wegw. n. 580.

L. caule erecto, foliis lanceolato-linearibus sessilibus acuminatis trinervibus pedunculisque oppositis, laciniis calycis lanceolatis cuspidatis corolla eglandulosa triplo longioribus, staminibus liberis.

Syn. Asterolinum stellatum Lk. et Hoffmsgg. fl. port. 1. p. 332. Rchb. fl. exc. p. 409. — Icon. Th. F. Nees gen. germ. fasc. XII. Nr. 11. Sibth. et Sm. fl. graec. cent. II. tab. 189. Magn. bot. monsp. p. 162.

Hab. in saxosis apricis totius Dalmatiae litoralis, etiam in insula Cherso. Floret Aprili. Flores minuti albidi. ☉.

Obs Differt a genere corolla minuta, fructu oligospermo et profundius dehiscente, seminibus cupuliformibus extus rugosis: quas notas, cum in Primulaceis omnibus, etiam ejusdem generis, admodum ludant, novo statuendo haud sufficere visum est. Dehiscentia insuper in hac planta ita variat, ut in eadem capsula viderim valvas aliquot solo apice, reliquas basim usque divisas. Semina plantulae fusca, dorso convexa et carinata, anterius planiuscula et centro foveola orbiculari excavata, intus costa longitudinali dirempta, extus undique transverse et parallele rugosa, rugis ad os foveolae convergentibus, ibique in tot denticulos desinentibus idem os circumdantes. Dorsum in duo latera carina divisum, et latus anterius planiusculum, hinc semina triangularia visa Florae lusitanicae auctoribus, quod tamen minus exacte dictum.

CCCVI. Anagallis Tourn.

Inst. rei herb. p. 142. tab. 59.

Char. Calyx quinquepartitus. Corolla tubo subnullo rotata, limbo quinquepartito patulo. Stamina imae corollae inserta, filamentis villosis. Stigma obtusum. Capsula circumscissa. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

X **845. Anagallis arvensis** L. sp. pl. 1. p. 821. Host fl. austr. 1. p. 257.

A. foliis oppositis ternisve ovatis sessilibus, laciniis corollae crenulatis.

Var. α. phoenicea: corollae miniatae laciniis glanduloso-ciliatis. — Syn. A. phoenicea All. fl. ped. 1. p. 87. Alsch. fl. jadr. p. 48. Pett. bot. Wegw. n. 56. A. arvensis β. W. sp. pl. 1. p. 822. A. arvensis Vis. stirp. dalm. p. 25. Rchb. fl. exc. p. 408. — Icon. Sow. engl. bot. t. 529. Oed. fl. dan. t. 88. Matth. disc. sopra Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 656. Fuchs. hist. stirp. p. 18. — Illyr. Kriviçicza. Krikka. Oçicza. Missinak.

Var. β. caerulea: corollae caeruleae laciniis eglandulosis glabris. — Syn. A. caerulea Schreb. spicil. fl. lips. p. 5. Vis. stirp. dalm. p. 25. Alsch. fl. jadr. p. 48. Pett. bot. Wegw. n. 55. A. Monelli L. et Rchb. fl. exc. p. 408. A. arvensis α. W. sp. pl. 1. p. 821. — Icon. Sow. engl. bot. t. 1823. Curt. mag. bot. t. 319. Oed. fl. dan. t. 1570. Fuchs. hist. stirp. p. 19. — Illyr. Kupinik. Krupnik. Miçakinja.

Hab. promiscue in agris, vineis, cultis totius Dalmatiae frequentes. Florent ab aestate in autumnum. Flores in α. miniati, fauce sanguinei, in β. saturate caerulei, fauce rubro-violacea. ⊙.

Obs. Jamdiu et incassum torquentur botanici constantia harum stirpium discrimina perquirentes, quae sane desunt. A. Monelli L. sp. pl. ed. I. p. 149 et II. p. 211. ex synonimis, patria Verona, et duratione annua est subvarietas A. caeruleae foliis lanceolatis. Plantam linnaeanam annuam esse Clusius ipse testatur, qui primus speciem descripsit in Exot. App. alt. libr. V. f. 3. lin. penult., et Linnaeus confirmat locis citatis, quamquam in H. Upsal. p. 38. alia specie deceptus (A. collina Schousb.) ipsam perennem dixerit. Datur subvarietas A. caeruleae major, foliis latioribus, floribusque superioribus verticillato-ternis.

Usus. Herba inter acria et narcotica etiam a nuperioribus recensita. Folia ante florescentiam collecta in morbis nervosis laudantur. Decoctum externe applicitum ulcera sanare dicitur.

Ordo L. LENTIBULARIEAE L. Cl. Rich.

Fl. paris. 1. p. 26.

Flores hermaphroditi irregulares. Calyx liber persistens disepalus, vel quinquepartitus. Corolla hypogyna bilabiata, tubo brevissimo basi antice calcarato, labio superiore bifido, inferiore indiviso aut trifido, palato convexo. Stamina bina imae corollae inserta, filamentis complanatis, antheris adnatis unilocularibus, rima longitudinali aut transversa dehiscentibus. Pistillum ovario uniloculari, placenta basilari globosa, ovulis anatropis, stylo crasso brevissimo, stigmate bilabiato. Capsula supera irregulariter rumpens vel bivalvis, seminibus plurimis placentae basilari insertis, umbilico basilari, albumine nullo, embryone nunc indiviso nunc cotyledonibus brevissimis praedito, radicula hilum attingente.

Herbae aquaticae vel paludosae, foliis radicalibus vel tenuissime sectis et vesiculas aeriferas gerentibus, vel rosulatis integris, scapis simplicibus racemifloris vel unifloris.

CCCVII. Utricularia L.

Gen. pl. ed. II. p. 9.

Char. Calyx disepalus. Corolla personata, tubo subnullo, labio inferiore longiore indiviso. Stamina sub labio superiore inserta, antheris longitudinaliter dehiscentibus. Capsula demum irregulariter rupta. — Class. Diandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

846. Utricularia vulgaris L. sp. pl. ed. II. p. 26. Host fl. austr. 1. p. 21. Rchb. fl. exc. p. 386.

U. foliis pinnato-multipartitis laciniis capillaribus, calcare oblongo-conico, labio superiore integro palatum subaequante, antheris connatis.

Icon. Sow. engl. bot. t. 253. Oed. fl. dan. t. 138. Rivin. monop. irreg. tab. 79.

Hab. in aquis stagnantibus circa Narenta, ubi legit Fr. Neumayer. Flores flavi palato striis aurantiis picto. Floret aestate. ♃.

Ordo LI. SCROPHULARINAE R. Br.

Prodr. fl. nov. Holl. p. 433.

Flores hermaphroditi irregulares vel inaequales. Calyx liber persistens monosepalus 4—5—sectus. Corolla inaequaliter 5—4—fida lobis aestivatione imbricatis. Stamina tubo corollae inserta, 2—5, interdum uno alterove sterili, antheris uni-bilocularibus. Pistillum ovario libero biloculari, ovulis anatropis, stylo terminali, stigmate indiviso vel rarius bilamellato. Capsula bilocularis saepissime bivalvis polysperma, rarius poris dehiscens oligosperma, placentis centralibus coadunatis, seminibus hilo basilari, embryone in axe albuminis carnosi incluso, recto, radicula hilum spectante.

Herbae (nostrates) foliis simplicibus exstipulatis, floribus axillaribus velracemosis paniculatisve.

Clavis analytica generum.

Flores staminibus 2—4.	vid. Nr. 1	Flores staminibus 5. Verbascum.	
1. Staminibus quatuor fertilibus.	2	Staminibus binis fertilibus.	vid. Nr. 9
2. Corolla tubo praedita.	3	Corolla subrotata. Celsia.	
3. Corollae tubo cylindraceo.	4	Corollae tubo subgloboso. Scrophularia.	
4. Corollae tubo basi aequali truncato	6	Corollae tubo basi anterius producto.	5
5. Corollae basi gibba. Antirrhinum.		Corollae basi calcarata. Linaria.	
6. Calyce quadrifido.	7	Calyce quinquefido. Pedicularis.	
7. Calyce tubuloso.	8	Calyce compresso ventricoso. Rhinanthus.	
8. Fructus loculis 6—polyspermis. Euphrasia.		Fructus loculis 1—2—spermis. Melampyrum.	
9. Corolla tubulosa. Gratiola.		Corolla rotata. Veronica.	

Subordo I. VERBASCEAE *Bartl.*

Ord. nat. pl. p. 170.

antheris unilocularibus, reniformibus, apici filamentorum dilatato transverse adnatis, rima transversali dehiscentibus.

CCCVIII. Verbascum L.

Gen. pl. ed. II. p. 64.

Char. Calyx quinquepartitus. Corolla rotata limbo quinquepartito, laciniis subinaequalibus. Stamina quinque declinata inaequalia, filamentis omnibus vel posticis barbatis. Capsula septicide bivalvis, valvis apice bifidis, placentis septo adnatis. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

* Thapsus: floribus fasciculatis racemosis.

847. Verbascum Thapsus L. sp. pl. ed. II. p. 252. Host fl. austr. 1. p. 285. Reichb. fl. exc. p. 385.

V. pallide tomentosum, foliis crenulatis ovali-oblongis, inferioribus in petiolum attenuatis obtusis, reliquis ad folium subsequens decurrentibus acutis, racemo dense spicato, corollis subrotatis calyce duplo longioribus, laciniis oblongis, filamentis albo-lanatis, duobus longioribus antheram quadruplo superantibus.

Icon. Blackw. herb. tab. 3. Dodon. pempt. p. 143. f. 1. Tabern. icon. stirp. p. 563. f. 1. Matth. disc. sopra Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 1202. Fuchs. hist. stirp. p. 846. opt.

var. β. elongatum: foliis angustioribus, flore albo. — Syn. V. elongatum W. en. pl. h. ber. p. 223. — Icon. Dodon. l. c. p. 143. Moris. hist. pl. sect. V. tab. 9. f. 7. Tabern. icon. stirp. p. 563. f. 2. — Illyr. Lepuch.

Hab. in lapidosis demissis montium Vellebith. Floret aestate. Flores flavi, vel in var. β. albi, quam Doct. Dominico Papafava acceptam refero. ♂.

Obs. Icones veterum quibusdam recentioribus praetuli, cum icon Sow. engl. bot. t. 549. racemum nimis crassum et densum, et flores justo majores praebeat, ut fere sequentem referat; illa Fl. dan. t. 631. racemum nimis laxum, et praesertim nimis longe bracteatum offerat; illa Poll. fl. ver. 3. tab. 7. folia integerrima exhibeat. Varietas nostra varietates β. et γ. Schrad. monogr. Verb. p. 18. simul jungit, folia nempe hujus exhibens, flores illius. Quoad V. Thapsus Alsch. et Pett., autopsia deficiente, nescio nnm huic vel sequenti spectent.

Usus. Corollae hujus plantae aqua ebulliente infusae in morbis omnibus rheumaticis, qua diaphoreticum, usuveniunt, sed in Dalmatia e sequenti specie utpote communiore petuntur.

848. Verbascum densiflorum Bertol. rar. pl. dec. 3. p. 52. et fl. ital. 2. p. 575.

V. luteo-tomentosum, foliis ovalibus crenulatis dentatisve, inferioribus in petiolum attenuatis obtusis, reliquis ad folium subsequens decurrentibus, sensim acutioribus, racemo spicato elongato compacto, corollis rotatis calyce quadruplo longioribus, laciniis subrotundis, filamentis albo-lanatis, duobus longioribus antheram subduplo superantibus.

Syn. V. Thapsus Vis. stirp. dalm. p. 51. an et Alsch. fl. jadr. p. 51. et Pett. bot. Wegw. n. 999?

var. β. thapsiforme: racemo laxiusculo. — Syn. V. thapsiforme Schrad. mon. Verb. 1. p. 21. Rchb. fl. exc. p. 385. (excl. syn. Pollin.) — Icon. J. Bauh. hist. pl. 3. append. p. 871. Fuchs. hist. stirp. p. 848. — Illyr. Lepuch. Oslji pellin. Tabak divji. Xutoçvit. Lopussina.

Hab. in ruderatis, lapidosis, sterilibus totius Dalmatiae frequens. Floret a Majo in autumnum. Flores flavi. ♂.

Obs. Descriptionibus auctorum, et praecipue cl. Bertolonii in fl. ital. 2. p. 573—575, nec non speciminibus utriusque plantae rite collatis, nullam constantem intercedere differentiam video inter V. densiflorum et V. thapsiforme, ut specifice distinguantur. Idem racemus variat nunc undique densiflorus, nunc basi aut medium usque laxiflorus: folia vero et flores utriusque omnino conveniunt.

849. Verbascum macrurum Ten. ad fl. neap. prodr. app. V. p. 9. Bertol. fl. ital. II. p. 573.

V. albo-tomentosum, foliis ellipticis leviter crenulatis, inferioribus in petiolum attenuatis obtusiusculis, reliquis ad folium subsequens decurrentibus, sensim acutioribus, racemo spicato crasso gossypino longissimo, corollis subrotatis calyce quadruplo longioribus, laciniis subrotundis filamentis albo-lanatis, duobus longioribus antheram multoties superantibus.

Icon. Ten. fl. nap. tab. 214.

Hab. in lapidosis apricis insulae Torcola, ubi legit prof. Stalio. Flores flavi magni, antheris croceis. Floret Aprili. ♂.

Obs. Differt a V. Thapso foliis alisque caulinis multo latioribus, corollis duplo majoribus laciniis subrotundis, filamentis inferioribus multo longioribus, tomento denique racemi longissimi compacti gossypino candido. A V. densifloro et V. thapsiformi recedit corollis basi tubulosis, filamentis inferioribus vix anthera sua duplo longioribus, et tomenti colore. A V. australi Schrad., cum quo cl. Rchb. junxit in fl. exc. p. 384, foliis longissime lateque decurrentibus, corolla basi tubulosa, racemo compacto longissimo aliisque notis abunde differt. Filamenta inferiora glabra, medio tantum in nostris fasciculo villorum praedita.

850. Verbascum phlomoides L. sp. pl. ed. II. p. 253. Vis. stirp. dalm. p. 51. Host fl. austr. 1. p. 286. Rchb. fl. exc. p. 384. Pett. bot. Wegw. n. 995.

V. tomento albido aut lutescente deciduo, foliis crenulatis, inferioribus oblongo-ovalibus in petiolum attenuatis, obtusiusculis, reliquis cordato-amplexicaulibus sensim acutioribus, auriculis baseos rotundatis breviter adnatis vel liberis, racemo spicato laxiusculo, corollis rotatis calyce quadruplo longioribus, filamentis albo-lanatis, duobus longioribus antheram subduplo superantibus.

Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. III. tab. 224. Mill. ic. pl. tab. 273. — Illyr. Lepuh. Osljepar.

var. *β.* samniticum: racemo valde interrupto, foliis supra cauleque subdenudatis. Bertol. fl. ital. II. p. 576. — Syn. V. samniticum Ten. viagg. in Abruzz. p. 54. et fl. nap. 3. p. 219. — Icon. Ten. fl. nap. tab. 216.

Hab. in sterilibus, ruderatis, et ad muros hortorum circa Sebenico, Ragusa, Cattaro: var. circa Ragusa. Flores flavi magni, filamentis antherisque rubro-croceis. Floret aestate. ♂.

Obs. Diagnosis Linnaeana formam plantae respicit interdum obviam, ubi folia etiam superiora basi producta nec emarginata conspiciuntur, ideoque minime cordata sed basi integra ut habet Linnaeus. V. samniticum Ten. est varietas insignis tomento albido, racemo laxissimo, caule foliisque supra nudiusculis.

851. Verbascum floccosum Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 1. p. 81. Host fl. austr. 1. p. 287. Rchb. fl. exc. p. 382. Pett. bot. Wegw. n. 992.

V. tomento albo floccoso deciduo, foliis obsolete crenulatis subtus incanis, inferioribus obovatis basi attenuatis obtusiusculis, reliquis cordato-amplexicaulibus acutis vel cuspidatis, auriculis baseos rotundatis liberis, caule ramisque teretibus, racemo ramosissimo paniculato patente, floribus fasciculatis distantibus, corollae rotatae laciniis oblongo-obovatis, filamentis albo-lanatis.

Syn. V. pulverulentum Sow. engl. bot. p. 487. Alsch. fl. jadr. p. 51. an Vill.? — Icon. W. et K. pl. hung. 1. tab. 79. Sow. l. c. tab. 487. fl. maj. — Illyr. Lepuh. Lepùssina. Divìzina.

Hab. ad aggeres agrorum, et in sterilibus, sylvaticis circa Zara, Torrette, Mi-

ljevzi, Dernis et Ragusa, nec non in insulis Veglia, Brazza, Lesina. Flores flavi. Floret a Majo in aestatem. ♂.

Obs. V. pulverulentum VILL. pl. du Dauph. 2. p. 490. ab hoc forte non differt etiam ex sententia cl. BENTH. in DC. prodr. X. p. 237, quo in casu hoc nomen, anterioritatis jure, alteri praeferendum; sed plantae VILLARSII specimina certa non vidi.

852. Verbascum Lychnitis L. sp. pl. ed. II. p. 253. HOST fl. austr. 1. p. 288. RCHB. fl. exc. p. 382. PETT. bot. Wegw. n. 993.

V. foliis crenulatis supra nudiusculis, inferioribus ovalibus in petiolum attenuatis, superioribus subsessilibus ovatis acuminatis, subtus cauleque ramisque angulatis pulverulento-tomentosis canescentibus, racemo paniculato erecto-patulo, floribus fasciculatis distantibus, pedicellis floriferis calyce farinoso longioribus, filamentis albo-lanatis.

Icon. OED. fl. dan. t. 586. FUCHS. hist. pl. p. 847.

Hab. locis sylvaticis et saxosis circa Koinsko et Ragusa, nec non in montibus Promina, Dinara, Sella et Orien, et in cultis insulae Torcola. Flores flavi, parvi. Floret aestate. ♂.

Obs. Haec est species Linnaeana: varietas floribus albis, quam in Dalmatia non vidi, est var. β. Sp. pl. et SCHRAD., V. album MILL. et MOENCH. Icon bona speciei adhuc deest: superius citatae ex descriptione varietatem albifloram referunt. Huc pertinere credo V. orchideum HOST fl. austr. 1. p. 288 ex ipsius herbario.

853. Verbascum undulatum LAM. enc. bot. ed. Pat. IV. p. 209. BOEM. et SCH. syst. veg. 4. p. 338.

V. albo-tomentosum, foliis subcrenulatis, radicalibus sinuato-lobatis undulatis repandisve, inferioribus petiolatis obtusis, caulinis obovato-oblongis ovalibusque repandis, summisque subcordato-ovatis acutis sessilibus, caule virgato subsimplici, racemo solitario laxifloro, floribus subsessilibus, filamentis albo-lanatis.

Syn. V. plicatum SIBTH. et SM. fl. gr. prodr. n. 524. V. sinuatum β. L. sp. pl. ed. II. p. 255. — Icon. SIBTH. et SM. fl. gr. cent. III. tab. 226. TOURN. voy. au Lev. 1. p. 335.

Hab. in saxosis, apricis, ruderatis et muris urbis Scardona, in ejusdem ditione usque Vacchiane, nec non circa Titii catarractam ad Slap, ubi legi copiose. Flores flavi magni. Floret Jun. Jul. ♂.

Obs. Planta a sequente omnino diversa. Radix crassa ad collum usque fere lignescens: caulis tomento deterso purpurascens, teres, virgatus, simplex, vel rarius apice in ramos paucos striatos partitus: folia primordialia ovali-oblonga crenulata longe petiolata, interdum repanda: radicalia oblongo-obovata sinuato-lobata, lobis squarrosis obtusissimis, interdum imbricatis, nunc lobo terminali majore sublyrata, omnia crenulata, petiolo pollicari suffulta: caulina reliqua ovato oblonga, aut ovalia, sessilia nec decurrentia, basi subcordata semiamplexicaulia, obsolete crenulata, acutiuscula et superius acuta: floralia subcordato-lanceolata amplexicaulia integra acuminata. Racemus ut plurimum solitarius (raro 2—3) virgatus striatus interruptus; floribus fasciculatis subsessilibus, medio pedicellato, fasciculis sessilibus 3—6—floris, bracteis totidem lanceolatis acuminatis integris. Calyx campanulatus dentibus lanceolatis apice subulatis. Corolla basi breviter tubulosa, flava, lobis tribus subrotundis binis superioribus quidquam minoribus oblongisque, omnibus calyce vix duplo longioribus. Stamina subaequalia, filamentis purpureis albo-lanatis, antheris reniformibus aequalibus rubro-aurantiacis. Pistillum stigmate clavato, stylo filiformi, ovario ovali. Capsula rubescens styli basi mucronata, sub tomento purpurascens, ad suturas bisulca et alterne subtiliter bicostata, bivalvis, bilocularis ob valvarum margines introflexos septum incompletum costituentes, placenta centrali ovali-oblonga libera, seminibus oblongis utrinque truncatis, fuscis, minutissime lacunoso-rugosis. Folia, pedicelli, calyces, inferior facies corollae et capsula tomento denso stellato, albo, vel interdum luteolo obsita.

854. Verbascum sinuatum L. sp. pl. ed. II. p. 254. excl. var. β. VIS. stirp. dalm. p. 51. HOST fl. austr. 1. p. 291. RCHB. fl. exc. p. 384. ALSCH. fl. jadr. p. 51. PETT. bot. Wegw. n. 997.

V. tomentoso-pulverulentum cinereum, foliis radicalibus inferioribusque oblongis sinuato-lobatis pinnatifidisque undulatis subpetiolatis obtusis, caulinis subcordato-amplexicaulibus subdecurrentibus acutis, caule ramosissimo paniculato, ramis erecto-patulis laxifloris, floribus inaequaliter pedicellatis, filamentis purpureo-lanatis.

Icon. Sibth. et Sm. fl. gr. cent. III. tab. 227. Camer. epit. pl. p. 882. Dalech. hist. pl. 2. p. 1302. Matth. disc. sopra Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 1207.

Hab. in collibus agrisque macrioribus, argillosis, et ruderatis totius Dalmatiae, etiam in insulis. Flores flavi ad faucem purpura maculati. Floret aestate. ♂.

Obs. Folia inferiora variant leviter profundeve sinuata, lobis acutis et lobis imbricatis, ut in icone Florae graecae, vel obtusis et distantibus, quod communius, ut in aliis iconibus supra citatis, quae etsi brevissimam foliorum decurrentiam non offerant, tamen ob inflorescentiae formam huc certe spectant, nec ullo pacto priori pertinent, secus ac dubitant Florae graecae auctores l. c. p. 22.

855. Verbascum nigrum L. sp. pl. ed. II. p. 253. Alsch. fl. jadr. p. 51. Pett. bot. Wegw. n. 994.

V. foliis ovato-oblongis cordatisve petiolatis duplicato-dentatis subtus lanuginosis aut tomentosis, summis sessilibus, caule virgato simplici, aut superne ramoso, fasciculis florum distantibus, pedicellis floriferis, calyce tomentoso longioribus, filamentis purpureo-lanatis.

var. *α.* genuinum: racemo solitario, foliis inferioribus basi cordatis subtus lanuginosis. — Syn. V. nigrum Host syn. 1. p. 290. Rchb. fl. exc. p. 380. V. thyrsoideum Host! fl. austr. 1. p. 289. — Icon. Oed. fl. dan. t. 1088. Sow. engl. bot. t. 59.

var. *β.* lanatum: racemo solitario aut duplici, foliis inferioribus cordato-ovatis subcordatisve, subtus lanato-tomentosis. — Syn. V. lanatum Schrad. monogr. Verb. 2. p. 28. Rchb. fl. exc. p. 381. — Icon. Schrad. l. c. 2. tab. 11. f. 1. Dodon. pempt. p. 144. Renealm. spec. p. 106. f. 1. bona. Fuchs. hist. pl. p. 849.

var. *γ.* orientale: racemis pluribus, foliis inferioribus oblongo-lanceolatis in petiolum attenuatis subtus lanuginosis. — Syn. V. orientale Bieb. fl. taur. cauc. 1. p. 160 et 3. p. 154. Rchb. fl. exc. p. 381. V. austriacum Schrad. mon. Verb. p. 22. Host! fl. austr. 1. p. 289. ex herb. Rchb. fl. exc. p. 381. V. virens Host l. c. p. 290. V. monspessulanum Pers. syn. pl. 1. p. 215. Schrad. mon. 2. p. 20. — Icon. Roch. pl. bann. f. 39. Schrad. mon. Verb. II. tab. 2. f. 2. Lobel. icon. stirp. p. 562. f. int.

Hab. varietas *γ.* communius in montosis sylvaticis Vellebith, Promina, Svilaja, Biokovo, nec non iisdem locis circa Dernis, Verlika, Sign; var. *β.* in monte Sniesnizza, et circa Pastrovich. Flores flavi, in fauce purpura maculati. Floret aestate. ♂.

Obs. Species mirum in modum ludibunda caulis ramositate, foliorum forma et dentibus, pubis copia et distributione, et pedicellorum longitudine: hinc in species plurimas inconsulto discerpta. Varietates ipsae hic propositae sunt simplices formae locales nullis certis characteribus coercendae. Varietas *β.* frequenter ludit racemo geminato, quod bene expresserant antiquorum icones supra citatae. Folia hujus in Dalmatia latius cordata, ac in iconibus Schraderi et Fuchsii, et qualia in icone Renealmi, quae alioquin plantam foliis utrinque lanuginosis exhibet, silicet nostram. Var. *α.* adhuc in Dalmatia non visa. V. nigrum differre dicitur a V. orientali foliis nunquam cordatis; sed etiam in illo foliorum lamina, quamquam basi excisa, interdum breviter decurrit secus petiolum, quo in casu forma folii transit a cordata ad cuneatam.

** Blattaria: floribus solitariis geminatisve racemosis.

856. Verbascum phoeniceum L. sp. pl. ed. II. p. 254. Host fl. austr. 1. p. 290. Rchb. fl. exc. p. 379. Alsch. fl. jadr. p. 51. Pett. bot. Wegw. n. 996.

V. foliis subtus pubescentibus, radicalibus petiolatis ovatis crenatis, caulinis sessilibus ovato-lanceolatis lanceolatisque acutis, multo minoribus, crenato dentatis, racemo terminali laxo glanduloso-piloso, pedicellis bractea triplo longioribus, staminum filamentis purpureo-lanatis.

Icon. CURT. bot. mag. tab. 885. JACQ. fl. austr. t. 125. — Illyr. Modroglavaz.

var. *β.* lanuginosum: foliis radicalibus albo-lanuginosis duplicato-crenatis, bracteis, pedunculis calycibusque glabris.

Hab. in sylvaticis et umbrosis circa Zara, Scardona, Torrette, Dernis, Clissa, Macarsca, nec non in insulis Ossero et Lesina: var. circa Pastrovichio in ditione Butuensi, ubi unicum exemplar legit Consil. TOMMASINI, penes quem vidi. Flores magni intense purpurei. Floret Aprili, Majo ad Julium. ♂.

Obs. Una tantum vice vidi in racemo floribus omnibus solitariis instructo flores binos ex eodem axis puncto prodeuntes. In hoc et sequente auriculae foliorum caulinorum saepius adnatae et tenuissime decurrentes, ex quo caulis subtiliter angulatus.

857. Verbascum Blattaria L. sp. pl. ed. II. p. 254. VIS. stirp. dalm. p. 50. HOST fl. austr. 1. p. 291. RCHB. fl. exc. p. 380. ALSCH. fl. jadr. p. 51. PETT. bot. Wegw. n. 990.

V. foliis glabris, radicalibus petiolatis oblongo-ovalibus obtuse lobato-dentatis, caulinis sessilibus acute dentatis, superioribus cordato-amplexicaulibus acuminatis, racemo terminali laxo glanduloso-piloso, pedicellis bractea subduplo longioribus, staminum filamentis purpureo-lanatis.

Icon. Sow. engl. bot. tab. 393. LOBEL. icon. stirp. tab. 564. f. 2. MATTH. disc. sopra DIOSC. p. 1210.

Hab. copiose in vervactis et aggeribus agrorum, ad vias campestres in tota Dalmatia. Flores flavi, fauce et filamentis purpureo-lanatis. ♂.

CCCIX. Celsia L.

Gen. pl. ed. II. p. 229.

Char. Calyx quinquepartitus. Corolla rotata limbo quinquepartito, laciniis binis superioribus minoribus, infima maxima. Stamina quatuor didynama, filamentis barbatis. Capsula demum septicide bivalvis, valvis integris, placentis septo adnatis. — Class. Didynamia. Ord. Angiospermia Syst. sex. —

858. Celsia orientalis L. sp. pl. ed. II. p. 866. VIS. stirp. dalm. p. 30. RCHB. fl. exc. p. 379. ALSCH. fl. jadr. p. 139. PETT. bot. Wegw. n. 218.

C. foliis radicalibus inferioribusque breviter petiolatis oblongis bipinnatifidis, margine setuloso-ciliatis, laciniis oblongis obtusis, caulinis sessilibus pinnatipartitis, laciniis linearibus acutis, caule apice ramoso floribusque laxe racemosis glanduloso-pubescentibus, pedunculis bractea brevioribus, laciniis calycinis lanceolatis acuminatis integris.

Icon. TH. F. NEES gen. pl. fasc. XVI. Nr. 20. SIBTH. et SM. fl. gr. VII. tab. 605. GAERTN. de fr. et sem. 1. tab. LV. f. 8. L. H. Upsal. tab. II. ZANON. rar. stirp. hist. tab. 34. BUXB. cent. pl. 8. tab. XX. — Illyr. Proscenicza.

Hab. in saxosis apricis circa Zara, Sebenico, Traù, Spalato, Almissa, Ragusa, nec non in insula Lesina. Flores flavi. Floret Aprili, Majo. ☉.

Obs. Capsula coriacea dura elliptica, superius compressa truncata, serius apice dehiscens, valvis navicularibus reticulato-venosis, sub apice extus carinatis, basi styli persistentis spinoso-mucronatis. Icon LINNAEI exhibet plantam cultam ideoque foliis latius divisis luxuriantem: illa GAERTNERI litt. b. exhibet capsulam ad basim usque bivalvem, quod nunquam vidi.

CCCX. Scrofularia Tourn.

Instit. rei herb. p. 266. tab. 74.

Char. Calyx quinquepartitus. Corolla subglobosa limbo minuto bilabiato quinquelobo. Stamina quatuor didynama, filamentis imberbibus, cum rudimento filamenti sterilis squamiformi sub labio superiore corollae. Capsula septicide bivalvis, placentis coadunatis, demum liberis. — Class. Didynamia. Ord. Angiospermia Syst. sex. —

* Floribus paniculatis.

859. Scrofularia nodosa L. sp. pl. ed. II. p. 863. Host fl. austr. 2. p. 204. Rchb. fl. exc. p. 377.

S. caule argute tetragono, foliis ovatis subcordatisve acutis duplicato-serratis, serraturis inferioribus majoribus, panicula terminali, pedicellis glandulosis, laciniis calycinis ovatis obtusis margine angustissime membranaceis, appendice squamiformi obovata aut transversa.

Syn. S. aquatica Pett. bot. Wegw. n. 844 nec alior. — Icon. Th. F. Nees gen. pl. fasc. XVI. Nr. 3. f. 1—16. Sow. engl. bot. t. 1544. Blackw. herb. t. 87. Rivin. monop. irr. tab. 107. f. 1. Dodon. pempt. p. 50. f. 1. — Illyr. Gugutina.

Hab. in aquosis et ad fossas circa Verlika, Spalato, Salona, Almissa, Macarsca. Flores olivacei dorso brunnei. Radix tuberoso-nodosa. Floret ab Aprili in aestatem. ♃.

Usus. Radix olim contra scrofulas et hemorrhoides celebrata, externe applicita vi resolventi praestat.

Obs. Ab hac differt S. aquatica L. radice fibrosa, foliis saltem inferioribus et mediis obtusis, serraturis subaequalibus.

860. Scrofularia laciniata Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 2. p. 185. Host fl. austr. 2. p. 206. Rchb. fl. exc. p. 377. Alsch. fl. jadr. p. 137. Pett. bot. Wegw. n. 846.

S. caule argute tetragono, foliis ovatis subcordatisve inciso-lobatis pinnatifidisve, segmentis ovalibus inaequaliter dentatis, panicula terminali, pedicellis glandulosis, laciniis calycinis obtusissimis subrotundis margine late membranaceis, appendice subrotundo-reniformi.

Icon. Waldst. et Kit. l. c. tab. 170.

Hab. in rupestribus montium Vellebith, Promina, circa Almissa, et in Biokovo. Flores albidi et rubelli, intus rubri. Floret aestate. ♃.

Obs. Variat magnopere foliorum divisione, quae nunc pinnatipartita, vel pinnatifido-lyrata, nunc pinnatifida, nunc margine breviter inciso-lobata: variat baseos forma, quae nunc cordata, nunc integra, nunc breviter producta.

861. Scrofularia canina L. sp. pl. ed. II. p. 865. Vis. stirp. dalm. p. 47. Host fl. austr. 2. p. 206. Rchb. fl. exc. p. 377. Alsch. fl. jadr. p. 137. Pett. bot. Wegw. n. 845.

S. caule subtiliter angulato, foliis ovatis oblongisve pinnatipartitis, laciniis oblongolinearibus inaequaliter incisis dentatisve, panicula terminali, pedicellis glandulosis, laciniis calycis obtusissimis subrotundis, margine late membranaceis, appendice squamiformi obsoleta.

Icon. Sibth. et Sm. fl. gr. tab. 598. Reichb. icon. bot. cent. VIII. f. 970. J. Bauh. hist. pl. 3. p. 423. f. sup.

var. β. bicolor: corollae appendice lanceolata. — Syn. S. bicolor Sibth. et Sm. fl. gr. prodr. 1. p. 487. S. chrysanthemifolia Bieb. taur. cauc. 2. p. 78. Host fl. austr. 2. p. 207. Rchb. fl. exc. p. 377. — Icon. Sibth. fl. graec. tab. 602. Willd. h. berol. t. 59. Rchb. icon. bot. VIII. f. 971.

Hab. in arenosis, sterilibus, lapidosis totius Dalmatiae. Flores parvi atro-purpurei, laciniis lateralibus albidis, infima albo-marginata. Floret a vere in aestatem. ♃.

Obs. Nec foliis magis divisis, nec pedicellorum brevitate, nec staminibus exsertis, quae omnia in utraque ludunt, S. canina et S. bicolor differunt inter se. Hinc sententiae accedo cl. Koch, qui in syn. fl. helv. ed. II. p. 594. ex inspectione speciminis Biebersteiniani utrasque junxit.

** floribus axillaribus.

862. Scrofularia peregrina L. sp. pl. ed. II. p. 866. Vis. stirp. dalm. p. 47. Host fl. austr. 2. p. 204. Rchb. fl. exc. p. 377. Alsch. fl. jadr. p. 137. Pett. bot. Wegw. n. 843.

S. foliis cordato-ovatis duplicato-dentatis nitidis, floralibus alternis acuminatis, pedunculis axillaribus 1—5—floris glandulosis, laciniis calycinis ovato-lanceolatis acutis immarginatis, corollae appendice subrotunda.

Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. VI. tab. 597. Camer. hort. t. 43.

Hab. in ruderatis, cultis, ad sepes et vias agrestes circa Żara, Sebenico, Spalato, Salona, Clissa, Ragusa, nec non in insulis Veglia, Cherso, Ossero, Lesina, Brazza. Flores atrosanguinei. Floret vere. ⊙.

Subordo II. ANTIRRHINEAE *Chavann.*

Monogr. des Antirrh. Paris 1832.

antheris bilocularibus oblongis aut didymis apici filamentorum aequali affixis, rima longitudinale dehiscentibus, basi obtusissimis.

CCCXI. Linaria Tourn.

Instit. rei herb. p. 168. tab. 76. (excl. spec.)

Char. Calyx quinquepartitus. Corolla tubo inflato basi in calcar subulatum producto, limbo personato quinquelobo. Stamina quatuor didynama, antherarum loculis divergentibus. Capsula regularis summo apice bivalvis, valvis integris trifidisve, vel sub apice utrinque circumscisse operculata. — Class. Didynamia. Ord. Angiospermia Syst. sex. —

Sect. I. Cymbalaria.

Koch syn. fl. helv. ed. II. p. 598.

foliis subrotundis, ovatis hastatisve, omnibus petiolatis, floribus axillaribus solitariis.

863. Linaria Cymbalaria Mill. gard. dict. n. 17. Vis. stirp. dalm. p. 39. Rchb. fl. exc. p. 373. Alsch. fl. jadr. p. 138. Pett. bot. Wegw. n. 551.

L. foliis cordato-reniformibus 5—7—lobis, laciniis calycinis oblongo-linearibus, seminibus lamellato-rugosis.

var. α. vulgaris: glaberrima: — Syn. Antirrhinum Cymbalaria L. sp. pl. ed. II. p. 851. Host fl. austr. 2. p. 197. — Icon. Th. F. Nees gen. pl. fasc. XVI. Nr. 12. f. 18. Sow. engl. bot. tab. 502. Bull. herb. de la Fr. pl. 305. Oed. fl. dan. t. 1220. Rivin. irr. t. 86. f. 2. — Illyr. Klobuçich.

var. β. pilosa: tota, vel solo caule pilosa. — Syn. Antirrhinum pilosum Jacq. obs. bot. II. p. 28. L. mant. II. p. 245. Host fl. austr. 2. p. 197. Linaria pilosa DC. fl. fr. 3. p. 584. Vis. stirp. dalm. p. 39. L. pubescens Presl. delic. prag. p. 74. — Icon. Cupan. panphyt. sic. ed. Bonan. t. 24. f. 1.

Hab. ad muros, ad saxa et in sterilibus totius Dalmatiae vulgaris: varietas in rupibus montium Vellebith, circa Duare, et Almissa. Corolla dilute violacea, palato albo, gibbis sulphureis. Floret ab Aprili in autumnum. ♃.

Obs. Varietas nulla bona nota differt a specie, nam pubes nunc copiosa, nunc rara, interdum in foliis nulla; horum lobi nunc 5 nunc 7, superiores modo rotundati modo ovato-acuti ut in specie, laciniae calycinae non semper nec exacte acutae, sed saepe acutiusculae, quod cum etiam in specie interdum occurrat nullius pretii discrimen exhibet. Confero cum nostro specimen L. pubescentis Presl a cl. Orsinio Terracinae lectum, mihique communicatum, quod cum Cupanii icone exacte convenit, nec nisi pube densiori a nostris diversum video.

864. Linaria Elatine Mill. gard. dict. n. 16. Vis. stirp. dalm. p. 39. Pett. bot. Wegw. n. 553.

L. villosa, foliis ovatis aut hastato-ovatis, pedunculis filiformibus elongatis, laciniis calycinis lanceolato-linearibus acuminatis, seminibus alveolatis.

var. *α.* vulgaris: pedunculis glabris, calcare recto. — Syn. L. Elatine Rchb. fl. exc. p. 373 (excl. icon. Bull.). Antirrhinum Elatine L. sp. pl. ed. II. p. 851. Host fl. austr. 2. p. 197. — Icon. Sow. engl. bot. t. 692. Oed. fl. dan. t. 426.

var. *β.* commutata: pedunculis glabris, calcare arcuato. — Syn. L. commutata Bernh. in Rchb. fl. exc. p. 373 et icon. bot. IX. p. 6. L. Elatine Alsch. fl. jadr. p. 138. ex herb! L. graeca Guss. syn. fl. sic. 2. p. 118. — Icon. Rchb. icon. bot. IX. fig. 1101.

var. *γ.* lasiopoda: pedunculis villosis, calcare arcuato rectove.

Hab. in arvis, satisque argillosis tum continentis tum insularum. Flores albido-luteoli, labio superiore intus violaceo, inferiore sulphureo. Floret ab aestate in autumnum. ⨀.

Obs. Ludit quam plurimum foliis subcordato-ovatis integris, vel basi hinc vel utrinque unidentatis, ovato-hastatis, hastatisve, inferioribus ovalibus aut obovatis; pedunculis inferioribus folium aequantibus, superioribus excedentibus, omnino glabris, vel basi et apice villosis medio glabris, vel omnino hirsutis pilis patentibus; corolla, dempto calcare, calyci subaequali, vel majore; calcare nunc omnino arcuato, nunc apice adunco, nunc penitus recto. Sola nota essentialis omnibus hisce formis communis, et speciem a sequente discriminans, est forma laciniarum calycis, quae lanceolatae in illa, in sequente cordato-ovatae. Linaria graeca Chavann. mon. des Antirrh. p. 108 est affinis potius L. cirrosae quam L. Elatine, cum qua ipsam male comparat cl. Chavann., quo fit ut cum illa a quibusdam commutetur. Discrepat a L. Elatine praesertim foliis superioribus sagittato-lanceolatis, et seminibus tuberculatis nec alveolatis: a L. cirrosa vero caule foliisque pilosis, calycis laciniis basi tantum nec toto margine scariosis, corolla calyce duplo longiore. De caetero confer nostram Illustr. di alcun. piant. grec. in Memorie dell' I. R. Istituto Veneto Vol. 1. 1842. Antirrhinum Elatine Bull. herb. de la fr. pl. 245, etsi pedunculis nimis longis, potius sequentem refert.

865. Linaria spuria Mill. gard. dict. n. 15. Vis. stirp. dalm. p. 39. Rchb. fl. germ. exc. p. 374. Alsch. fl. jadr. p. 138.

L. villosa, foliis subrotundo-ovatis, pedunculis filiformibus, laciniis calycinis subcordato-ovatis acutis, seminibus alveolatis.

Syn. Antirrhinum spurium L. sp. pl. ed. II. p. 851. Host fl. austr. 2. p. 198. A. Elatine Bull herb. de la Fr. pl. 245. — Icon. Sow. engl. bot. t. 691. Oed. fl. dan. t. 913. Bull. herb. de la Fr. loc. cit. Fuchs. hist. pl. 167. bona.

Hab. in agris calcareis circa Zara, Sebenico, Torrette, Spalato, Ragusa, et in insula Lesina. Corolla pallida, labio superiore intus purpureo, inferiore flavo, palato croceo. Floret aestate. ⨀.

Obs. Laciniae calycis nunc omnes, nunc exteriores cordato-ovatae, fere ut in Veronica hederaefolia. Folia ludunt ovata vel subrotundo-ovata, vel cordato-subrotunda, integerrima omnia vel inferiora dentata.

866. Linaria cirrosa W. en. pl. h. berol. 2. p. 639. Chavann. mon. des Antirrh. p. 109.

L. sparsim pilosa, foliis hastato-lanceolatis, pedunculis capillaribus apice subtortis,

laciniis calycinis lanceolato-acuminatis margine scariosis, capsula utrinque circumscisse operculata, seminibus tuberculatis.

Syn. Antirrhinum cirrhosum L. mant. II. p. 249. HOST fl. austr. 2. p. 198. — Icon. JACQ. hort. vind. 1. tab. 82. TILL. hort. pisan. tab. 38. f. 2.

Hab. in insula Lesina prope S. Giorgio sec. PORTENSCHLAG in HOST fl. austr. l. c. Habui ex cl. ZAHLBRUCKNER ab ipso PORTENSCHLAG e Dalmatia communicatum. Flores parvi pallidi, aut ex albido caerulei. Floret vere. ⊙.

Obs. Deest in herbario tum HOSTII tum PORTENSCHLAGI, nec a botanicis insulam Lesinam peragratis post PORTENSCHLAGIUM inventa.

Sect. II. Chaenorrhinum.

DC. fl. fr. 5. p. 140.

Foliis ellipticis vel lanceolatis, superioribus sessilibus, floribus axillaribus solitariis in racemum laxum digestis.

867. Linaria minor DESF. fl. atl. 2. p. 46. RCHB. fl. germ. exc. p. 374.

L. glanduloso-pilosa, viscida, caule flexuoso gracili ramosissimo, foliis lanceolato-linearibus obtusis, basi attenuatis, pedunculis calyce fructifero duplo longioribus patulis, seminibus longitudinaliter plicato-sulcatis.

Syn. Antirrhinum minus L. sp. pl. ed. II. p. 852. HOST fl. austr. 2. p. 200. — Icon. Sow. engl. bot. t. 2014. OED. fl. dan. t. 502. BARREL. icon. pl. 758. RIVIN. mon. irr. tab. 85. f. 2.

Hab. in arvis et incultis tum montium Vellebith, tum circa Traù, et in insula Lesina. Flores pallide purpurei, labio inferiore albido, aut ochroleuco. Floret ab aestate in autumnum. ⊙.

868. Linaria litoralis W. en. h. berol. p. 641. RCHB. fl. germ. exc. p. 374.

L. glanduloso-pilosa, viscida, caule crasso stricto ramosissimo, foliis lanceolato-linearibus obtusis, basi attenuatis, pedunculis calyci fructifero subaequalibus strictis, seminibus longitudinaliter plicato-sulcatis.

Syn. Linaria arvensis VIS. stirp. dalm. spec. p. 39. nec alior.

Hab. in cultis incultisque totius Dalmatiae frequens. Flores violacei. Floret aestate. ⊙.

Obs. Praecedenti similis, sed omni parte major, crassior, strictior, et pedunculorum longitudine et directione satis distincta. Labium corollae superius in hac parallele, in illa divaricate bilobum minus tutum praebet discrimen ac ab auctoribus praedicatur. Num huic vel praecedenti spectent Linaria arvensis ALSCH. fl. jadr. p. 138, et L. minor ejusdem ibid. et PETT. bot. Wegw. n. 554. autopsiae defectu statuere nequeo.

Sect. III. Linariastrum.

DC. fl. fr. l. c.

Foliis sessilibus, vel infimis basi attenuatis, floribus terminalibus in racemum spicamve digestis.

* seminibus discoideis marginatis.

869. Linaria alpina MILL. gard. dict. n. 5. RCHB. fl. germ. exc. p. 374. ALSCH. fl. jadr. p. 138.

L. glauca, glaberrima, foliis subcarnosis oblongo-linearibus obtusis, omnibus verticillatis, racemo subcapitato, calycis laciniis linearibus obtusis, capsulam globosam subaequantibus, seminibus discoideis ala integra circumcinctis.

Syn. Antirrhinum alpinum L. sp. pl. ed. II. p. 856. Host fl. austr. 2. p. 200. — Icon. Jacq. fl. austr. 1. tab. 58. Curt. bot. mag. t. 205. Clus. hist. pl. lib. 3. p. 322.

Hab. in lapidosis summi jugi Sveto Bardo dicti in monte Vellebith. Corolla violacea, palato croceo. Floret aestate. ♃.

870. Linaria simplex DC. fl. fr. 3. p. 588. Vis. stirp. dalm. p. 39. Rchb. fl. germ. exc. p. 375.

L. glauca, pedunculis calycibusque glanduloso-pilosis, foliis subcarnosis oblongo-linearibus obtusis glabris, inferioribus verticillatis, racemo subcapitato demum oblongo, calycis laciniis lineari-oblongis obtusis capsula globosa brevioribus, seminibus discoideis ala membranacea subintegra circumcinctis.

Syn. Antirrhinum simplex W. sp. pl. 3. part. I. p. 243. A. arvense γ. L. sp. pl. ed. II. p. 855. A. parviflorum Jacq. icon. rar. 3. p. 7. Host fl. austr. 2. p. 199. ex herb! excl. diagn. et syn. — Icon. Jacq. loc. cit. 3. tab. 499. ColumN. ecphr. I. f. 300. J. Bauh. hist. pl. 3. p. 457.

Hab. in cultis circa Sebenico, et in insula Lesina. Corollae parvae luteae, calyce breviores. Floret vere. ⊙.

871. Linaria pelisseriana Mill. gard. dict. n. 11. Rchb. fl. germ. exc. p. 375.

L. viridis, glabra, foliis inferioribus verticillatis, surculorum ovalibus, caulinis linearibus obtusis, racemo subcapitato demum oblongo, calycis laciniis late lanceolatis acuminatis capsula didyma sublongioribus, seminibus discoideis margine fimbriato-ciliatis.

Syn. Antirrhinum pelisserianum L. sp. pl. ed. II. p. 855. — Icon Sibth. et Sm. fl. graec. tab. 591. Barrel. icon. pl. 1162. Magn. bot. monsp. p. 158.

Hab. in lapidosis circa Cattaro, in monte Bogdassich, nec non in arenosis insularum Ossero, Onie, Lesina et Lacroma. Flores caerulei, palato albo caeruleo striato. Floret ab Aprili ad Junium. ⊙.

872. Linaria vulgaris Mill. gard. dict. n. 1. Vis. stirp. dalm. p. 40. Rchb. fl. germ. exc. p. 376.

L. glauco-virens, foliis sparsis lineari-lanceolatis acutis trinerviis, supra canaliculatis, racemis spicatis, calycis laciniis oblongo-lanceolatis trinerviis acutis capsula oblonga brevioribus, seminibus discoideis ala membranacea circumdatis, medio granulatis.

Syn. Antirrhinum Linaria L. sp. pl. ed. II. p. 858. Host fl. austr. 2. p. 201. — Icon. Sow. engl. bot. t. 658. Lam. ill. des genr. pl. 531. f. 3. Oed. fl. dan. t. 982. — Illyr. Planak. Konopljanka.

Hab. ad margines agrorum, ad aggeres, vias in tota Dalmatia frequens. Corolla pallide flava, gibbis palati aurantiis. Floret ab aestate in autumnum. ♃.

Obs. Num L. vulgaris Alsch. fl. jadr. p. 139. et Pett. bot. Wegw. n. 556. huic vel sequenti pertineat autopsiae defectu statuere nequeo.

873. Linaria italica Trevir. ind. sem. h. Vratisl. 1820. Rchb. icon. bot. V. p. 13.

L. glauca, foliis sparsis lineari-lanceolatis acutis trinerviis, supra planis, racemis spicatis, calycis laciniis oblongo-lanceolatis acutis enervibus, capsula subrotunda brevioribus, seminibus discoideis ala membranacea circumdatis, medio granulatis.

Syn. Antirrhinum Bauhini Gaud. fl. helv. 4. p. 154. A. genistifolium Vill. pl. de dauph. 2. p. 439. non L. A. angustissimum Loisl. notic. suppl. p. 167. Linaria genistifolia DC. fl. fr. 3. p. 591. non Rchb. L. angustifolia Rchb. fl. germ. exc. p. 375. L. linifolia Roch. pl. bann. p. 60. — Icon. Reichb. icon. bot. V. fig. 608. Roch. pl. bann. f. 47. — Illyr. Planak. Konopljanka.

Hab. cum praecedente circa Zara et Traù, nec non in agris montis Svilaja. Flores pallide flavi, gibbis palati aurantiis. Floret ab aestate in autumnum. ♃.

Obs. Nimium affinis praecedenti, a qua capsulae forma praecipue differt. An semper?

** seminibus trigonis.

874. Linaria chalepensis MILL. gard. dict. n. 12. VIS. stirp. dalm. p. 39. RCHB. fl. germ. exc. p. 374. ALSCH. fl. jadr. p. 138. PETT. bot. Wegw. n. 552.

L. viridis, glabra, foliis inferioribus verticillatis, surculorum ovalibus, vel cum caulinis lanceolato-linearibus, racemo florifero virgato, laxo, calycis laciniis linearibus acuminatis capsula emarginata longioribus, quarum quinta breviore, seminibus pyramidato-trigonis lacunoso-rugosis.

Syn. Antirrhinum chalepense L. sp. pl. ed. II. p. 859. SIBTH. et SM. fl. graec. VI. p. 73. HOST fl. austr. 2. p. 202. A. Osyris CYR. pl. neap. 2. p. 21. A. album LAM. fl. fr. 2. p. 354. — Icon. SIBTH. et SM. fl. gr. tab. 592. CYR. l. c. tab. 9. TRIUMF. observ. p. 67. RIVIN. mon. irr. tab. 83. f. 2.

Hab. inter segetes circa Zara, Sebenico, Traù, Spalato, Primorje, Ragusa, et in insulis Cherso et Lesina. Flores albi. Floret vere. ⊙.

Obs. In icone CYRILLI color florum caeruleus falsus: in illa TRIUMFETTI racemi forma minus vera. Rarius calycis laciniae omnes aequales, ut in flore infimo figurae Rivinianae, sed interdum occurrit.

875. Linaria repens MILL. gard. dict. n. 6.

L. glauca, glabra; foliis inferioribus verticillatis oblongis linearibusque, caulinis linearibus, caule paniculato, racemis floriferis spicatis, calycis laciniis oblongis obtusis margine membranaceis, capsulae emarginato-bilobae adpressis subaequalibus, calcare conico recto corolla breviore, seminibus convexo-trigonis rugosis.

Syn. Antirrhinum repens L. sp. pl. ed. II. p. 854. HOST fl. austr. 2. p. 199. A. monspessulanum L. loc. cit. A. striatum LAM. fl. fr. 2. p. 343. Linaria monspessulana MILL. gard. dict. n. 9. VIS. stirp. dalm. p. 39. PETT. bot. Wegw. n. 555. L. striata DC. fl. fr. 3. p. 586. RCHB. fl. germ. exc. p. 374. — Icon. Sow. engl. bot. t. 1253. J. BAUH. hist. pl. 3. lib. 30. p. 459. DILL. h. elth. tab. 163. f. 197.

Hab. in saxosis montosis circa Traù, Spalato, Clissa, Almissa, Macarsca, nec non in insula Lesina. Flores pallide caerulei, striis saturatioribus. Floret aestate. ♃.

Obs. Radix late repens. Differt nostra paullisper a descriptionibus auctorum laciniis calycis non linearibus nec acutis, sed oblongis obtusis et vix apiculatis, quod etiam video in icone Engl. bot., in descriptione cl. HOST, et in planta italica. Species affinis L. purpureae, quae praecipue differt calcare subulato, recurvo, et corollam subaequante, nec non calycibus in fructu patulis recurvisque.

876. Linaria genistifolia MILL. gard. dict n. 14. RCHB. fl. germ. exc. p. 374.

L. glauca, glabra, paniculato-ramosa, foliis lanceolato-linearibus lanceolatisve trinerviis acuminatis, racemis laxis virgatis flexuosis, calycis laciniis lanceolato-attenuatis acutis trinerviis capsulae subrotundae subaequalibus, corollae galea acutiloba, pedicellis fructiferis bractea lanceolata brevioribus, seminibus trigonis, angulis marginatis, lateribus minutissime punctato-rugosis.

Syn. Antirrhinum genistifolium L. sp. pl. ed. II. p. 858. HOST fl. austr. 2. p. 201. — Icon. RCHB. icon. bot. V. f. 626.

Hab. in saxosis apricis circa Cittavecchia in insula Lesina, ubi legit cl. Petr. NISITEO. Corolla citrina. Floret aestate. ♃.

Obs. Species caule paniculato, racemis virgatis flexuosis et seminum forma a L. italica egregie distincta.

877. Linaria dalmatica Mill. gard. dict. no. 13. Vis. stirp. dalm. p. 39. Rchb. fl. germ. exc. p. 375.

L. glauca, glabra, foliis subcarnosis ovato-lanceolatis lanceolatisque tri-quinquenerviis acutis, racemis laxis virgatis flexuosis, calycis laciniis late lanceolatis attenuatis acutis trinerviis capsulae ovatae subaequalibus, corollae galea obtusiloba, pedicellis fructiferis bractea ovata aut ovato-lanceolata longioribus, seminibus trigonis, angulis marginatis, lateribus punctatis rugosis.

Syn. Antirrhinum dalmaticum L. sp. pl. ed. II. p. 857. Host fl. austr. 2. p. 201. Linaria grandiflora Desf. cor. de Tourn. p. 30. — Icon. Rchb. icon. bot. V. f. 629. Desf. l. c. tab. 21. Zanon. rar. stirp. hist. tab. 106. J. Bauh. hist. pl. 3. p. 458. Buxb. cent. pl. 1. tab. 24.

Hab. in apricis, arenosis sterilibus ad catarractam Scardonitanam (Cascata della Kerka), nec non circa Ragusa et Cattaro. Floret ab aestate in serum autumnum. Flores citrini, palati gibbis villo pallide fulvo barbatis, leviter suaveolentes. ♃.

Obs. Radix repens. Caulis basi crassus sublignosus. Variat foliis cordato-ovatis, ovatis et lanceolatis, sub qua ultima forma simulat praecedentem, a qua tamen proceritate bi-quadripedali, foliorum crassitie, bracteis latioribus, pedicellis longioribus, floribus fere duplo majoribus, et corollae galea in lobos apice rotundatos, nec ovato-acutos partita facile disciminatur. Capsula etiam longior et multo major. In icone cl. Rchb. color florum minus bene pingitur flavo-virens, et calcar crassum et conicum nec subulatum, quale est revera.

CCCXII. Antirrhinum L.

Gen. pl. ed. II. p. 120.

Char. Calyx oblique quinquepartitus. Corolla tubo amplo basi anterius saccato, limbo personato quinquelobo. Stamina quatuor didynama, antherarum loculis divergentibus. Capsula basi gibba, apice obliqua, et poris tribus margine trifidis oblique fatiscens. — Class. Didynamia. Ord. Angiospermia Syst. sex. —

878. Antirrhinum Orontium L. sp. pl. ed. II. p. 860. Vis. stirp. dalm. p. 26. Host fl. austr. 2. p. 202. Rchb. fl. germ. exc. p. 376. Alsch. fl. jadr. p. 139. Pett. bot. Wegw. n. 82.

A. foliis lanceolatis glabris, floribus remotis subsessilibus, calycis laciniis lineari-lanceolatis corollae capsulaeque aequalibus longioribusve.

Syn. Orontium arvense Pers. syn. pl. 2. p. 158. — Icon. Th. F. Nees gen. pl. fasc. XVI. no. 11. f. 1—11. Sow. engl. bot. 1155. Gaertn. de fr. et sem. tab. 53. f. a—f. Barrel. icon. pl. 651, 652, 656. Rivin. monop. irr. tab. 82. Matth. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 1258.

Hab. in ruderatis, arvis, locis sterilibus totius Dalmatiae etiam in insulis. Flores purpureo striati rosei, raro albi. Floret a vere in autumnum. Planta ex Linnaeo venenata. ⊙

Obs. Semina oblongo-compressa, dorso carinata, lateribus acute marginata, facie fovea oblonga insculpta, et circa foveam lacunoso-rugosa.

879. Antirrhinum majus L sp. pl. ed. II. β. Vis. stirp. dalm. p. 26. Host fl. austr. 2. p. 202. Rchb. fl. germ. exc. p. 376. Alsch. fl. jadr. p. 139. Pett. bot. Wegw. n. 81.

A. foliis lanceolatis glabris, floribus racemosis pedunculatis, calycis laciniis ovato-rotundatis, corolla capsulaque multo brevioribus.

Icon. Th. F. Nees gen. pl. XVI. n. 11. f. 12—18. Sow. engl. bot. t. 129. Lam.

ill. des genr. t. 531. f. I. GAERTN. de fr. et sem. tab. 53. f. 6. GARID. pl. d'Aix tab. 7. DODON. pempt. p. 182. RIVIN. mon. irr. tab. 82. — Illyr. Psichji.

Hab. ad muros in tota Dalmatia frequens. Flores speciosi ampli, corolla purpureo-rosea aut alba, palato aureo. Floret a vere in autumnum. ♃.

Obs. Ab hoc differt A. latifolium DC. A. majus a. L. pube glandulifera totius plantae, foliis latioribus, nempe ovalibus aut ovali-lanceolatis, corollis pallidis, labio superiore breviore, bifido nec bipartito. Semina subglobosa rugoso-echinulata, scrobiculata.

CCCXIII. Digitalis Tourn.

Instit. rei herb. p. 165. (excl. spec.) tab. 73.

Char. Calyx quinquepartitus. Corolla oblique subcampanulata aut tubuloso-ventricosa, limbo obliquo bilabiato quadrifido, lobo superiore emarginato aut integro. Stamina quatuor didynama declinata, antheris didymis divaricate bilocularibus. Stigma bilamellatum. Capsula septicide bivalvis, septo placentifero demum a valvis libero. — Class. Didynamia. Ord. Angiospermia Syst. sex. —

880. Digitalis grandiflora LAM. fl. fr. 2. p. 332. HOST fl. austr. 2. p. 209. excl. syn. ROTH. et PERS. RCHB. fl. germ. exc. p. 379.

D. foliis oblongo-lanceolatis serratis ciliatis pubescentibus, inferioribus in petiolum attenuatis, superioribus semiamplexicaulibus, racemo glanduloso-tomentoso laxo, laciniis calycis lanceolatis acutis, corollae ventricoso-campanulatae labio superiore truncato aut emarginato, laciniis labii inferioris triangularibus, intermedia reliquis duplo latiore, tuboque multo breviore.

Syn. Digitalis ambigua MURR. prodr. fl. goett. p. 62. D. ochroleuca JACQ. fl. austr. I. HOST fl. austr. 2. p. 208. RCHB. fl. germ. exc. p. 379. — Icon. T. F. NEES gen. pl. XVI. n. 4. RCHB. icon. bot. II. fig. 289. JACQ. l. c. tab. 57.

Hab. in montosis lapidosis Krivoscie supra Risano, in planitie Dversno dicta, ubi legit consil. TOMMASINI. Flores in genere magni sulphurei, intus lineis fuscis reticulati. Floret Junio, Julio. ♃.

881. Digitalis laevigata WALDST. et KIT. pl. rar. hung. 2. p. 171. HOST fl. austr. 2. p. 210. RCHB. fl. germ. exc. p. 378. PETT. bot. Wegw. n. 343.

D. foliis cauleque glabris, inferioribus obovato-lanceolatis remote denticulatis integrisve in petiolum attenuatis, superioribus oblongo-lanceolatis sessilibus integris, racemo multifloro subspicato, laciniis calycis lanceolatis acuminatis margine corollaque extus glanduloso-pubescentibus, corollae breviter campanulato-ventricosae labio superiore truncato aut bifido, lacinia media labii inferioris late ovata tubo paullo breviore, intus barbata.

Icon. WALDST. et KIT. l. c. tab. 158. RCHB. icon. bot. II. f. 285.

Hab. in umbrosis sylvaticis ad pedem montium Vellebith secus viam, in monte Mossor, ad Bergato et Gionchetto prope Ragusa, et ad Lepetane prope Cattaro. Flores ferruginei aut cinnamomei lineis rubris striato-reticulati. Floret aestate. ♃.

Obs. Corollae lacinia infima media interdum acuminata, non raro obtusa, nunc tubo corollae subaequalis, frequentius brevior. Color florum in iconibus supra citatis flavus rubroque lineatus a naturali diversus.

882. Digitalis ferruginea L. sp. pl. ed. II. p. 867. HOST fl. austr. 2. p. 209. non herb! RCHB. fl. germ. exc. p. 378. ALSCH. fl. jadr. p. 138.

D. caule glabro, foliis oblongo-lanceolatis integris margine lanuginosis, inferioribus basi attenuatis, superioribus sessilibus, racemo multifloro dense spicato, laciniis calycis

oblongis, apice rotundatis, margine scariosis glabris, corollae breviter campanulato-ventricosae glanduloso-pubescentis labio superiore truncato aut emarginato, lacinia media labii inferioris spathulato-oblonga tubum subaequante, margine pilis confervoideis dense barbata.

Icon. Curt. bot. mag. tab. 1828. Rchb. icon. bot. II. f. 286. Sibth. et Sm. fl. gr. VII. tab. 606.

Hab. in saxosis rupestribus montium Vellebith. Flores ferruginei, intus lineis saturatioribus reticulati. Floret Majo, Junio. ♃.

Obs. Labium superius truncatum, nunc medio in acumen breve productum, nunc emarginatum. Diagnosis nostra in multis recedit ab illis auctorum, sed autopsiae genuinae stirpis innixa. Huic bene quadrat descriptio Hosteana, etsi in ejusdem herbario loco D. ferrugineae extet specimen D. laevigatae.

CCCXIV. Gratiola L.

Gen. pl. ed. II. p. 20. (excl. spec.)

Char. Calyx quinquepartitus bi-bracteolatus. Corolla tubulosa, tubo angulato, limbo quadrilobo. Stamina quatuor, binis fertilibus bilocularibus, loculis connectivo ampliato extus tectis affixisque, apice discretis. Capsula quadrivalvis, septo placentifero demum a valvis libero. — Class. Diandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

883. Gratiola officinalis L. sp. pl. ed. II. p. 24. Host fl. austr. 2. p. 203. Rchb. fl. germ. exc. p. 376. Alsch. fl. jadr. p. 5. Pett. bot. Wegw. n. 458.

G. foliis oblongo-lanceolatis tri-quinquenerviis superne serratis, basi integerrimis, pedunculis calyce longioribus axillaribus unifloris.

Icon. T. F. Nees gen. pl. fasc. XVI. n. 6. Lam. ill. des genr. pl. 16. f. 1. Oed. fl. dan. t. 363. Rivin. mon. irr. tab. 106. Matth. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 734. — Illyr. Dubçacz voddeni. Broçika. Mjesseçnik.

Hab. in aquosis et uliginosis totius Dalmatiae, etiam in insulis. Corolla tubo flavido, limbo albo aut roseo. Floret ab Aprili in aestatem. ♃.

Obs. Connectivum ampliatum antherae loculos ipsi extus adhaerentes quaquaversus excedit, ideoque eos undique, nec tantum inferne, tegit, secus ac in icone cl. Nees supra citata f. 5. Valvae fructus facile bipartibiles: hinc capsula quadrivalvis.

Usus. Herba omnis acris et valde amara: hinc sub anthesi lecta, et recens sumpta emetica, drastica, diuretica, anthelmintica, praesertim prodest in febribus periodicis sub forma pulveris ad drachmam unam et semis, decocti ad drachmas tres.

CCCXV. Veronica Tourn.

Inst. rei herb. p. 143. tab. 60.

Char. Calyx quadri-quinquepartitus. Corolla subrotata, limbo quadripartito, lacinia infima minore vel angustiore. Stamina bina, antherarum loculis apice confluentibus. Stigma indivisum. Capsula emarginata bivalvis, septo utrinque placentifero. — Class. Diandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

Sect. I. Veronicae

Rchb. fl. germ. exc. p. 366.

Floribus racemosis, seminibus plano-convexis.
* racemo terminali, cum vel sine lateralibus.

884. Veronica spicata L. sp. pl. ed. II. p. 14. Vis. stirp. dalm. p. 51. Host fl. aust. 1. p. 8. Rchb. fl. germ. exc. p. 370. Alsch. fl. jadr. p. 7. Pett. bot. Wegw. n. 1008.

V. cinereo-pubescens, foliis oppositis oblongis crenato-serratis, basi cuneata apiceque obtuso integerrimis, racemo dense spicato elongato, pedunculis bractea lanceolato-subulata calyceque multo brevioribus, calyce quadri-quinquepartito capsula ovali turgida emarginato-biloba breviore, stylo capsulae lobis obtusis brevissimis multo longiore.

Icon. Sow. engl. bot. t. 2. Oed. fl. dan. t. 52. Vaill. botan. paris. tab. 33. f. 4. Zannich. ist. piant. ven. tab. 73. f. 1. 2.

Hab in apricis saxosis Dalmatiae montanae, et in montibus Vellebith, Promina, Biokovo, et circa Ragusa. Flores caerulei vel carnei. Floret aestate. ♃.

Obs. Variat in Flora nostra glabriuscula vel pubescens, monostachya vel polystachya, et calyce frequentius quadripartito, raro quinquepartito.

885. Veronica longifolia L. sp. pl. ed. II. p. 13. Host. fl. austr. 1. p. 4.

V. pubescens, foliis verticillato-ternis oppositisque ex ovata aut cordata basi lanceolatis, acuminatis, toto margine argute duplicato-serratis, racemo spicato elongato, pedunculis bractea lineari-subulata et calyce paullo brevioribus, calyce quadripartito capsulae ovali truncatae leviter emarginatae subaequali, stylo lobis capsulae rotundatis brevissimis multo longiore.

Syn. V. maritima var. e. Rchb. fl. germ. exc. p. 372. — Icon. Schrad. comment. sup. Veron. tab. 2. f. 1. Spr. tent. fl. hal. tab. 1. f. 3. Clus. hist. pl. p. LII. Barrel. icon. pl. 891. Lobel. icon. stirp. p. 344.

Hab. in herbidis montis Vellebith, ubi legit lib. bar. a Welden. Flores caerulei. Floret aestate. ♃.

Obs. Quoad varietates et synonima tum hujus tum praecedentis confer cl. Koch syn. fl. germ. et helv. ed. II. p. 606. 607.

886. Veronica saturejoides Vis.

V. caulibus caespitosis basi fruticulosis, foliis oppositis decussatis confertis oblongis obovatisve, apice subdentatis vel integerrimis, infimis minoribus, racemo spicato piloso, pedunculis bractea obovata calyceque brevioribus, calyce inaequaliter quinquepartito capsulam obcordatam, basi turgidam cuneatam, apice compressam aequante, stylo lobis capsulae rotundatis ciliatis multo longiore.

Icon. Fl. dalm. II. tab. XXXIII. f. 2. *e.* cal. ped. bract. *f.* cor. *g.* caps. *h.* sem. dors. *i.* fac.

Hab. in saxosis summi verticis montis Dinara et in Kamesnizza montis Prologh, altit. a 4800 ad 5500 ped. paris. Flores caerulei. Defloratam inveni Julio. ♄.

Descr. Planta bi-tripollicaris. Radix fibris longis, lignosis, tenuibus, fibrillosis. Caules ramosissimi, basi fruticulosi decumbentes nudi, sursum adscendentes foliosi floriferi. Folia opposita decussata crassiuscula plana uninervia, obovata aut oblonga, basi angustata, obtusa vel acutiuscula, subsessilia, apice subdentata vel integerrima, glabra vel basi ciliata, conferta, nitidula. Flores in axilla bracteae obovatae solitarii pedicellati, in racemum terminalem spicatum semipollicarem villosulum digesti, pedicello calyce bracteaque breviore, sub flore noduloso-incrassato pubescente erecto. Calyx quinquepartitus, laciniis duabus superioribus quidquam majoribus, infima minima, omnibus oblongo-lanceolatis pubescentibus, pilis longioribus basi ciliatis, capsulaque matura paullo brevioribus. Corolla basi tubulosa, limbo rotata quadrifida subbilabiata, scilicet lobis duobus erectis, duobus deflexis, oblongis subaequalibus glabris caeruleis. Stamina bina antheris sagittatis; stylus capsula longior, stigmate subincrassato. Capsula obcordata basi turgida cuneata, apice compressa pilosa, lobis rotundatis verticalibus stylo multoties brevioribus, utrinque sulco longitudinali exarata, seminibus lentiformibus planis subinaequaliter orbiculatis cinnamomeis, funiculo nigricante. Pubes partium floralium e pilis longiusculis varie flexis albidis, saepissime, nec semper, eglandulosis. Planta haud florida Saturejae subspicatae habitum refert.

Obs. Affinis Veronicae saxatili et V. fruticulosae. Differt ab utraque pedicellis bractea brevioribus, calyce quinquepartito, et praecipue capsula exacte obcordata, lobis rotundatis rectis nec conniventibus, quae in illis ovata aut ovalis. Corollas fere arefactas videre contigit.

887. Veronica serpyllifolia L. sp. pl. ed. II. p. 15. Host fl. austr. 1. p. 10. Rchb. fl. exc. p. 369. Alsch. fl. jadr. p. 7.

V. foliis ovato-oblongis subcrenatis, racemo laxo elongato, pedunculis bractea lanceolata brevioribus calycem subaequantibus, calyce quadripartito, capsula subrotundo-obcordata compressa breviore, stylo lobis capsulae rotundatis piloso-glandulosis multo breviore.

Icon. Sow. engl. bot. t. 1075. Krock. flor. siles. 1. tab. 4. f. A. B. Dodon. pempt. p. 41. Rivin. mon. irr. tab. 93. f. 1. et 99. f. 1.

Hab. in herbidis et umbrosis in insula Veglia, circa Zara, circa Verlika, Mavize, et in montibus Biokovo et Sella. Flores albi venis caeruleis. Floret Majo, Julio. ♃.

Obs. Variat major et minor, ut ex iconibus Rivini mox citatis; glabra aut puberula.

888. Veronica acinifolia L. sp. pl. ed. II. p. 19. Host fl. austr. 1. p. 17. Rchb. fl. exc. p. 366.

V. glanduloso-pilosa, foliis ovatis subserratis, racemo laxo elongato, pedunculis bractea oblonga calyceque longioribus, calyce inaequaliter quadripartito capsulam semibifidam transverse latiorem subaequante, stylo lobos capsulae orbiculatos divaricatos aequante.

Syn. V. praecox Alsch. fl. jadr. p. 7. non All. — Icon. Cosson et Germ. fl. paris. atl. tab. XVI. f. 9. 10. Vaill. bot. paris. tab. 33. f. 3. Boccon. mus. piant. rar. tab. 9. f. 2. et tab. 102. f. 4.

Hab. in cultis circa Zara et in insula Lesina. Floret vere. Flores caerulei striati. ⊙.

Obs. Differt a. V. praecoce praecipue capsula latiore et seminibus planis, quorum prima in illa ovali-obcordata lobis non divergentibus, altera concava pelviformia.

889. Veronica arvensis L. sp. pl ed. II. p. 18. Host fl. austr. 1. p. 18. Rchb. fl. exc. p. 366. Alsch. fl. jadr. p. 6.

V. pubescens, foliis dentatis, inferioribus ovatis petiolatis, superioribus subcordato-ovatis sessilibus, racemo laxo elongato, pedunculis bractea lanceolata calyceque multo brevioribus, calyce inaequaliter quadripartito capsulam obcordato-bilobam subaequante, stylo capsulae lobis rotundatis aequilongo.

Icon. Cosson et Germ. l. c. f. 12. Sow. engl. bot. t. 734. Oed. fl. dan. t. 515. Columm. phytob. p. 28.

Hab. in cultis et sterilibus totius Dalmatiae frequens. Floret a vere ad aestatem. Corollae minimae coeruleae. ⊙.

** racemis omnibus axillaribus.

890. Veronica officinalis L. sp. pl. ed. II. p. 14. Vis. stirp. dalm. p. 51. Host fl. austr. 1. p. 15. Rchb. fl. exc. p. 367. Alsch. fl. jadr. p. 7.

V. pubescens, foliis crenato-serratis, omnibus petiolatis ellipticis obovatisve, basi cuneatis integris, racemis laxiusculis, plerisque alternis, pedunculis bractea lanceolato-lineari calyceque multo brevioribus, calyce quadripartito capsula triangulari-obcordata compressa breviore, stylo lobis capsulae divaricatis obtusiusculis duplo longiore.

Icon. Cosson et Germ. fl. paris. atl. XVII. f. 1. 2. Sow. engl. bot. t. 765. Flor. dan. tab. 248. Bull. herb. de la Fr. tab. 293. Rivin. mon. irr. tab. 93. — Illyr. Verunika. Çestoslavicza. Ranjenik.

Hab. in pascuis sylvaticis montium Vellebith, Svilaja, Prologh, Biokovo, Sella. Flores caerulei striati. Floret aestate ♃.

Usus. Folia extus applicita vulneraria, sub forma infusionis intus sumpta diaphoretica.

891. Veronica Pseudo-Chamaedrys JACQ. fl. austr. 1. p. 37.

V. pubescens, foliis obtusis inciso-serratis sessilibus, subcordato-ovatis oblongisve, racemis oppositis laxiusculis elongatis, pedunculis bractea lanceolato-lineari brevioribus, calycem subaequantibus, calyce inaequaliter quinquepartito capsulae obovato-orbiculari compressae bilobae subaequali, stylo lobis capsulae obtusiusculis multo longiore.

Syn. V. latifolia L. herb. juxta SM. REES cycl. v. 37. n. 58. HOST fl. austr. 1. p. 13. RCHB. fl. exc. p. 368. excl. var. a. f. g. h. i. (non L. oper.) — Icon. CLUS. hist. pl. 3. p. 349. f. 1. MORIS. hist. oxon. sect. III. tab. 23. f. 10. MATTH. disc. sopra Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 864.

Hab. in sylvaticis et pascuis montium Vellebith, ubi legit lib. bar. a WELDEN. Corollae magnae violaceo-caeruleae, venis saturatioribus pictae. Floret aestate ♃.

Obs. Inter V. Chamaedrym et V. austriacam media. Differt ab illa foliis omnino sessilibus, calyce capsulam subaequante, et capsula ovata subrotunda, nec triangulari, lobis divaricatis: ab hac foliis latioribus nec laciniatis, pedunculis brevioribus, calyce capsulam subaequante. Affinior quidem V. Teucrium, cujus forsitan varietas grandior latifolia. Veronica latifolia L. ex descriptione et synonimis et iconibus a Linnaeo ipso prolatis est eadem species serius a JACQUINO dicta V. urticifolia, quam confer.

892. Veronica Chamaedrys L. sp. pl. ed. II. p. 17. VIS. stirp. dalm. p. 51. HOST fl. austr. 1. p. 14. RCHB. fl. exc. p. 367. ALSCH. fl. jadr. p. 7. PETT. bot. Wegw. n. 1005.

V. pubescens, foliis obtuse inciso-serratis, breviter petiolatis, subcordato-ovatis, racemis oppositis laxis elongatis, pedunculis bractea lanceolato-lineari subbrevioribus, calyci subaequalibus, calyce inaequaliter quadripartito capsula triangulari-obcordata compressa breviore, stylo lobis capsulae rotundatis divaricatis duplo longiore.

Icon. COSSON et GERM. fl. paris. atl. XVII. f. 8. 9. Sow. engl. bot. t. 623. OED. fl. dan. t. 448. RIVIN. mon. irr. tab. 94. CLUS. hist. 3. p. 352. f. sup. FUCHS. hist. stirp. p. 872

Hab. in herbidis, ad sepes et vias agrestes circa Carin, in Vellebith, circa Dernis, Knin, Salona, Ossoje, Vergoraz, Ragusa. Flores magni laete caerulei. Floret vere. ♃.

Obs. In hac quoque ut in praecedente caulis lineis duabus oppositis pilosioribus insignitur, sed inter hasce nunc omnino glaber et nitidus, nunc raris pilis inspersus. Ludit quoque foliis inciso-pinnatifides.

893. Veronica austriaca L. sp. pl. ed. II. p. 17. VIS. stirp. dalm. p. 51. PETT. bot. Wegw. n. 1103.

V. canescens, caulibus basi fruticulosis, foliis oblongis serrato-incisis aut pinnatopartitis, ovatisve palmato-partitis, inferioribus petiolatis, racemis laxis elongatis, pedunculis bractea lineari calyceque longioribus, calyce valde inaequaliter quadri-quinquepartito capsula orbiculato-elliptica emarginata compressa longiore, stylo lobis capsulae multo longiore.

Syn. V. austriaca, et V. multifida JACQ. fl. austr. 4. p. 16. ALSCH. fl. jadr. p. 7. non L. V. prostrata e. f. RCHB. fl. exc. p. 368, et V. latifolia g. (excl. syn. W.) h. i. RCHB. l. c. — Icon. J. BAUH. hist. 3. p. 287. MORIS. hist. pl. 3. tab. 23. f. 17. JACQ. fl. austr. 4. tab. 329. f. 1—5. CURT. bot. mag. t. 1679.

var. α. capsula orbiculata, levissime emarginata.

var. β. capsula elliptica aut obovato-elliptica biloba.

Hab. in saxosis apricis totius Dalmatiae frequens. Corollae pallide caeruleae striatae, raro albae. Floret Aprili, Majo. ♃. aut ♄

Obs. Stirps mire varians caule bifariam piloso vel undique canescente, foliis linearibus, oblongis vel ovatis, incisis vel pinnatifidis bipinnatifidisque, vel palmato-partitis, laciniis latioribus linearibusque, calycis glabritie aut pubescentia; capsula denique orbiculata, aut elliptica, aut basi leviter attenuata, nunc apice emarginata, nunc biloba, modo glaberrima modo pubescente. Ad var. β. spectare videtur V. prostrata Rchb. fl. exc. p. 368 saltem quoad varietates e. f., sed characteres capsulae minime in hac specie constantes, nam in eodem specimine capsulas video nunc basi rotundatas, nunc vix attenuatas. Caeterum V. prostrata, V. Teucrium, V. austriaca, V. multifida, et fors ipsa V. Pseudo-Chamaedrys videntur lusus ejusdem speciei ex statione diversa.

894. Veronica latifolia L. sp. pl. ed. II. p. 18. Scop. fl. carn. ed. II. tom. 1. p. 13.

V. pubescens stricta, foliis sessilibus cordato-ovatis ovatisve argute serratis, superioribus ovato-lanceolatis acuminatis, racemis laxis elongatis oppositis, pedunculis bractea lineari calyceque longioribus, calyce subaequaliter quadripartito capsula suborbiculari emarginata compressa breviore, stylo lobis capsulae multo longiore.

Syn. V. urticaefolia Jacq. fl. austr. 1. p. 37. (1773). L. fil. suppl. p. 83. (1781). Host fl. austr. 1. p. 14. Rchb. fl. exc. p. 367. — Icon. Jacq. fl. austr. 1. tab. 59. J. Bauh. hist. 3. p. 286. Moris. hist. oxon. 1. sect. III. tab. 23. f. 18. Dalech. hist. lugd. 1165.

Hab. in umbrosis montium Vellebith nec non in montanis insulae Lesina. Flores pallide caerulei, vel rosei, striati. Floret vere et aestate. ♃.

Obs. De vera V. latifolia L. ambigitur inter auctores ea de causa, quod cl. Smith cum invenerit sub hoc nomine in herbario Linnaeano V. Pseudo-Chamaedrym Jacq., judicium tulerit Linnaeum hanc pro illa habuisse, et synonimorum iconumque a Linnaeo citatorum discrepantiam ab eo specimine animadvertens, ut prolatam sententiam quoque modo tueretur, asserere non dubitavit omnes citationes illas erratas esse. Aequius sane et reverentius egisset, si minus herbario fidens (quarum collectionum vicissitudines cuique obviae nec isti penitus defuere) quam ejusdem operibus, suspicatus fuisset loco V. latifoliae vel falsum nomen vel falsum specimen irrepsisse. Tamen Smithii sententiae auctores fere omnes hactenus subscripsere, paucis contradicentibus. Mihi autem consideranti, non solum synonima Horti Cliffortiani, Bauhini, Rojeni, et Boerhaavii, sed et icones Morisoni et Dalechampii a Linnaeo suae V. latifoliae tributa, uni V. urticaefoliae recentiorum spectare, et V. Pseudo-Chamaedrym excludere, aequius videtur credere vel specimen modo extans in ejus herbario, Linnaei tempore defuisse, vel saltem ipsum in planta sua definienda et illustranda aliud certe ob oculos habuisse, quam admittere in tanto viro tantam in vulgaris plantae synonimia errorum congeriem. Quod fere probatum erit cuicumque consideret, Linnaeum ad suam V. latifoliam, Gouani verba exscripsisse = calycina foliola ovata aequalia = quae, cum V. urticaefoliam specialius designent, et V. Pseudo-Chamaedrym, laciniis calycinis linearibus et inaequalibus praeditam, evidenter excludant, clarius evincunt Linnaeum aliam descripsisse plantam ac illa, quae modo sub V. latifolia sua herbarium exhibet, scilicet V. urticifoliam Jacq., quae vera est planta Gouani auctorumque omnium ab ipso sub antedicto nomine citatorum. Nec Smithio melius Willdenowius, qui ut Gouani plantam ad V. latifoliam recentiorum traheret, ejus verba (quae talia profecto sunt = foliolis calycinis ovatis subaequalibus = Fl. monsp. p. 65 =) in alia plane diversa mutare ausus est = calycina foliola quinque ovata aequalia Sp. pl. 1. p. 71 =, quin videret verba haec neutri e controversis speciebus facere, cum in V. urticifolia calycis laciniae sint ovatae et aequales sed quatuor, in V. Pseudo-Chamaedry[illegible] quinque sed inaequales et lineares, in harum neutra ovatae simul, et [illegible]aequales et quinae.

895. Veronica Anagallis L. sp. pl. ed. II. p. 16. Host fl. austr. 1. p. 11. Rchb. fl. exc. p. 367. Alsch. fl. jadr. p. 7. Pett. bot. Wegw. n. 1002.

V. glabra, erecta, basi radicans, foliis oblongo-lanceolatis ovatisque acutis serratis, superioribus sessilibus, racemis laxis elongatis oppositis, pedunculis bractea lineari calyceque longioribus, calyce inaequaliter quadripartito capsulam orbicularem turgidulam anguste aut leviter emarginatam aequante, stylo lobis capsulae multo longiore.

Icon. Sow. engl. bot. t. 781. Oed. fl. dan. t. 903. J. Bauh. hist. 3. p. 791.

var. β. ovalis: foliis ovalibus, pluribus petiolatis. — Icon. Tabern. icon. p. 719. f. 2.

Hab. in aquosis circa Zara, Sebenico, Scardona, Verlika, Traù, Spalato, Ragusa et Cattaro, nec non in insula Lesina. Flores caerulei striati. Floret a vere in aestatem: var. β. iisdem locis ad Cascata della Kerka. ♃.

Obs. V. anagalloides Guss. pl. rar. p. 5. tab. 3. videtur diversa praesertim capsulae forma ovali utrinque attenuata et a calyce exserta. Folia plus minus angusta, et capsula nunc anguste et profunde, nunc late et leviter emarginata, ludunt etiam in V. Anagalli. Var. β. sequenti accedit.

896. Veronica Beccabunga L. sp. pl. ed. II. p. 16. Host fl. austr. 1. p. 11. Rchb. fl. exc. p. 368. Pett. bot. Wegw. n. 1004.

V. glabra, adscendens, basi radicans, foliis ellipticis oblongisve obtusis crenato-serratis, supremis sessilibus, racemis laxis elongatis oppositis, pedunculis bractea lineari calyceque longioribus, calyce inaequaliter quadripartito capsulam subrotundam leviter emarginatam aequante, stylo lobis capsulae multo longiore.

Icon. Cosson et Germ. fl. paris. atl. XVII. f. 6. Sow. engl. bot. t. 655. Flor. dan. tab. 511. Blackw. herb. tab. 48. f. 1. Dodon. pempt. p. 593. Rivin. mon. irr. tab. 97. f. 1.

Hab. in aquosis circa Dernis, Sebenico, Salona, Cattaro. Flores caerulei striati. Floret Aprili, Majo. ♃.

Usus. Succus recens diu sumptus prodest scorbuticis.

Sect. II. Omphalosporae *Bess.*

En. pl. Vohl. ed Pod. p. 85.

floribus axillaribus solitariis, seminibus convexo-concavis.

897. Veronica agrestis L. sp. pl. ed. II. p. 18. Host fl. austr. 1. p. 16. Alsch. fl. jadr. p. 6. Pett. bot. Wegw. n. 1001.

V. procumbens, foliis subcordatis obtuse inciso-serratis, pedunculis folium aequantibus aut vix longioribus, fructiferis revolutis, calycis quadripartiti laciniis capsulae turgidae bilobae aequalibus, stylo lobis capsulae sublongiore.

var. α. Linnaeana: calycis laciniis ovato-attenuatis obtusiusculis. — Syn. V. agrestis Fries! nov. fl. svec. ed. II. p. 2. Rchb. fl. exc. p. 365. et recentiorum. V. opaca Fries! l. c p. 3. Rchb. fl. exc. p. 365. — Icon. Rchb. icon. bot. cent. III. fig. 440. 441. Fuchs hist. p. 22.

var. β. Tenoreana: calycis laciniis late ovatis acutiusculis. — Syn. V. didyma Ten. fl. neap. prodr. p. 6. V. polita Fries! nov. fl. svec. ed. II. p. 1. Rchb. fl. exc. p. 365. — Icon. Rchb. icon. bot. cent. III. fig. 404. 405. Sow. engl. bot. tab. 783. Oed. fl. dan. tab. 449. Rivin. mon. irr. tab. 99. f. 2.

Hab. in agris et cultis totius Dalmatiae, etiam in insulis, utraque planta promiscue. Flores caerulei fauce albida. Floret a vere in autumnum ☉.

Obs. Ex accurata comparatione plurimorum speciminum, inter quae authentica cl. Friesii ab ill. de Hilldebrand communicata, V. agrestis, V. opacae, et V. politae Fries et recentiorum, clare patuit plantas hasce unicam speciem conficere, admodum ludibundam foliis cordato-subrotundis, aut cordato-ovatis oblongisve, pedunculis folio aequalibus vel sublongioribus, capsula pilosa vel puberula vel glandulosa, loculis 6—8-spermis et globoso-turgidis, vel subtetraspermis et tunc margine superiore compresso-carinatis. In ipso specimine Friesiano V. opacae vidi loculos hexaspermos nec dispermos, quod quam parum fidendum sit seminum numero in hisce plantis discriminandis satis probat. Sola forma laciniarum calycinarum binas plantas paullisper distinguit, sed adsunt transitiones ab anguste ovatis ad late ovatas, quarum ope ab una ad alteram itur. In V. opaca laciniae calycis ejusdem formae sunt ac in V. agresti. Hinc opinioni accedo cl. Bentham has species in unicam copulantis in DC. prodr. X. p. 487.

898. Veronica Buxbaumii Tenor. fl. napol. p. 7. Vis. stirp. dalm. p. 51. Host fl. austr. 1. p. 16. Rchb. fl. exc. p. 365.

V. procumbens, foliis subcordato-ovatis inciso serratis, pedunculis folio longioribus, fructiferis patulis apice nutantibus, calycis quadripartiti laciniis lanceolatis capsula compressa biloba dilatata longioribus, stylo lobos capsulae divaricatos superante.

Syn. V. hospita Röhl. Mert. et K. deutschl. fl. 1. p. 332. V. agrestis var. byzantiaca Sm. fl. graec. cent. I. p. 6. — Icon. Cosson et Germ. l. c. XVI. f. 4—5. Th. F. Nees gen. pl. XVI. no. 17. f. 18. 24. Sibth. et Sm. fl. gr. tab. 8. Tenor. fl. napol. tab. 1. Rchb. icon. bot. III. f. 430. 431. Buxb. cent. pl. I. tab. 40. f. 2.

Hab. in cultis et herbidis circa Sebenico, Dernis, Spalato, Salona. Flores majusculi caerulei, fauce alba. Floret primo vere ⊙.

Obs. Differt a praecedente, cui similis, magnitudine omnium partium multo majore, pedunculis longioribus, et praecipue calycis laciniis lanceolatis, et capsulae latissimae lobis divaricatis.

899. Veronica hederifolia L. sp. pl. ed. II. p. 19. Vis. stirp. dalm. p. 51. Host fl. austr. 1. p. 15. Rchb. fl. exc. p. 6. Pett. bot. Wegw. n. 1007.

V. procumbens, foliis cordato-semirotundatis tri-quinquelobis, pedunculis folio subaequalibus, fructiferis patulis, calycis quadripartiti laciniis cordato-ovatis acutis, fructiferis conniventibus capsula globoso-quadriloba subaequalibus, stylo lobos capsulae vix superante.

Icon. Cosson et Germ. l. c. XVI. f. 1. 2. Sow. engl. bot. tab. 784. Oed. fl. dan. tab. 428. Vivian. fl. ital. fragm. 1. tab. 16. f. 2. Rivin. mon. irr. tab. 99. f. 3.

Hab. in agris et satis totius Dalmatiae. Flores caerulei aut albi. Floret Martio. ○.

900. Veronica Cymbalaria Bodard mém. sur la Ver. Cymb. p. 3. Vis. stirp. dalm. p. 51. Rchb. fl. exc. p. 365. Pett. bot. Wegw. n. 1006.

V. prostrata, foliis cordato-semirotundatis subseptemlobis, pedunculis folio longioribus, fructiferis patulis, calycis quadripartiti laciniis ellipticis, fructiferis patentissimis capsula globoso-quadriloba subaequalibus, stylo lobos capsulae superante.

Syn. V. Cymbalariaefolia Vahl en. pl. 1. p. 81. Vivian. fl. ital. fragm. 1. p. 14. Host fl. austr. 1. p. 15. V. hederifolia β. L. sp. pl. ed. II. p. 19. — Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. 1. tab. 9. Vivian. l. c. tab. 16. f. 1. — Illyr. Klubàic za.

Hab. in ruderatis, saxosis, ad muros et rupes circa Sebenico, Spalato, Ragusa, et in insulis Veglia, Lesina. Flores albi. Floret Februario. ○.

Obs. Caules pallidi succulenti, ramis patentibus intertextis. Laciniae calycis ovales, nempe utrinque angustatae, et in fructu patentes, et semina laeviuscula nec transverse rugosa, hanc a praecedente distinguunt. V. panormitana Tin. in Guss. fl. sic. syn. p. 17, juxta specimen e loco classico, est ipsammet V. Cymbalaria glabrior et minor.

Subordo III. RHINANTHACEAE *DC.*

Fl. franç. 3. p. 454. (excl. gen.)

antheris bilocularibus oblongis apici filamentorum aequali affixis, rima longitudinali dehiscentibus, basi acutis vel mucronatis.

CCCXVI. Euphrasia Tourn.

Instit. rei herb. p. 174. tab. 77.

Char. Calyx quadrifidus. Corolla ringens, labio superiore galeato, bifido aut integro, inferiore trifido. Stamina quatuor didynama, antheris bilocularibus, loculis parallelis

basi mucronatis. Stigma indivisum. Capsula ab apice loculicide dehiscens bivalvis, valvis longitudinaliter septo placentifero diremptis, seminibus striatis, costatis, aut laeviusculis. — Class. Didynamia. Ord. Angiospermia Syst. sex. —

Sect. I. Euphrasium.

KOCH syn. fl. germ. ed. II. p. 627.

calyce tubuloso, antherae loculo inferiore in staminibus brevioribus longius mucronato, capsula oblonga retusa.

901. Euphrasia officinalis L. sp. pl. ed. II. p. 541.

E. foliis imis crenatis, floralibus acute aut mucronato-serratis, corollis glabris.

var. α. vulgaris: caulibus laxis apice floriferis, foliis ovatis oblongisve, floralibus cuspidato-serratis. — Syn. E. officinalis HOST fl. austr. 2. p. 185. Sow. engl. bot. n. 1416. BULL. herb. de la Fr. 2. p. 233. E. pratensis RCHB. fl. exc. p. 359. E. officinalis β. nemorosa PERS. syn. pl. 2. p. 149. VIS. stirp. dalm. p. 35. E. nemorosa RCHB. fl. exc. p. 358. — Icon. Coss. et GERM. fl. paris. atl. XVIII. f. A. TH. F. NEES gen. pl. fasc. XVI. n. 7. Sow. engl. bot. tab. 1416. BULL. herb. de la Fr. 2. tab. 233. LAM. ill. dés genr. pl. 518. f. 2. Fl. dan. tab. 1037. RIVIN. mon. irr. tab. 90. f. 1. — Illyr. Çārnicza. Vidacz. Osslenicza. Viddiza.

var. β. stricta: caule rigido, elongato, a basi florifero, stricto, foliis omnibus ovatis oblongisve, cuspidato-serratis. — Syn. E. stricta HOST! fl. austr. 2. p. 185. E. pectinata TEN! fl. nap. prodr. p. 36.

var. γ. salisburgensis: caule ramoso pumilo, ramis a basi floriferis, foliis lanceolatis linearibusve pectinato-serratis aristatisque. — Syn. E. salisburgensis FUNK in HOPP. tasch. 1794. p. 190. HOST fl. austr. 2. p. 185. RCHB. fl. exc. p. 359. — Icon. BOCCON. mus. piant. rar. p. 60. f. 1. bona.

Hab. var. α. in pascuis graminosis montium Beljak et Prologh: β. et γ. in saxosis subalpinis montium Dinara et Biokovo. Flores albi aut caerulei. Floret aestate. ⊙.

Obs. Ludit passim foliis latioribus aut angustioribus, altius vel brevius dentatis, dentibus praecipue foliorum floralium plus minus longe aristatis. E. officinalis β. nemorosa juxta iconem BULLIARDI a PERSOONO citatam ad nostram var. α. pertinet, nec sequenti. E. stricta HOST e contra ex herbario suo et descriptione ab illa recedit, et varietatem diversam sistit, cui referri debet E. pectinata TEN. juxta specimen authenticum et descriptionem auctoris hujus. Var. γ. saepe tota atropurpurea. Inter varietates supra dictas adsunt formae intermediae de speciei unitate evidenter testantes

Sect. II. Odontites

DUBY bot. gall. p. 354.

calyce tubuloso, antherarum omnium loculis aequaliter mucronatis, capsula oblonga retusa.

902. Euphrasia Odontites β. L. sp. pl. ed. II. p. 842.

E. foliis lanceolato-attenuatis, remote serratis, extus pubescentibus, antherae apice pilis capitatis barbato.

Syn. E. serotina LAM. fl. fr. ed. II. 2. p. 350. PETT. bot. Wegw. n. 399. E. Odontites HOST fl. austr. 2. p. 183. ALSCH. fl. jadr. p. 136. Bartsia Odontites Sow. engl. bot. p. 1455. Odontites serotina RCHB. fl. exc. p. 359. Odontites rubra PERS. syn. 2. p. 150. — Icon. TH. F. NEES gen. pl. XVI. Nr. 8. f. 1—19. Sow. engl. bot. tab. 1415. COL. ecphr. 1. p. 203. BARREL. icon. pl. p. 276. f. 2.

Hab. in vineis et arvis circa Zara, Dernis, Ragusa, et in insulis Veglia, Ossero. Corolla purpurea. Floret ab aestate in autumnum. ⊙.

Obs. E. Odontitem L. sive Odontitem vernam Rchb. aliorumque ab hac notis constantibus differre non video, nam bracteae interdum flores superant etiam in varietate, folia quandoque petiolata sunt et basi vix attenuata in utraque, flores nubiles semper dense digesti, foecundatione peracta laxiores. Horum pedicelli in specie quidquam longiores, sed nec in varietate omnino deficiunt.

903. Euphrasia lutea L. sp. pl. ed. II. p. 842. Vis. stirp. dalm. p. 35. Host fl. austr. 2. p. 186. Alsch. fl. jadr. p. 137. Pett. bot. Wegw. n. 398.

E. foliis linearibus subintegerrimis, corollis extus pubescentibus, antherae apice nudo.

Syn. Odontitis lutea Rchb. fl. exc. p. 259 (excl. syn. Gaud.). — Icon. Coss. et Germ. fl. paris. atl. XVIII. f. B. Jacq. fl. austr. tab. 398. Moris. hist. oxon. sect. IX. tab. 24. f. 16. Col. ecphr. 1. p. 203.

Hab. in apricis, saxosis, collinis, sterilibus totius Dalmatiae, etiam in insulis. Flores lutei. Floret ab aestate in autumnum. ☉.

Obs. Capsula nunc calycem aequat nunc superat. — Genus Odontites Hall. et recentiorum non differt ab Euphrasia nec lobis labii inferioris integris, cum adsint Euphrasiae plures lobis hisce integris vel vix retusis: nec seminum numero quae ludunt in utroque genere sena, octona vel plura: nec horum forma, quae vix diversa.

Sect. III. Eufragia.

Griseb. spic. fl. rum. 2. p. 13.

calyce tubuloso, antherarum loculis aequaliter mucronatis, capsula apice attenuata membranacea.

904. Euphrasia latifolia L. sp. pl. ed. II. p. 841. Pett. bot. Wegw. n. 397.

E. foliis sessilibus ovatis inciso-dentatis, superioribus palmatifidis, spica superne imbricata, antheris glabris.

Syn. Bartsia latifolia Sibth. et Sm. fl. graec. prodr. 1. p. 428. Host fl. austr. 2. p. 182. Alsch. fl. jadr. p. 136. Trixago latifolia Mert. et Koch deutsch. fl. 4. p. 346. Rchb. fl. exc. p. 360. Th. F. Nees gen. pl. XVI. n. 10. Eufragia latifolia Griseb. l. c. p. 14. — Icon. Th. F. Nees gen. pl. l. c. f. 1—12. Sibth. et Sm. fl. graec. VI. tab. 586. Col. ecphr. 1. p. 202. Barrel. icon. stirp. tab. 276. f. 3. Sabb. h. roman. 3. tab. 7.

Hab. in apricis et pascuis circa Zara, Traù, Spalato, Vergoraz, Ragusa, Budua, nec non in insulis Cherso, Ossero, Lesina. Flores purpurei. Floret Aprili; Junio. ☉.

Obs. Genus Eufragia Griseb. seminibus laeviusculis ab Euphrasia distinguitur, sed notula haec, quae nec si constans generi statuendo par esset, variat in ipsa E. latifolia, in qua semina ludunt tenuiter striata.

Sect. IV. Trixago.

Griseb. l. c. p. 12.

calyce campanulato, antherarum loculis aequaliter mucronatis, capsula ovoidea coriacea.

905. Euphrasia Trixago Vis.

E. foliis sessilibus lanceolatis linearibusve, remote obtuseque inciso-serratis, spica imbricata, antheris hirsutis.

Syn. Rhinanthus Trixago L. sp. pl. ed. II. p. 840. Bartsia Trixago L. sp. pl. ed. 1. p. 602. Sibth. et Sm. fl. graec. prodr. 1. p. 427. Host fl. austr. 2. p. 182. Alsch. fl. jadr. p. 136. Pett. bot. Wegw. n. 148. Trixago apula Rchb. fl. exc. p. 360. α. β. T. rhinanthina Lk. Griseb. l. c. p. 11. — Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. VI. tab. 585. Columm. ecphr. 1. p. 197. Barrel. icon. stirp. 666. et 774. f. 2.

Hab. in saxosis apricis Czerno, Murviza, et in vineis ad Polje circa Zara, nec non in insula Lesina. Flores nunc omnino lutei, nunc ex purpureo bicolores. Floret Majo. ⊙.

Obs. Genus Trixago GRISEB., sive Lasiopera LK. et HOFFMSGG, Bellardia ALLION. differt ab Euphrasia calyce campanulato, et capsula duriore; sed hae notae variant in simillimis Bartsiis. Bartsiae genus, etiam juxta limites ipsi datos a cll. GRISEBACHIO et BENTHAMIO, praebet in suis speciebus exempla calycis nunc tubulosi nunc campanulati, galeae integrae et emarginatae, palati convexi aut bigibbi, antherae glabrae aut villosae, spinulosae aut inermis, capsulae coriaceae vel membranaceae, rostratae vel muticae, seminis denique alati, costati, aut sulcati, et tali pacto clare probat notis hisce, utpote quae speciebus congeneribus promiscuae, distincta et diversa genera nequaquam superstrui posse. Ipsum Bartsiae genus solis seminum alis ab Euphrasia distinctum, characteris hujus variabilitate recognita, cum plures Bartsiae americanae alis careant, omnino ruit, et vix qua Euphrasiae sectio haberi meretur. Capsulae et seminum forma huc quoque, ut in Antirrhineis affinibus, quin generibus, vix speciebus discriminandis sufficiunt.

CCCXVII. Pedicularis L.

Gen. pl. ed. II. p. 218.

Char. Calyx inaequaliter quinquedentatus. Corolla ringens, labio superiore galeato compresso, inferiore trifido. Stamina quatuor didynama, antheris bilocularibus muticis. Stigma indivisum. Capsula ab apice loculicide dehiscens bivalvis, valvis longitudinaliter septo placentifero diremptis, seminibus scrobiculatis. — Class. Didynamia. Ord. Angiospermia Syst. sex. —

906. Pedicularis comosa L. sp. pl. ed. II. p. 847. HOST fl. austr. 2. p. 192. RCHB. fl. exc. p. 362.

P. foliis oblongo-lanceolatis bipinnatifidis, laciniis mucronato-serratis, calycis campanulati hyalino-membranacei glabriusculi dentibus ovatis latitudine sua brevioribus, corollae galea falcata truncata, apice in dentem triangularem acutum subulatumve utrinque producta.

Icon. ALLION. fl. pedem. tab. 4. f. 1. et specim. stirp. ped. tab. 11. f. 1. ead. BOCCON. mus. di fisic. p. 315. tab. VIII. dextrors. n. 2. BARREL. icon. pl. 469. ead.

Hab. in apricis montium Prologh, Biokovo. Flores ochroleuci. Floret aestate. ♃.

907. Pedicularis Friderici Augusti TOMMASIN. berg Slavn. im Küstenl. p. 26.

P. foliis oblongo-lanceolatis bipinnatifidis, laciniis mucronato-serratis, calycis ovati coriacei fusci lanati dentibus lanceolatis latitudine sua duplo longioribus, corollae galea falcata truncata, apice in dentem triangularem acutum subulatumve utrinque producta.

Icon. TOMMASIN. loc. cit. f. 1. 13.

Hab. in alpestribus montium Dinara, Svilaja, Ghnjat, Prologh. Flores ochroleuci. Floret aestate. ♃.

Obs. Affinis praecedenti, a qua calyce praecipue differt membranaceo pallido, nervis fuscovirentibus, et dentium forma. Galeam vidi glabratam, et nervis apice reticulatam in utraque. Differentias a priore et a P. lasiostachyde BUNG. quae similis, adumbratas et pictas vide in opella mox citata cl. TOMMASINI, et sub litt. A. B. C.

CCLXVIII. Rhinanthus L.

Gen. pl. ed. II. p. 217.

Char. Calyx compresso-ventricosus inaequaliter quadridentatus. Corolla ringens, labio superiore galeato compresso apice bidentato, inferiore trilobo subaequali. Stamina

quatuor didynama, antheris bilocularibus pendulis muticis. Stigma indivisum. Capsula ab apice loculicide bivalvis, oligosperma, valvis longitudinaliter septo placentifero diremptis, seminibus discoideis alatis. — Class. Didynamia. Ord. Angiospermia Syst. sex. —

908. Rhinanthus Crista galli L. sp. pl. ed. II. p. 480. excl. var. γ. Host fl. austr. 2. p. 183. Alsch. fl. jadr. p. 247. Pett. bot. Wegw. n. 775.

Rh. foliis lanceolatis serratis, bracteis inciso-serratis dentibus aristatis, calycibus glabris.

Syn. Rh. minor Ehrh. beitr. 6. p. 144. Alectorolophus minor Rchb. icon. bot. cent. VIII. p. 12, et fl. exc. p. 358. — Icon. Th. F. Nees gen. pl. XVI. n. 15. f. 18—24. Sow. engl. bot. tab. 657. Rchb. icon. bot VIII. f. 974. Rivin. mon. irr. tab. 92.

var. β. angustifolius: foliis lineari-lanceolatis linearibusque. — Syn. Rh. angustifolius Gm. fl. bad. 2. p. 669. — Icon. Rchb. icon. bot. VIII. f. 973.

Hab. in pratis circa Salona: var. in subalpinis montium Vellebith, Prologh, Sella, et in Krivoscie. Corollae luteae, galeae dentibus caeruleis. Floret ab aestate in autumnum. ⊙.

CCCXIX. Melampyrum Tourn.

Instit. rei herb. p. 173. tab. 75.

Char. Calyx tubulosus quadrifidus. Corolla ringens vel subpersonata, labio superiore galeato compresso apice emarginato, inferiore bigibbo tridentato. Stamina quatuor didynama, antheris bilocularibus erectis, loculis basi mucronatis. Stigma indivisum. Capsula apice loculicide bivalvis, loculis 1—2-spermis, valvis longitudinaliter septo placentifero diremptis, seminibus teretiusculis basi carnosis. — Class. Didynamia. Ord. Angiospermia Syst. sex. —

909. Melampyrum arvense L. sp. pl. ed. II. p. 842. Host fl. austr. 2. p. 187. Rchb. fl. exc. p. 357. Alsch. fl. jadr. p. 137. Pett. bot. Wegw. n. 601.

M. foliis sessilibus lanceolato-linearibus, spicis laxis aequalibus elongatis, bracteis ovatis lanceolato-acuminatis, setaceo-laciniatis, coloratis, calycibus hirsutis scabrisve, dentibus ovatis apice setaceis, capsula subrotunda breviter acutata obtusave.

Icon. Sow. engl. bot. tab. 53. Oed. fl. dan. tab. 911. Sabbat. h. roman. 3. tab. 8. Clus. hist. pl. 4. p. XLV. Rivin. mon. irr. tab. 80. — Illyr. Scena.

var. β. barbatum: bracteis virescentibus, corollae fauce aperta. — Syn. M. barbatum Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 1. p. 59. Host fl. austr. 2. p. 188. Rchb. fl. exc. p. 357. Alsch. fl. jadr. p. 137. Pett. bot. Wegw. n. 602. — Icon. Waldst. et Kit. l. c. tab. 86.

Hab. inter segetes circa Zara, Sebenico, Knin, Castelli, Salona, nec non in satis montosis Vellebith, Krivoscie, Pastrovichio. Flores et bracteae in specie purpurei, in varietate illi flavi, hae plerumque virides, raro roseae. Floret aestate. ⊙.

Obs. Ex plurium utriusque plantae speciminum repetita observatione et comparatione mihi indubie patuit, discrimina omnia hucusque proposita utrique promiscua esse. Calyces sunt vel subsessiles vel pedicellati in utroque, strigosi hirsuti in ipso M. arvensi, vel scabri in ipso M. barbato, dentibus nunc calycis tubo aequalibus nunc longioribus, nunc tubi corollini dimidium aequantibus, nunc brevioribus in utroque. Corollae ipsae in M. arvensi frequentius clausae, interdum etiam in eodem rictu hiant. Hinc quibus notis specie distingui debeant non video.

910. Melampyrum nemorosum L. sp. pl. ed. II. p. 843. Host fl. austr. 2. p. 188. Rchb. fl. exc. p. 357.

M. foliis petiolatis ovato-lanceolatis, spicis laxis secundis, bracteis superioribus cordatis inciso-dentatis coloratis, calycibus hirsutis scabrisve, dentibus lanceolato-linearibus subaequalibus, in fructu patulis, capsula ovata oblique rostrata declinata.

Syn. M. sylvaticum ALSCH. fl. jadr. p. 137 ex herb! non L. — Icon. OED. fl. dan. tab. 305. BARREL. icon. 769. f. 1. CLUS. hist. pl. 4. p. XLIV. f. 1.

Hab. in sylvaticis circa Zemoniko et Verlika. Flores aurei, bracteis purpureo-caeruleis vel azureis. Floret aestate. ⊙.

911. Melampyrum cristatum L. sp. pl. ed. II. p. 842. HOST fl. austr. 2. p. 187. RCHB. fl. exc. p. 357. ALSCH. fl. jadr. p. 137. PETT. bot. Wegw. n. 603.

M. foliis sessilibus lanceolato-linearibus, spicis acute tetragonis dense imbricatis, bracteis cordatis sursum complicatis pectinato-dentatis, apice lanceolatis integris deflexis, dentibus lanceolatis valde inaequalibus strictis, capsula subfalcata aucta declinata.

Icon. Th. F. NEES gen. pl. XVI. n. 16. f. 18—23. SOW. engl. bot. tab. 41. OED. fl. dan. tab. 1104. PLUKEN. phyt. tab. 99. f. 2. RIVIN. mon. irr. tab. 81. f. 2.

Hab. in sylvaticis circa Zara, et supra Dernis circa Mioçich. Flores albi, dein rubentes. Floret aestate. ⊙.

Ordo LII. OROBANCHEAE Juss.

in Ann. du mus. d' hist. nat. 12. p. 445.

Flores hermaphroditi irregulares. Calyx liber persistens, nunc monosepalus tubulosus vel campanulatus, quadri-quinquefidus, tribracteatus, nunc diphyllus unibracteatus. Corolla tubulosa, basi circumscissa persistens, limbo bilabiato, 4—5-lobo, lobis aestivatione imbricatis. Stamina 4, corollae tubo vel fauci inserta, didynama, filamentis basi planis sursum attenuatis teretibus, antheris hilocularibus. Pistillum ovario libero uniloculari, ovulis anatropis, stylo terminali, stigmate crasso capitato-bilobo. Capsula unilocularis bivalvis, polysperma, valvis longitudinaliter placentas binas gerentibus, seminibus scrobiculatis, hilo basilari, embryone in basi albuminis carnosi prope umbilicum excentrico, minimo, elliptico.

Herbae chloroticae, fibris radiciformibus in aliarum stirpium radicibus parasitae, caudice subcarnoso, floribus in squamarum superiorum axillis solitariis.

CCCXX. Orobanche Tourn.

Instit. rei herb. p. 175. tab. 81.

Char. Calyx disepalus unibracteatus, sepalis utrinque vel postice distinctis, integris incisisve. Corolla labio superiore erecto bilobo, inferiore patente trifido. Capsula solo apice bivalvis. — Class. Didynamia. Ord. Angiospermia Syst. sex. —

912. Orobanche cruenta BERTOL. rar. pl. ital. dec. 3. p. 56. RCHB. fl. exc. p. 354.

O. sepalis subaequaliter bifidis tubo corollae incurvo et basi anterius ventricoso subaequalibus, corolla lobis labii superioris patentibus, limbo piloso-glanduloso denticulato, staminibus basi corollae insertis pilosis, superne styloque sparsim piloso-glandulosis, stigmate holosericeo citrino, margine fusco-purpureo.

Syn. O. caryophyllacea VIS. stirp. dalm. p. 42. ALSCH. fl. jadr. p. 139 ex herb! PETT. bot. Wegw. n. 669. non SM. O. gracilis SM. linn. trans. 4. p. 172. RCHB. fl. exc. p. 354. — Icon. RCHB. icon. bot. VII. f. 896. et f. 898. 899. COSS. et GERM. atl. de la Fl. paris. XIX. B. — Illyr. Kugga bòbova.

Hab. ad radices Loti corniculati et Hippocrepidis comosae in insulis Veglia, Ossero, Brazza, Lesina, et in apricis collium circa Zara, Sebenico, Spalato, Pastrovichio. Corolla intus sanguinea, extus luride rubra, caryophyllum leviter olens vel inodora. Floret Majo, Junio. ♃.

913. Orobanche caryophyllacea Sm. linn. trans. 4. p. 169. Rchb. fl. exc. p. 353.

O. sepalis subaequaliter bifidis, tubo corollae incurvo basi aequali dimidio brevioribus, lobis labii superioris porrectis, limbo piloso-glanduloso denticulato, staminibus supra basim corollae insertis, inferne villosis, superne styloque glanduloso-pilosis, stigmate velutino immarginato rubro-purpureo.

Icon. Rchb. icon. bot. VII. f. 890. 891. Gaud. fl. helv. IV. tab. 1.

var. *β.* major: floribus duplo majoribus, filamentis apice dense glanduloso-pilosis. — Syn. Orobanche Galii Duby. bot. gall. 1. p. 349. Rchb. fl. exc. p. 354. O. vulgaris DC. fl. fr. 3. p. 489. Rchb. icon. bot. VII. in tabulis. O. adenostemon Rchb. fl. exc. p. 354. O. laxiflora Rchb. fl. exc. p. 355. O. strobiligena Rchb. icon. bot. VII. p. 38. — Icon. Rchb. icon. bot. VII. tab. 892. 894. 905. 906. 907. 908. 909. Coss. et Germ. atl. fl. paris. XIX. D. Sabbat h. roman. III. tab. 11.

Hab. locis incultis insulae Lesina: var. iisdem locis insulae Veglia, et Lesina, et circa Ragusa parasitica supra Galia. Corolla albida, colore roseo aut violaceo suffusa, caryophyllum olens. Fl. aestate. ♃.

Obs. Inter speciem et varietatem habeo specimen utramque jungens, filamentis sparse glandulosis minusve villosis priori, floribus majoribus alteri simile, et in cl. Rchb. icon. bot. VII. tab. 910. optime expressum.

914. Orobanche pruinosa Lapeyr. abrég. des pl. pyren. supp. p. 87. Rchb. icon. bot. VII. p. 39—40. Koch! syn. fl. germ. ed. II. p. 613.

O. sepalis inaequaliter bifidis, laciniis apice subulatis tubum corollae rectiusculum aequantibus, labiis expansis crispis, limbo obtuse denticulato glabro, staminibus supra basim corollae insertis, inferne villosis, apice styloque subglandulosis.

Icon. Rchb. icon. bot. VII. f. 911.

Hab. in insulis Veglia et Cherso. parasitica supra radices Pisi sativi, unde misit Doct. Noe, qui et cl. Kochio. Flores albi, venis violaceis picti. Floret aestate. ♃.

915. Orobanche minor Sutt. linn. trans. 4. p. 178. Host fl. austr. 2. p. 215. Rchb. fl. exc. p. 353.

O. sepalis integris bifidisve apice subulatis, tubum corollae leniter arcuatum aequantibus, corollae labiis undulatis obtuse denticulatis glabris, staminibus supra basim corollae insertis, sola basi sparsim pilosis, apice styloque eglandulosis glabris.

Syn. O. pumila Noe herb! — Icon. Coss. et Germ. atl. fl. paris. XIX. F. Rchb. icon. bot. VII. f. 876—880.

var. *β.* adenostyla: stylo sparsim piloso-glanduloso. — Syn. O. livida Sendtner! in herb. Tommasin.

Hab. in sylvaticis et apricis insularum Veglia, Cherso, Ossero, Lesina, nec non in monte Dinara supra radices Elichrysi angustifolii, varietas iisdem locis, et circa Sebenico supra Medicaginem lupulinam. Flores albidi aut flavidi, stigmate purpureo aut lilacino. Floret aestate. ♃.

Obs. Sepala variant subaequaliter, aut inaequaliter bifida, aut integra. Varietas solis styli glandulis sparsis differt a specie.

916. Orobanche crinita Viv. fl. corsic. diagn. p. 11.

O. sepalis aequaliter bifidis, anterius connatis, laciniis lanceolato-subulatis tubo corollae incurvo demum apice cernuo paullo brevioribus, lobis acute denticulatis glabris planiusculis, staminibus supra basim corollae insertis styloque vix glanduloso glabris.

Hab. ad scopulos Bacili dictos prope Lesina, ubi legit prof. STALIO. Flores atrosanguinei. Floret aestate. ♃.

Obs. Calyce monosepalo, ob sepala anterius basi connata, et staminibus basi glaberrimis a nostratibus distinctissima. Congruit nostra cum planta homonyma e Sardinia missa a cl. MORIS, et cum diagnosi cl. VIVIANII: differt vero a diagnosi et icone O. crinitae cl. REICHENBACHII in icon bot. cent. VII. p. 43. f. 922. quae O. densiflora Salzm., calycibus disepalis, et filamentis glaberrimis nec basi pilosulis, et corollae colore atrosunguineo nec testaceo. Spica nunc undique, nunc superne tantum compacta, apice bracteis corollas clausas superantibus comosa, unde nomen specificum: quod tamen usuvenit etiam in O. cruenta, O. caryophyllacea, O. pruinosa, aliisque.

CCCXXI. Phelipaea Desf.

Fl. atl. II. p. 6.

Char. Calyx monosepalus tubulosus quadri-quinquefidus, unibracteatus, bibracteolatus. Corolla labio superiore erecto bilobo, inferiore patente trilobo. Capsula medio bivalvis, valvis basi et apice cohaerentibus. — Class. Didynamia. Ord. Angiospermia Syst. sex. —

917. Phelipaea ramosa C. A. MEY. in LED. fl. atl. II. p. 459.

Ph. bractea exteriore ovato-lanceolata, corollae lobis inferioribus ovatis, apice breviter obtuseque attenuatis, parce ciliatis, filamentis styloque glabris, antheris basi glabriusculis, stigmatis lobis subrotundis.

Syn. Orobanche ramosa L. sp. pl. ed. II. p. 882. VIS. stirp. dalm. p. 42. HOST fl. austr. 2. p. 215. O. caerulea ALSCH. fl. jadr. p. 140, et PETT. bot. Wegw. n. 668 nec VILL. — Icon. Coss. et GERM. atl. paris. XIX. f. H. RCHB. icon. bot. VII. f. 933. 934. ROEM. fl. eur. fasc. IX. ex Sow. engl. bot. tab. 184. — Illyr. Modrulja.

var. β. simplex: caule simplici, corollae lobis acutiusculis, stylo parce glanduloso. — Syn. Orobanche nana NOE in RCHB. herb. norm. 1352.

Hab. ad radices Leguminosarum plurium, aliarumque etiam plantarum: var. lecta a doct. NOE ad illas Trifolii scabri. Flores albi aut dilute amethystini. Floret vere et aestate. ⊙.

Obs. Planta cl. NOE ab ipso missa neutiquam differt a specie, quae variat corollae lobis inferioribus ovatis rotundatisque, stylo sparsim glanduloso vel glabro, antheris basi glabris vel pilos paucissimos confervoideos basi gerentibus. Ph. ramosa in NEES gen. pl. fasc. XXIII. n. 5. prorsum aliena, et potius Ph. arenariam saperet, ni antheris glabris differret.

918. Phelipaea lavandulacea.

Ph. bractea exteriore lanceolato-acuminata, corollae lobis inferioribus subrotundis dense longeque pilosis, filamentis styloque glabris, antheris basi barbatis, stigmatis lobis oblongis.

Syn. Orobanche lavandulacea RCHB. icon. bot. VII. p. 48. GUSSON. fl. sic. syn. 2. p. 137. — Icon. RCHB. l. c. f. 935.

Hab. ad radices Viciae Fabae, aliarumque plantarum in satis et cultis ad Primorje, et Ragusa. Flores amethystini, stigmate albido. Floret Aprili, Majo. ⊙.

Obs. Statura omnium partium majore, corollae lobis pilis confervoideis glanduliferis densius marginatis, inferioribus rotundioribus nec apice breviter attenuatis, antheris ad suturae basim pilis confervoideis implexis barbatis, stigmatis lobis oblongis parallelis, ut hoc fere quadratum videatur, a praecedente distinguitur.

Ordo LIII. VERBENACEAE Juss.

in Annal. du mus. vol. VII. p. 63.

Flores hermaphroditi irregulares. Calyx liber, persistens, monosepalus, tubulosus, 4—5-dentatus. Corolla monopetala decidua, limbo subbilabiato quinquelobo, lobis aestivatione imbricatis. Stamina quatuor, tubo corollae inserta didynama, superioribus interdum sterilibus, filamentis filiformibus, antheris bilocularibus. Pistillum ovario libero ex carpellis quatuor unilocularibus in unicum quadriloculare coalitis conflato, et disco carnoso imposito: ovulis anatropis vel sepius amphitropis, solitariis vel geminis, stylis in unicum terminalem simplicem bifidumve connexis, stigmate unico vel gemino. Fructus drupaceus vel siccus e carpellis quatuor monospermis maturitate secedentibus vel adhaerentibus, sessilibus, solitariis, erectis; embryone recto, radicula infera hilum spectante.

Herbae apud nos, fruticesve, racemis tetragonis, foliisque oppositis exstipulatis, floribus laxe spicatis, cymosisve.

CCCXXII. Verbena Tourn.

Instit. rei herb. p. 200. tab. 94.

Char. Calyx tubulosus 5—dentatus, dente postico minimo. Corolla hypocraterimorpha, tubo incurvo, limbo obliquo planiusculo. Stamina inclusa. Stigma crassum bilobum. Fructus capsularis quadrilocularis, loculis monospermis maturitate divisis. — Class. Didynamia. Ord. Angiospermia Syst. sex. —

919. Verbena officinalis L. sp. pl. ed. II. p. 29. Vis. stirp. dalm. p. 51. Host fl. austr. 2. p. 180. Rchb. fl. exc. p. 334. Alsch. fl. jadr. p. 135. Pett. bot. Wegw. n. 1000.

V. caule erecto subsimplici, foliis laciniato-pinnatifidis aut crenato-serratis integrisve scabris, spicis filiformibus elongatis paniculatis, stylo persistente.

Icon. Th. F. Nees gen. pl. fasc. XXI. f. 20. Sow. engl. bot. tab. 767. Oed. fl. dan. tab. 628. Bull. herb. de la Fr. pl. 215. Rivin. mon. irr. tab. 56. Fuchs. hist. stirp. p. 593. — Illyr. Sporisc. Spòrisicza. Trava od dalka.

Hab. vulgo in viis, ruderatis, ad muros totius Dalmatiae. Flores e roseo caerulescentes. Floret a vere in autumnum. ♃.

Usus. Folia plantae ex aqua decocta et diu propinata, et eodem tempore contusa, et hypochondriis applicita remedium in Dalmatia alibique usitatissimum sistunt contra hepatis splenisque infartus: cataplasma herbae viridis contusae excretionem e cute promovet seroso-sanguineam.

920. Verbena supina L. sp. pl. ed. II. p. 29 Host fl. austr. 2. p. 180. Rchb. fl. exc. p. 334.

V. caule prostrato ramosissimo, foliis laciniatis molliter pubescentibus, mediis bipinnatifidis, spicis filiformibus simplicibus axillaribus, stylo caduco.

Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. XI. tab. 554. Clus. stirp. hisp. p 373 et hist. pl. 4. p. 46, et Dodon. pempt. p. 150. eaedem.

Hab. in udis arenosis ad lacum Draçeviza ins. Lesina, unde misit prof. Stalio. Flores caerulescentes. Floret aestate. ♂.

Obs. Folia tenuius dissecta mollia, spicae breviores, simplices, capsulae quidquam crassiores stylus brevior, praeter noctas adductas, hanc a praecedente distnguunt.

CCCXXIII. Vitex Tourn.

Instit. rei herb. p. 603. tab. 373.

Char. Calyx campanulatus quinquedentatus. Corolla infundibuliformis, tubo incurvo, limbo planiusculo. Stamina exserta. Stigma bifidum subulatum. Fructus drupaceus indehiscens, nuce quadriloculari tetrasperma. — Class. Didynamia. Ord. Angiospermia Syst. sex. —

921. Vitex Agnus Castus L. sp. pl. ed. II. p. 890. Vis. stirp. dalm. p. 51. Host fl. austr. 2. p. 216. Rchb. fl. exc. p. 334. Alsch. fl. jadr. p. 136. Pett. bot. Wegw. n. 1026.

V. foliis digitatis quinatis septenatisque, foliolis lanceolato-acuminatis petiolatis inaequalibus, subintegerrimis, subtus ramisque incanis, cymis oppositis decussatis in spicas interruptas terminales digestis.

Icon. Th. F. Nees gen. pl. fasc. XXIII. f. 1. Sibth. et Sm. fl. graec. VII. tab. 609. Lam. enc. bot. pl. 551. f. 1. Blackw. herb. tab. 139. Rivin. mon. irr. tab. 56. — Illyr. Konopljka. Konopljka velika. Scibbika osctra.

Hab. ad mare, in arenosis, torrentium alveis, locisque humentibus in Dalmatia litorali frequens. Flores laete caerulei, interdum rosei. Floret aestate. ♄.

Ordo LIV. LABIATAE Juss.

Gen. pl. ed. II. p. 110.

Flores hermaphroditi irregulares. Calyx liber persistens monosepalus dentatus. Corolla monopetala decidua, limbo saepissime bilabiato quadri-quinquelobo, lobis aestivatione imbricatis. Stamina tubo corollae inserta, raro subaequalia, saepius didynama, rarissime bina, filamentis tenuibus, antheris bilocularibus vel lobis confluentibus unilocularibus, basifixis. Pistillum ovario libero e carpellis quatuor uniovulatis liberis disco carnoso insertis conflato, ovulis erectis, stylis e carpellorum basi ortis in unicum apice bifidum, rarius integrum incrassatum, coalitis. Achenia quatuor calyce inclusa, monosperma, libera, semine erecto, albumine subnullo, embryone recto, radicula infera brevissima hilum spectante.

Plantae herbaceae vel rarius suffrutescentes, saepissime glandulis vesicularibus oleo essentiali aromatico refertis obsitae, hinc odoratae et nervinae: caule tetragono, ramis oppositis decussatis, foliis oppositis exstipulatis, floribus in cymas digestis oppositas verticillum mentientes, folio bracteaeve axillares, vel rarius solitariis geminisve axillaribus.

Clavis analytica Tribuum.

	Acheniis siccis . . . . vid. Nr. 1.	Acheniis drupaceis. Trib. XI. Prasieae.	
1.	Antheris inferioribus distincte bilocularibus . . . . . . - - 2.	Antheris omnibus demum unilocularibus . . . . vid. Nr. 9.	
2.	Loculis rima longitudinali dehiscentibus . . . . - - 3.	Loculis transverse bivalvibus VII. Galeopsideae.	
3.	Loculo quoque rima propria dehiscente . . . . - - 4.	Loculis rima communi dehiscentibus . . . . - - 8.	

4. Connectivo loculos aequante aut breviore . . . . . vid. Nr. 5.	Connectivo filiformi loculis multo longiore. III. Salvieae.
5. Corolla exacte labiata . . - - 6.	Corolla subregulari. II. Menthoideae.
6. Antheris conformibus bilocularibus . . . . - - 8.	Antheris superioribus difformibus vel unilocularibus. X. Scutellarineae.
7. Antherae loculis semper parallelis. IX. Leonureae.	Antherae loculis demum divaricatis. IV. Satureineae.
8. Connectivo lineari angusto. V. Melissineae.	Connectivo dilatato aut incrassato. VI. Stachydeae.
9. Staminibus sub labio superiore erectis . . . . - - 10.	Staminibus supra labium inferius declinatis. I. Ocimoideae.
10. Corollae labio superiore inferius subaequante. VIII. Marrubiaceae.	Corollae labio superiore brevissimo. XII. Ajugoideae.

Trib. I. OCIMOIDEAE.

Benth. lab. p. 1.

Corolla labiata, staminibus labio inferiori insertis declinatisque, antheris subreniformibus, loculis rima communi semicirculari dehiscentibus, demum in unicum confluentibus.

CCCXXIV. Lavandula L.

Gen. pl. ed. II. p. 204.

Char. Calyx oblongo-tubulosus quinquedentatus, dentibus quatuor inferioribus brevissimis, supremo majore, in fructu conniventibus clausus. Corolla labio superiore bilobo, inferiore subaequaliter trilobo. Stamina inclusa didynama, antherarum loculis subrotundis, connectivo discoideo. Stylus inclusus apice bifidus, lobis complanatis strictis. Achenia oblonga laevia. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

922. Lavandula Spica L. sp. pl. ed. II. p. 800 excl. var. β. Host fl. austr. 2. p. 157. Rchb. fl. exc. p. 326. Alsch. fl. jadr. p. 130. Pett. bot. Wegw. n. 539.

L. foliis oblongo-linearibus indivisis, inferioribus axillaribusque canis, margine revolutis, spica interrupta, bracteis rhombeo-ovatis cuspidatis membranaceis ferrugineis.

Syn. L. vera DC. fr. supp. 5. p. 398. Th. F. Nees gen. pl. XIX. nr. 1. L. vulgaris α Lam. fl. fr. 2. p. 403. — Icon. Th. F. Nees l. c. Lam. enc. bot. pl. 504. f. 1. Bull. herb. de la fr. tab. 337. Blackw. herb. tab. 294. — Illyr. Lavanda. Tarma.

Hab. locis saxosis, apricis, collinis circa Torretta prope Spalato, circa Clissa, et in insula Ossero: insuper in hortis frequenter culta. Flores caerulei. Floret ab aestate in autumnum. ♄.

Usus. Stirps fragrantissima et coronaria linteis odorandis usitatissima. Inter plantas aromaticas nervinas cephalicas locum habet, ex ea oleum essentiale elicitur, cum ea aqua, spiritus, tinctura paratur.

Obs. Folia in planta vegetiore subrepanda.

923. Lavandula latifolia Vill. pl. dauph. 2. p. 363. Rchb. fl. exc. p. 326.
L. foliis obovato-lanceolatis, indivisis, margine revolutis, canis, superioribus viridioribus, spica subcontinua, bracteis linearibus cano-tomentosis.

Syn. L. Spica β. L. sp. pl. ed. II. p. 800. L. Spica DC. fl. fr. supp. 5. p. 397. — Icon. Rivin. mon. irr. tab. 54. fig. media. Matth. disc. Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 34. — Illyr. Lavanda.

Hab. locis saxosis apricis ad Ragusa prope Ombla et Lapad, et circa Risano. Flores caerulei. Floret aestate. ♄.

Usus. Idem ac praecedentis, cum qua etiam promiscue colitur.

Obs. Genus Ocimum, cujus species O. Basilicum L. (Bosil. Bosilak illyr.) et O. minimum L. (Murtella. Murtljka trava illyr.) frequentissime in Dalmatia coluntur odoris causa, huic tribui pertinet, et nomen eidem impertitur: differt vero a Lavandula potissimum calyce fructifero deflexo, hujusque dente supremo ovato foliaceo utrinque decurrente, nec non antherae loculis oblongis, connectivo indistincto.

Trib. II. MENTHOIDEAE.

Benth. lab. p. 152.

Corolla subregularis, staminibus erectis distantibus, antherarum loculis distinctis ovalibus, rima propria longitudinali dehiscentibus.

CCCXXV. Mentha Tourn.

Inst. rei herb. p. 188. tab. 89.

Char. Calyx campanulatus vel tubulosus subaequaliter 5—dentatus. Corolla infundibuliformi-campanulata limbo quadrilobo, lobo supremo latiore. Stamina quatuor exserta subaequalia, antherarum loculis connectivo lineari conjunctis. Achenia ovoidea, apice convexa, rotundata. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

* Menthastrum: calycis fauce nuda, dentibus subaequalibus.

924. Mentha sylvestris L. sp. pl. ed. II. p. 804. Vis. stirp. dalm. spec. p. 41. Host fl. austr. 1. p. 139. Rchb. fl. exc. p. 310. Alsch. fl. jadr. p. 132. Pett. bot. Wegw. n. 614.
M. foliis subsessilibus lanceolatis ovalibusve, subtus albo-tomentosis, spicis primum conicis dein cylindraceis, densis aut inferne interruptis, calycibus villoso-canescentibus.

Icon. Coss. et Germ. atl. fl. paris. XX. f. 2. Th. F. Nees gen. pl. fasc. XX. n. 5. sect. I. Rchb. icon. bot. X. f. 1313. Sow. engl. bot. tab. 686. — Illyr. Metva mala. Metvicza divja.

var. β. ovalis: foliis ovalibus apice obtusatis. — Syn. M. rotundifolia Sole Menth. brit. p. 9. non L. M. sylvestris Sm. fl. brit. 2. p. 610. — Icon. Fuchs. hist. stirp. p. 289.

var. γ. polystachya: spicis pluribus in apice caulis congestis, ramosis, foliis oblongo-lanceolatis acutis.

Hab. frequens in agris argillosis tum Dalmatiae litoralis tum montanae: var. β. ad sepes insulae Lesina circa Gelsa: var. γ. in agro Spalatensi. Flores violacei. Florent ab aestate in autumnum. ♃.

Obs. Varietas β. accedit facie M. rotundifoliae, a qua tamen differt foliis non rugosis, calycibus canescentibus, nec viridibus. Bracteae tum in hac specie, tum in M. rotundifolia L., M. macrostachya Ten., sunt inferne ovato-lanceolatae, vel lanceolatae, vel lineari-lanceolatae, dein sensim angustiores fiunt, ut tandem superne sint subulatae: hinc notam specificam nullam inter has plantas exhibent, quo fit ut cl. Tenorei species minime a specie Linnaeana sejungi possit. Var. γ. spicis fasciculato-congestis recedit a spe ie, cujus videtur forma luxurians.

925. Mentha viridis L. sp. pl. ed. II. p. 804. Host fl. austr. 2. p. 139. Rchb. fl. exc. p. 309.

M. foliis breviter petiolatis ovato-lanceolatis lanceolatisque serratis glabris viridibus, spicis cylindraceis laxis inferne interruptis, calycibus glandulosis, tubo glabriusculo, dentibus ciliatis.

Syn. M. Michelii Rchb. icon. bot. cent. X. p. 27. — Icon. Rchb. l. c. f. 1312. Sow. engl. bot. tab. 2424. Camer. epit. p. 477. Lobel. icon. stirp. p. 507. f. 2. Fuchs. hist. stirp. p. 290.

Hab. culta et spontanea in insula Lesina, unde misit prof. Stalio. Flores carnei. Floret aestate. ♃.

Usus. Pro Mentha piperita colitur, et ejus vices praestat sub forma infusi aut aquae stillatitiae, quorum vis cardiaca, nervina, anthysterica, antelminthica. Oleum quoque essentiale elicitur, sub eleosacchari forma qua carminativum adhibendum.

926. Mentha aquatica L. sp. pl. ed. II. p. 805. Rchb. fl. exc. p. 308. Alsch. fl. jadr. p. 132. Pett. bot. Wegw. n. 612.

M. pubescens hirsutave, foliis oblongis, ovatis, subcordatisque petiolatis, florum capitulo globoso terminali axillaribusque, pedicellis deorsum, calycibus sursum villosis.

var. α. Linnaeana: glabriuscula, foliis ovatis. — Icon. Dalech. hist. pl. 1. p. 677.

var. β. hirsuta: pilosior, foliis ovatis oblongisve. — Syn. M. hirsuta L. mant. pl. p. 81. Host fl. austr. 2. p. 141. M. aquatica Auctor. — Icon. Coss. et Germ. fl. paris. atl. XX. f. 3. Sow. engl. bot. t. 447. Rivin. mon. irr. t. 49. Fuchs. hist. stirp. p. 722

var. γ. calaminthaefolia: villosa, foliis late subcordato-ovatis.

Hab. ad sepes, ripas, fossas in tota Dalmatia litorali et insulari. Flores rubri. Floret aestate. ♃.

Obs. Huc probabiliter pertinet etiam M. dalmatica Tausch in Syll. bot. zeit. 1827. p. 249. potius quam ad M. arvensam, quae hactenus in Dalmatia non visa.

** Pulegium: calycis fauce villis clausa, limbo subbilabiato.

927. Mentha Pulegium L. sp. pl. ed. II. p. 807. Host fl. austr. 2. p. 151. Alsch. fl. jadr. p. 132. Pett. bot. Wegw. n. 613.

M. pubescens pilosave, foliis subovatis ovalibusve petiolatis, florum verticillastris remotis globosis axillaribus, corollae lacinia superiore integra.

Syn. Pulegium vulgare Mill. gard. dict. n. 1. Rchb. fl. exc. p. 312. Th. F. Nees gen. pl. fasc. XX. — Icon. Coss. et Germ. fl. paris. atl. XX. f. 10. 11. Th. F. Nees. l. c. n. 4. Sow. engl. bot. tab. 1026. Rivin. mon. irr. tab. 23. f. 1. Fuchs. hist. stirp. p. 198.

var. β. tomentosa: caulibus foliisque dense albo-villosis. — Syn. M. tomentella Hoffmgg. et Lk. fl. port. 1. p. 73. — Icon. Boccon. pl. rar. sic. tab. 20. f. 11. A. A. Moris. hist. pl. 3. sect. 11. tab. 7. f. 5.

Hab. locis humentibus, argillosis ubique in Dalmatia: var. β. locis siccis apricis insulae Ossero, et in Pianura di Canali, et colle Postranje ditionis Ragusinae. Flores rosei vel albi. Floret aestate. ♃.

Usus. Vis eadem ac Menthae.

CCCXXVI. Lycopus Tourn.

Inst. rei herb. p. 190. tab. 89.

Char. Calyx campanulatus subaequaliter 5—dentatus. Corolla infundibuliformi-campanulata, limbo quadrilobo, lobo supremo latiore emarginato. Stamina duo inferiora distantia, superioribus nullis vel abortivis: antherarum loculis connectivo dilatato

conjunctis. Achenia obovata compresso-trigona, apice truncata, costa callosa crassa utrinque longitudinaliter marginata. — Class. Diandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

928. Lycopus europaeus L. sp. pl. ed. II. p. 30. Host fl. austr. 1. p. 22. Rchb. fl. exc. p. 306. Alsch. fl. jadr. p. 5. Pett. bot. Wegw. n. 80.

L. foliis ovato-oblongis basi attenuatis inciso-dentatis, dentibus triangularibus, inferioribus longioribus, corollae lobo infimo lateralibus duplo latiore, staminibus superioribus nullis.

Icon. Th. F. Nees gen. pl. fasc. XX. tab. 7. Lam. enc. bot. pl. 18. Sow. engl. bot. tab. 1105. Oed. fl. dan. tab. 1081.

Hab. ad fossas, et loca humentia in Dalmatia universa. Flores albi, intus rubro punctati. Floret aestate. ♃.

Usus. Plantae pannis laneis et lineis nigro colore inficiendis aptissimae apud nos usus nullus.

929. Lycopus exaltatus L. fil. supp. p. 87. Koch syn. fl. germ. ed. II. p. 636. Rchb. fl. exc. p. 306.

L. foliis pinnatipartitis late ovatis, superioribus lanceolatis, laciniis oblongo-linearibus, corollae lobis tribus inferioribus subaequalibus, staminum superiorum rudimentis subulatis apice capitatis.

Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. cent. I. tab. 12. Pluken. phyt. tab. 45. f. 1. Barrel. ic. pl. 154.

Hab. locis humidis insulae Veglia ad Capriccio, unde misit Doct. Noe. Flores albi rubro punctati. Floret aestate ad autumnum. ♃.

Trib. III. SALVIEAE.

Coss. et Germ. fl. paris. p. 317.

Corolla labiata, staminibus binis inferioribus fertilibus, antherae dimidiatae loculo pollinifero connectivi filamentum mentientis extremitati superiori imposito, loculo abortivo extremitati inferiori affixo vel nullo, binis superioribus abortivis nullis ve.

CCCXXVII. Salvia L.

Gen. pl. ed. II. p. 12.

Char. Calyx tubulosus campanulatusve bilabiatus, labio superiore integro aut tridentato, inferiore bifido. Corolla labiata, labio superiore galeato, inferiore trilobo, lobo medio emarginato latiore. Stamina antheris liberis. — Class. Diandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

Sect. I. Eusphace.

Benth. lab. p. 207.

Calycis late campanulati membranacei labiis subaequalibus, corollae tubo annulo piloso intus praedito.

930. Salvia officinalis L. sp. pl. ed. II. p. 34. Vis. stirp. dalm. p. 46. Host fl. austr. 1. p. 23. Rchb. fl. exc. p. 334. Alsch. fl. jadr. p. 5. Pett. bot. Wegw. n. 807.

S. suffruticosa cano-pubescens, foliis oblongis aut subcordato-ovatis crebre denticulatis rugosis, basi auriculatis nudisve, floralibus basi membranaceis, calycis colorati dentibus porrectis spinuloso-aristatis.

Icon. Th. F. Nees gen. pl. fasc. XVIII. fig. 8. 9. 22. 23. Sabb. h. rom. 3. tab. 24. Rivin. mon. irr. tab. 71. Matth. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 747 et var. 748. — Illyr. Kadulja. Slavulja. Pellin. et var. auriculata, Krastaticza.

var. *β.* grandiflora: major, foliis late ovato-oblongis, racemo composito. — Syn. S. grandiflora Ettl. Salv. n. 2. — Icon. Jacq. f. eclog. pl. tab. 36.

Hab. locis saxosis apricis Dalmatiae totius, var. in hortis. Floret a vere in aestatem. Corolla violacea aut alba. ♄.

Usus. Folia inter remedia indigena amara, aromatica, stomachica, febrifuga, nervina, egregie praestant, forma infusi, aut decocti, vel aquae stillatitiae. Etiam usui culinario inserviunt.

Sect. II. Drymosphace.

Benth. lab. p. 218.

Calycis campanulati labio superiore abbreviato subtridentato, corollae tubo annulo piloso intus praedito.

931. Salvia glutinosa L. sp. pl. ed. II. p. 37. Host fl. austr. 1. p. 26. Rchb. fl. exc. p. 333.

S. herbacea, glanduloso-villosa, viscida, foliis cordato-hastatis serratis, superioribus floralibusque acuminatis, calycis labio superiore vix tridentato, inferiore bifido, dentibus ovatis acutis inermibus.

Icon. Dodon. pempt. p. 292. Clus. hist. pl. 4. p. XXIX. Rivin. mon. irr. tab. 35. Besl. hort. eyst. aest. ord. 8. fol. 4. f. 1.

Hab. in umbrosis sylvaticis subalpinis montium Vellebith, nec non ad sepes et fossas circa Verlika, Stermizza, et in Krivoscie. Flores citrini fusco punctati. Floret aestate. ♃.

Sect. III. Horminum.

Benth. lab. p. 220.

Calycis tubulosi labio superiore truncato subtridentato, corollae tubo intus nudo.

932. Salvia Horminum L. sp. pl. p. 34. Vis. stirp. dalm. p. 46. Host fl. austr. 1. p. 24. Rchb. fl. exc. p. 332. Pett. bot. Wegw. n. 806.

S. herbacea villosa, foliis obtusis ovalibus aut subcordato-ovatis crenatis petiolatis, superioribus sessilibus, floralibus rhombeo-subrotundis acutis integris, supremis ovato-acuminatis membranaceis majoribus coloratis comosis vacuis.

Icon. Sibth. et Sm. fl. gr. I. tab. 20. Sabb. h. roman. 3. tab. 19. f. 1. 2. Rivin. mon. irr. tab. 37. Barrel. ic. pl. 1233. — Illyr. Proscenicza trava.

Hab. in agris sterilibus, ad agrorum margines, et in satis circa Sebenico, Traù, Spalato, Salona, Macarsca et Ragusa. Coma et flores saturate violacei, vel rubro-rosei. Floret vere. ⊙.

933. Salvia viridis L. sp. pl. ed. II. p. 34. Host fl. austr. 1. p. 25. Rchb. fl. exc. p. 332.

S. herbacea villosa, foliis obtusis ovalibus aut subcordato-ovatis crenatis petiolatis, superioribus sessilibus, floralibus omnibus conformibus, rhombeo-subrotundis, acutis, integris, floriferis, viridibus.

Syn. S. Spielmanni Scop. del. insubr. 3. p. 31. Jacq. fil. ecl. pl. 1. p. 25. Rchb. icon. bot. VI. p. 23 nec Vahl. — Icon. Rchb. l. c. fig. 727. 728 et 532. Sibth. et Sm. fl. gr. 1. tab. 19. Jacq. l. c. tab. 15, et icon. rar. 1. tab. 4. Scop. del. insubr. tab. 15. Desf. fl. atl. 1. tab. 1.

Hab. in locis saxosis apricis Ragusae secus viam della Caravana in monte Zarovicza. Floret a vere in aestatem. Flores violacei aut rosei. ⊙.

Sect. IV. Aethiopis.

Benth. lab. p. 222.

Calycis campanulati labiò superiore tridentato, dentibus erectis, corollae tubo intus nudo.

934. Salvia Sclarea L. sp. pl. ed. II. p. 38. Vis. stirp. dalm. p. 46. Host fl. austr. 1. p. 28. Rchb. fl. exc. p. 333. Alsch. fl. jadr. p. 6. Pett. bot. Wegw. n. 810.

S. herbacea viscida lanuginosa, foliis cordato-ovatis acutis duplicato-crenatis rugosis petiolatis, supremis sessilibus, bracteis late ovatis cuspidatis concavis coloratis calyce longioribus, supremis vacuis.

Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. 1. tab. 25. Blackw. herb. tab. 122. Lobel. icon. stirp. p. 556. f. 2. Rivin. mon. irr. tab. 33. — Illyr. Ivanje cojtie. Ivanovo zelje.

Hab. in hortis, ruderatis, apricis, ad sepes et margines agrorum totius Dalmatiae vulgaris. Flores rosei, bracteis pallide carneis suffulti. Odor aromaticus caput tentans. Floret Majo, Junio. ♂.

Usus. Herba virtute nervina et errhina praedita, nunc obsoleta. Folia musto vinove infusa iis moschatum odorem indunt.

935. Salvia argentea L. sp. pl. ed. II. p. 38. Bertol. fl. ital. 1. p. 158.

S. herbacea viscida lanuginosa, foliis oblongis ovatis subcordatisve eroso-sinuatis albolanatis, reliquis ovatis sessilibus, bracteis cordato-amplexicaulibus cuspidatis concavis calycem subaequantibus, supremis abortientibus vacuis.

Syn. S. Aethiopis Host fl. austr. 1. p. 29 et Rchb. fl. exc. p. 332. (quoad plant. dalm.) non L. S. patula Desf. fl. atl. 1. p. 25. S. candidissima Hoffmsgg. et Lk. fl. port. 1. p. 150. Pett. bot. Wegw. n. 809. S. atlantica Pers. ench. pl. 1. p. 29. — Icon. Hoffmsgg. et Lk. l. c. tab. 20. Sibth. et Sm. fl. graec. 1. tab. 27. Jacq. h. schoenbr. 1. tab. 6. — Illyr. Pusticza. Pusvicza.

Descr. Radix nigra perpendicularis fibrosa biennis. Folia radicalia in orbem prostrata cordata vel subcordata, vel basi truncata, vel ovata, albo-lanata, eroso-sinuata, petiolis longis dense longeque lanatis, basi amplexicaulibus, subtus convexis, supra canaliculatis. Caulis erectus ulnaris et ultra, tetragonus, quadrisulcatus, viscidus, lanuginosus, superne brachiatus. Folia caulina ovata utrinque attenuata, acuta, sessilia, piloso-glutinosa, subtus albo-lanuginosa, supra viridiora rugosa venosa. Bracteae late cordatae, amplexicaules, subconnatae, cuspidatae, concavae, piloso-glutinosae, patentes, persistentes, calyce longiores, quandoque etiam breviores. Rami oppositi, patentes, per paria decussati, tetragoni, piloso-viscidi, apice abortientes. Flores secundi, magni, verticillastris subsexfloris, distantibus, summis abortivis. Calyx labiatus angulatus viscido-lanuginosus, labio superiore breviter tridentato, inferiore bifido, dentibus mucronatis pungentibus. Corolla alba, inter species nostrates maxima, labio inferiore trilobo, lacinia media postice saccata, apice biloba reflexa, lateralibus oblongis obtusis, multo minoribus, saepius intortis, fauce inflata, tubo oblongo compresso, galea falcata, compressa, apice biloba, extus pilis purpureis glutinosis obsita, tubo triplo longiore. Stamina ante anthesin inclusa, galeam aequantia, postea quandoque exserta, connectivo incurvo filiformi prope basim transverse filamento fauce corollae utrinque inserto suffulto, extremitate inferiore membranacea dilatata callosa cum illa connectivi alterius fere insimul coalita, loculis antherarum fertilibus, erectis, luteis. Stylus incurvus longe exsertus, apice bifidus, lacinia inferiore longiore. Achenia oblonga fusca. Odor plantae totius ut in Sclarea, sed debilior.

Hab. locis apricis, asperis, et ad margines agrorum, Milievzi, et Zagorje in ditione Dernisensi, Torrette, Sebenico, Verpolje, Koinsko circa Clissa, nec non in insulis Brazza et Lesina. Floret Junio. ♂.

Obs. Folia radicalia variant cordato-subrotunda, ut in vera S. patula Desf. et Florae lusitanicae, vel oblonga, ut in S. argentea Florae graecae et Jacquini, quae nullo pacto specie distingui possunt: nostra caeterum potius plantam atlanticam quam graecam et neapolitanam refert.

Usus. Rustici nostrates vulneribus ulceribusque folia radicalia plantae hujus imponunt, quae tum sanguinis profluvium sistere, tum irritationem et dolorem lenire mollissima lanugine qua obducuntur, tum ulcerum superficiem detergere, et sic promptius sanare, optime norunt.

Sect. V. Plethiosphace.

Benth. lab. p. 230.

Calycis campanulati labio superiore concavo, dentibus tribus minimis conniventibus, corollae tubo intus nudo.

936. Salvia Bertolonii Vis.

S. herbacea villosa, superne viscida, foliis ovatis basi cordatis petiolatis, margine duplicato-crenatis sublobatisve, rugosis, subtus pubescentibus, superioribus ovato-acuminatis sessilibus amplexicaulibus, bracteis ovatis cuspidatis calycem subaequantibus, racemo ramoso, corollae labio superiore extus glanduloso-piloso et calyci aequilongo inferius superante.

Syn. S. scabrida Bertol. fl. ital. 1. spec. add. p. 855! non Pohl pl. bras. 2. tab. 195. S. sylvestris Vis. stirp. dalm. p. 46 non L. — Icon. Barrel. ic. pl. n. 207? rudis.

Hab. in pascuis, locisque herbidis circa Sebenico, Dernis, et probabiliter in reliqua Dalmatia. Flores rubro-violacei, aut violaceo-caerulei, aut rarius albi. Floret a vere in aestatem. ♃.

Descr. Radix perennis. Caules tetraquetri erecti vel adscendentes basi lanuginosi, sursum glabriores, apice saepius trifidi, aut opposite ramosi, visciduli. Folia inferiora petiolata cordato-ovata, duplicato-crenata aut sublobata, subtus sparsim lanuginosa, supra rugosa aut etiam bullata, superiora subcordato-amplexicaulia sessilia acuminata. Bracteae cordato-acuminatae integrae, inferiores calyci aequales, reliquae sensim breviores. Racemi rarius simplices, saepius ramosi vel plures, glanduloso-lanuginosi, visciduli. Calyces patuli, demum nutantes, campanulati, lobis ciliatis, labio superiore late ovato bisulco brevissime acutissimeque tridentato, inferiore bifido, lobis ovato-lanceolatis aristatis adscendentibus. Corollae tubo calycem aequante, galea tubo calycis aequilonga, barba quidquam breviore, stylo nunc exserto nunc galeam aequante. Caetera ut in congeneribus hujusce sectionis. Habitus Salviae pratensis, flores S. Verbenacae, a qua potissimum differt foliorum latitudine. Sed an haec nota partium in S. Verbenaca mire ludentium sufficiat, cultura probandum. Huc forsitan pertinet etiam S. pratensis Alsch. fl. jadr. p. 6, et Pett. bot. Wegw. n. 809, sed autopsia deficiente, tute statuere nequeo. Differt ab hac primo intuitu corollis duplo minoribus.

937. Salvia Verbenaca L. sp. pl. ed. II. p. 35.

S. caule herbaceo villoso, superne viscido, foliis subcordato-oblongis petiolatis margine duplicato-crenatis lobatisve, rugosis, glabriusculis, superioribus ovato-acuminatis sessilibus, bracteis ovatis cuspidatis calyci subaequalibus, racemo subramoso, corollae labiis subaequalibus, superiore glabriusculo, eglanduloso, calyci aequilongo.

var. *α.* sinuata: foliis sinuatis, racemo elongato attenuato. — Syn. S. Verbenaca Sm. engl. fl. 1. p. 35. Host fl. austr. 1. p. 25. Rchb. fl. exc. p 332. Pett.

bot. Wegw. n. 811. S. oblongata JACQ. fil. ecl. pl. 1. p. 23. RCHB. ic. bot. VI. p. 16. — Icon. JACQ. ecl. pl. 1. tab. 14. RCHB. ic. bot. VI. fig. 717. 718. BARREL. ic. pl. 208. RIVIN. mon. irr. tab. 38. f. 1.

var. β. multifida: foliis pinnatifidis, lobis dentatis incisisve, racemo abbreviato truncato. — Syn. S. multifida SIBTH. et SM. fl. graec. 1. p. 17. RCHB. fl. exc. p. 332. ALSCH. fl. jadr. p. 6. S. clandestina VIS. stirp. dalm. p. 46. HOST fl. austr. 1. p. 26. RCHB. fl. exc. p. 332 quoad pl. dalm. PETT. bot. Wegw. n. 805 an L? — Icon. SIBTH. et SM. l. c. tab. 23. RCHB. fl. bot. VI. f. 719. 720. TRIUMF. obs. p. 66. BARREL. ic. pl. 220.

Hab. var. α. in agris et pascuis circa Spalato, Ragusa, et in insula Lesina: β. in collibus locisque saxosis apricis totius Dalmatiae frequens. Corollae caeruleae, labii inferioris lobo medio dilutiore. Florent jam a Februario in aestatem. ♃.

Obs. Differentiis omnibus, quas varii auctores proferunt, accurate perpensis, et plurimis diversae stationis speciminibus comparatis, in eam sententiam ducor, ut S. Verbenaca, S. multifida, et S. oblongata neutiquam specifice sejungi debeant. Foliorum forma nunc ovata nunc oblonga, haec modo basi excisa modo integra, nunc margine crenata, nunc sublobata, nunc lobata, nunc pinnatifida, nunc etiam bipinnatifida: caulis brevior nudiusculus simplex, vel elatior foliosus ramosus: racemus elongatus attenuatus, vel brevior abrupte truncatus: calyces pilis incoloribus vel albis ciliati: corollae nunc calyce paullo nunc duplo longiores, ita ludunt variis in locis, ut qui has formas omnes viventes viderit et comparaverit nulla sane dubitatione tenetur, quin eas ad unicum speciei typum spectare judicet. S. oblongata VAHL en. pl. 1. p. 256. differt a planta JACQ. et RCHB. foliis non sinuatis, et hac unica nota, VAHLIO ipso testante, discrepat a S. Verbenaca. — S. clandestina herb. LINN. et SIBTH. et SM. fl. gr. 1. p. 18. tab. 24. videtur diversa foliis tenuius et acute laciniatis, subtus albido villosis, racemo hirsutissimo, dentibus calycis inferioribus muticis. Cultura tantum evinci potest characterum horum constantia, et si stationi sicciori tribui debeant nec ne. Quam habui sub hoc nomine e Graecia a cl. FRIEDRICHSTAHLIO habet quidem racemum valde hirsutum, quod etiam in S. multifida interdum obvenit, sed folia glabra, et dentes omnes calycis mucronati, ut in hac postrema. S. clandestina RCHB. ic. bot. 6. f. 721. formam interrupte laciniatam exhibet a nostris diversam.

Sect. VI. Hemisphace.

BENTH. lab. p. 311.

Calycis tubulosi angusti labio superiore breviter tridentato sublongiore, corollae tubo annulo piloso intus praedito.

938. Salvia verticillata L. sp. pl. ed. II. p. 37. HOST fl. austr. 1. p. 26. RCHB. fl. exc. p. 333. ALSCH. fl. jadr. p. 6. PETT. bot. Wegw. n. 812.

S. herbacea villosa, foliis subhastato-cordatis inaequaliter crenato-dentatis petiolatis, petiolis auriculatis nudisve, florum verticillastris subrotundis multifloris subnudis in racemum digestis, pedicellis calyci subaequalibus, stylo labio inferiori incumbente.

Icon. CLUS. hist. pl. IV. p. XXIX. RIVIN. mon. irr. tab. 38.

Hab. in sylvaticis et ad sepes circa Zara, Sebenico, Scardona, Spalato, Cattaro, Risano, Krivoscie, frequentius in Dalmatia montana. Floret Majo, Junio. Corollae rubro-violaceae, calycibus purpureo-lanuginosis. ♃.

CCCXXVIII. Rosmarinus Tourn.

Inst. rei herb. p. 195. tab. 92.

Char. Calyx campanulatus bilabiatus, labio superiore integro aut brevissime tridentato, inferiore bifido. Corolla labiata, labio superiore erecto bifido, lobis retroflexis divaricatis, inferiore tripartito, lobo medio maximo concavo. Stamina antheris invicem margine cohaerentibus. — Class. Diandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

939. Rosmarinus officinalis L. sp. pl. ed. II. p. 33. VIS. stirp. dalm. p. 45. HOST fl. austr. 1. p. 23. RCHB. fl. exc. p. 316. ALSCH. fl. jadr. p. 6. PETT. bot. Wegw. n. 782.

R. foliis sessilibus lineari-lanceolatis coriaceis, supra nitidis, margine revolutis, subtus reticulatis incanis.

Icon. TH. F. NEES gen. pl. fasc. XIX. n. 2. SIBTH. et SM. fl. gr. I. tab. 14. RIVIN. mon. irr. tab. 39. MATTH. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 833. — Illyr. Rusmarin. Zimorad.

Hab. in locis apricis, saxosis, collinis insularum circa Zara, nec non in insulis Solta, Lesina, Curzola, Lissa, etiam prope Spalato et Ragusa: insuper ubique colitur. Floret jam a Januario in insulis, serius in continente, ad autumnum. Corollae violaceo-caeruleae. ♄.

Usus. Flores et folia odore praestant fragranti, sapore aromatico calido. Horum destillatione obtinetur oleum, vulgo Essenza di Rosmarino, quod in compositione usuvenit liquoris illius aromatici, Acqua della Regina dicti, in quo parando Lesina insula excellit. Tum aqua haec, tum plantae summitates infusae laudantur in nervorum mobilitate, stomachi imbecillitate, menstruorum retentione. Paratur etiam cum ipsa acetum aromaticum vi antiseptica pollens.

Trib. IV. SATUREINEAE.

KOCH syn. fl. germ. ed. II. p. 639.

Corolla labiata, staminibus quatuor fertilibus, inferioribus longioribus, antherarum loculis apice divisis, connectivo dilatato integro aut bipartito conjunctis, demum divaricatis, loculo quoque rima propria longitudinali dehiscente.

CCCXXIX. Origanum L.

Gen. pl. ed. II. p. 204.

Char. Calyx oblongo-tubulosus, dentibus quinis rectis ovato-lanceolatis aequalibus, vel inferioribus paullo brevioribus, fauce barbata. Corolla subbilabiata, labio superiore erecto planiusculo emarginato, inferiore patente subaequaliter trifido. Stamina superne patula, stylus aequaliter bifidus. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

940. Origanum vulgare L. sp. pl. ed. II. p. 824. VIS. stirp. dalm. p. 42. HOST fl. austr. 2. p. 157. RCHB. fl. exc. p. 313. PETT. bot. Wegw. n. 661.

O. foliis ovatis subintegris, spicis oblongis fasciculatis, calycibus glandulosis fauce dense barbatis.

var. *α.* genuinum: spicis conglobatis, bracteis coloratis glabriusculis eglandulosis, vel vix glandulosis. — Icon. TH. F. NEES gen. pl. XVIII. n. 2. Flor. dan. 1581. BULL. herb. de la Fr. pl. 193. BLACKW. herb. tab. 280. RIVIN. mon. irr. tab. 60. f. 1. MATTH. disc. sopra Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 739. — Illyr. Mravinacz. Metviza çarljena.

var. *β.* prismaticum: spicis fructiferis elongatis prismato-tetragonis, bracteis coloratis hirtellis glandulosis. — Syn. O. creticum L. sp. pl. ed. II. p. 822. cum var. *β.* Savi mem. sull' Origano p. 6. O. heracleoticum RCHB. fl. exc. p. 313. O. vulgare *β.* BENTH. lab. p. 335. excl. O. hirto LK. — Icon. SAVI loc. cit. tab. 1. f. 2. LAM. enc. bot. pl. 511. f. 1. CAMER. epit. p. 468. LOBEL. ic. 492.

var. *γ.* virens: spicis glomeratis oblongis, bracteis decoloribus intus vix glandulosis. — Syn. O. virens HOFFMSGG. et LK. fl. port. I. p. 119. O. vulgare var.? *β.* RCHB. fl. exc. p. 313.

var. *δ.* hirtum: spicis glomeratis brevibus oblongisve, bracteis decoloribus, utrinque glanduloso-punctatis. — Syn. O. heracleoticum Host fl. austr. 2. p. 156. et herb! Benth. lab. p. 336. O. smyrnaeum Vis. stirp. dalm. p. 42. Host fl. austr. l. c. Alsch. fl. jadr. p. 130. Pett. bot. Wegw. n. 660. non L. O. hirtum Lk. en. pl. h. berol. p. 114. — Illyr. Bàbbina dùscicza. Rohogan.

Hab. species mire polymorpha in locis incultis totius Dalmatiae, var. *γ.* ad sepes, var. *δ.* in apricis asperis. Flores et bracteae nunc purpureo colorati, nunc illi albi, hae virentes. ♃.

Obs. Folia variant late ovata, ovato-acuta, ovato-acuminata, integra vel parce dentata; bracteae coloratae vel non, calyci aequales vel longiores, nunc utrinque eglandulosae, nunc sola facie interiore, nunc etiam extus sed parcius glandulosae, glabrae, aut solo apice ciliatae, aut utrinque pubescentes vel hirtellae. Praesentia glandularum in facie interna bractearum O. hirti haud ita huic plantae solemnis ut non inveniatur etiam in O. virente, quod itaque jungit O. hirtum cum O. vulgari, secus ac opinatur cl. Vogel in Linnaea 1841. p. 80. Colitur quoque passim O. Majorana L. illyr. Sanseg, Masran, quod perperam novi generis typus habitum ex sola calycis divisione hoc in genere ludibunda, et ideo nullius momenti.

CCCXXX. Thymus Tourn.

Inst. rei herb. p. 196. tab. 93.

Char. Calyx obovatus bilabiatus, labio superiore tridentato, inferioris bifidi dentibus subulatis ciliatis, omnibus adscendentibus, fauce in fructu villis clausa. Corolla labiata, labio superiore erecto emarginato planiusculo, inferiore trifido. Stamina superne patula. Stylus subinaequaliter bifidus. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

941. Thymus Serpyllum L. sp. pl. ed. II. p. 825. Vis. stirp. dalm. p. 49. Alsch. fl. jadr. p. 127.

Th. suffruticulosus, decumbens, florum cymis in capitulum racemumve oblongum vel interruptum digestis, foliis planis, basi breviter petiolatis, foliis floralibus oblongis basi angustatis, calycis dentibus superioribus ovato-lanceolatis acutis inferioribus triplo brevioribus.

var. *α.* vulgaris: foliis oblongis, caule bifariam piloso. — Syn. Th. Chamaedrys Fries nov. ed. II. p. 197. Rchb. fl. exc. p. 312. Th. Serpyllum *α. β. ε.* L. sp. pl. l. c. Th. Serpyllum Host fl. austr. 2. p. 137. — Icon. Sow. engl. bot. tab. 1514. Dodon. pempt. p. 277. Rivin. mon. irr. tab. 42 f. 2. 3. Fuchs hist. pl. p. 251. — Illyr. Popunacz. Materinka. Máterina duscicza.

var. *β.* montanus: major, foliis ellipticis, caule quadrifariam piloso. — Syn. Th. montanus Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 1. p. 72. Host fl. aust. 2. p. 137. Th. Chamaedrys *β.* montanus Rchb. fl. exc. p. 313. — Icon. Waldst. et Kit. l. c. tab. 71. Matth. disc. sopra Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 763.

var. *γ.* angustifolius: foliis cuneato-linearibus, ramis undique pubescentibus. — Syn. Th. angustifolius Pers. syn. pl. 2. p. 130. Host fl. austr. 2. p. 138. Rchb. fl. exc. p. 312. excl. var. *α.* Th. lanuginosus Host l. c. p. 139. — Icon. Clus. hist. pl. III. p. 360.

var. *δ.* pannonicus: foliis oblongo-linearibus, ramisque villosis. — Syn. Th. pannonicus Allion. fl. ped. 1. p. 20. Rchb. fl. exc. p. 312.

Hab. in collibus, locisque saxosis apricis totius Dalmatiae: var. *α.* et *β.* in montibus locisque herbidis vel sylvaticis, var. *γ.* locis siccioribus orae maritimae. Floret ab aestate in autumnum. Flores rosei. ♄.

Obs. A specie admodum polymorpha Th. angustifolium Pers. et Th. pannonicum All. distinguere nequeo, quos igitur, praeeunte cl. Koch syn. ed. II. p. 641., copulavi. A primo autem probe differt Th. acicularis a pluribus cum ipso conjunctus vel commutatus, quem mox exponam.

942. Thymus Zygis L. sp. pl. ed. II. p. 826. Sibth. et Sm. fl. graec. VI. p. 60.

Th. suffruticulosus, decumbens, foliis rigidis linearibus canaliculatis basi ciliatis subsessilibus, subtus floralibusque basi latioribus apice lanceolatis nervosis, nervis crebris prominulis, florum cymis in capitulum vel racemum brevem congestis, calycis dentibus superioribus lanceolato-acuminatis, inferioribus longius ciliatis duplo brevioribus.

Syn. Th. acicularis Waldst. et Kit. pl. hung. 2. p. 157. Vis. stirp. dalm. p. 49. Host fl. austr. 2. p. 138. Pett. bot. Wegw. n. 941. Th. striatus Vahl symb. 3. p. 78. Th. Marinosci Tenor. prodr. fl. nap. I. p. XXXV. Rchb. fl. exc. p. 312. Th. angustifolius α. Rchb. l. c. — Icon. Waldst. et Kit. l. c. tab. 147. Boccon. mus. piant. p. 89. f. sup. dext.

Hab. in apricis saxosis insulae Cherso, in montibus Vellebith, Biokovo, Prologh, circa Ragusa al Gionchetto, et in monte Vlasticza. Floret aestate. Corolla rosea. ♄.

Obs. Hic est Th. Zygis L. herb! ex cll. Benth. et Gusson. sed diagnosis linnaeana caule erecto, et icones Bauhini et Clusii ab ipso citatae floribus remote verticillatis insignes, a nostro profecto alienae.

943. Thymus bracteosus Vis. in Benth. lab. gen. et sp. p. 346.

Th. suffruticulosus decumbens, foliis oblongis basi longe attenuatis petiolatis ciliatis, facie planis, margine revolutis, floribus in capitulum subrotundum congestis, bracteis sessilibus late subcordato-ovatis imbricatis ciliatis foliisque subtus rariter et obsolete nervosis, calycis dentibus superioribus lanceolato-acuminatis inferioribus duplo brevioribus, omnibus longe aequaliterque ciliatis.

Icon. Fl. dalm. I. tab. XX. *a.* bractea, *b.* calyx, *c.* idem apertus, *d.* corolla.

Hab. in apricis saxosis montium Svilaja, Prologh, Vlasticza, Zarina, nec non Ragusae al Gionchetto, cum praecedente. Flores rosei. Floret aestate. ♄.

Descr. Caulis decumbens radicans, ramis adscendentibus canescentibus. Folia ovalia oblongave plana, basi longius attenuata, distincte petiolata, ciliata, vel solo petiolo pilis raris longis patulis ciliato, apice paullo angustata obtusiuscula, margine saepissime revoluta, nervis raris tenuibus. Flores in capitulum globosum congesti, bracteis latissimis subcordato-ovatis ovatisque, breviter et sensim apice angustatis obtusis, inferne ciliatis, subtus nervosis. Calyx 11—13-nervius, nervis pilosis, bilabiatus, fauce villo barbata, dentibus superioribus late lanceolatis, inferioribus subulatis vix longioribus, omnibus longe et aequaliter pectinato-ciliatis. Corolla rosea labio superiore emarginato, inferiore trifido. Stamina divergentia exserta. Achenia minutissime punctulata.

Obs. Affinis praecedenti, a quo characteribus datis, et praecipue foliorum forma Serpylli vulgaris aemula, eorumdem consistentia membranacea nec rigida, petiolis distinctis, nervis tenuibus raris obsoletis, et bracteis non basi ovatis apice anguste lanceolatis, sed toto ambitu ovatis, nec non habitu laxiore certo certius distinguitur. Crescit insuper iisdem locis ac illud, quin in ipsum mutetur, et etiam specimina ejus macriora characteres expositos foliorum et bractearum constanter servant.

944. Thymus capitatus Hoffmsgg. et Lk. fl. port. 1. p. 123.

Th. fruticosus, cano-pubescens, ramosissimus, foliis rigidis linearibus complicatis carinatis, basi ciliatis, floribus in capitulum oblongum congestis, floralibus rhombeo-ovalibus imbricatis ciliatis, calycis compressi dentibus superioribus brevissimis, inferioribus subulatis ciliatis.

Syn. Satureja capitata L. sp. pl. ed. II. p. 795. Sibth. et Sm. fl. graec. 6. p. 36. Thymbra spicata Pett. bot. Wegw. n. 1037. non L. — Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. tab. 544. Barrel. icon. 897. Clus. hist. pl. 3. p. 357.

Hab. in maritimis prope Traù, inter Vranjzca et S. Cajo, ad Cittavecchia in insula Lesina, et in collibus apricissimis circa Ragusa. Flores purpurei. Floret a Junio ad Sept. ♄.

Obs. Planta a genere parum abludens, sed staminibus patulis nec conniventibus, et inflorescentia huic potius quam Saturejae congener. Nec gibba calycis huic deficiens in omnibus Thymi speciebus ita conspicua et constans, ut pro nota generica haberi possit. Affinis etiam Thymbrae, sub quo genere adduxit cl. GRISEBACH spic. fl. rum. 4. p. 127., calyce dorso plano, et dentibus superioribus abbreviatis, sed dentes inferiores in illa lanceolati plani, in nostra subulati ut in Thymo.

CCCXXXI. Satureja L.

Gen. pl. ed. II. p. 202. excl. spec.

Char. Calyx tubulosus basi aequalis decemnervius, subaequaliter quinquedentatus aut subbilabiatus. Corolla labiata, labio superiore erecto planiusculo emarginato, inferiore trifido. Stamina apice conniventia, antherae loculis apice junctis, connectivo ovato aut subtriangulari oblique adnatis, basi demum divergentibus. Stylus inaequaliter bifidus, laciniis apice stigmaticis. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

945. Satureja hortensis L sp. pl. ed. II. p. 795. HOST fl. austr. 2. p. 135. RCHB. fl. exc. p. 311. ALSCH. fl. jadr. p. 131. PETT. bot. Wegw. n. 818.

S. caule herbaceo ramosissimo canescente, foliis lineari-lanceolatis acutiusculis, basi in petiolum attenuatis, florum cymis axillaribus uni-trifloris, supremis approximatis, calycibus fauce glabriusculis.

Icon. T. F. NEES gen. pl. XX. n. 9. f. 1—23. LAM. enc. bot. pl. 504. f. 2. RIVIN. mon. irr. tab. 44. f. 1. CAMER. epit. p. 487. MATTH. disc. sopra Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 762. — Illyr. Çupar.

Hab. in agris circa Traù, Spalato, et in insula Lesina. Floret ab aestate in autumnum. Corolla lilacina aut alba, fauce purpureo punctata. ⊙.

946. Satureja montana L. sp. pl. ed. II. p. 794. VIS. stirp. dalm. p. 46. HOST fl. austr. 2. p. 134. ALSCH. fl. jadr. p. 131. PETT. bot. Wegw. n. 820. excl. syn. SIEB.

S. caule suffruticoso adscendente, foliis obverse lanceolatis acuminatis, basi attenuata sparse ciliatis, florum cymis axillaribus pedunculatis subtrifloris in racemum subsecundum dispositis, calycis fauce villosa, acheniis oblongis.

var. *α.* communis: caule teretiusculo canescente, calyce subaequidentato, corollae tubo labium inferius aequitrilobum superante. — Syn. Satureja hyssopifolia BERTOL. in ann. di Stor. nat. bol. 1. p. 407. Micromeria montana RCHB. fl. exc. p. 311. — Icon. TH. F. NEES gen. pl. XX. n. 9. f. 24—26. BLACKW. herb. 2. pl. 318. — Illyr. Vrisak Kojnski. Ossjenacz.

var. *β.* variegata: caule teretiusculo canescente, calyce subaequidentato, corollae tubo labium inferius aequante, lobo medio lateralibus duplo latiore. — Syn. S. variegata HOST! fl. austr. 2. p. 134. Micromeria variegata RCHB. fl. exc. p. 859. — Icon. RIVIN. mon. irr. tab. 44. f. 2.

var. *γ.* subspicata: caule tetragono glabro aut bifariam canescente, calycis dentibus inferioribus longioribus. — Syn. S. subspicata BARTL. VIS. stirp. dalm. spec. p. 11. ALSCH. fl. jadr. p. 131. PETT. bot. Wegw. n. 821. S. pygmaea SIEB. ined. KOCH syn. fl. germ. ed. II. p. 642. Micromeria pygmaea RCHB. fl. exc. p. 311. excl. syn. RIV. S. illyrica HOST! fl. austr. 2. p. 133. — Icon. VIS. stirp. dalm. spec. tab. 4. — Illyr. Vrisak kojnski mali.

Hab. var. *α.* rarior et *β.* vulgaris in totius Dalmatiae litoralis locis saxosis apricis, var. *γ.* in pascuis ad Smilcich et Obbrovazzo, sed copiosius in tota Dalmatia montana a Dernis ad Imoski, et usque ad Cattaro et Krivoscie. Flores in *α.* albi, labio superiore dilute roseo, fauce purpureo punctata; in *β.* similes

sed fauce lineolis et punctis purpureis variegati: in γ. purpurei, rarius rosei, interdum albi, fauce maculis intense violaceis picta. Florent ab aestate in autumnum. ♄.

Obs. Characteres, quibus plantae hic propositae discriminantur, in speciminibus observatis haud ita constantes et conspicuos vidi, ut quocumque in casu iis tute distinguendis sufficiant. S. subspicata quidem a specie magis recedit caulium glabritie, et angulis evidentibus, nec non calyce conspicue labiato, sed has quoque notas variare comperi, et diuturna cultura evanescere. Variat insuper species foliis utrinque crebre, vel subtus parcius glandulosis, florum cymis subsessilibus vel longe pedunculatis, trifidis vel ramosis, ideoque racemis nunc compactis nunc laxis, calycis dentibus longioribus gracilioribus, vel brevioribus crassioribus et pungentibus, corollae fauce puberula vel barbata. Odor quoque variat nunc gravis ingratus, nunc gratior.

947. Satureja cuneifolia Ten. fl. nap. prodr. p. 33. Bertol. fl. ital. 6. p. 57.

S. scabro-hispida, caule suffruticoso erecto, ramis virgatis, foliis obverse lanceolato-linearibus complicatis acutis, basi attenuata longius ciliatis, florum cymis axillaribus subsessilibus subtrifloris in racemum longum virgatum dispositis, calycis fauce parce villosa, acheniis ovatis dorso venoso-striatis.

Syn. S. fasciculata Tausch in syll. pl. soc. ratisb. 2. p. 248. non Rafin. S. virgata Vis. in Benth. lab. p. 353. S. spicata Vis. pl. sicc. S. hirta Host fl. austr. 2. p. 134. S. parviflora Host herb! non Fl. Micromeria spicata Rchb. fl. exc. p. 311. — Icon. Vis. fl. dalm. tab. XVIII. f. 2. Ten. fl. nap. tab. CLV. f. 2.

Hab. in collibus apricis saxosis Dalmatiae litoralis, presertim circa Sebenico, Ragusa, Pastrovichio, nec non in insula Lesina. Corolla albo-carnea, lineolis et punctis roseis ad faucem picta. Flor. Aug. Sept. ♄.

Obs. Caules fruticulosi virgati erecti, foliis rigidis apicem acutum versus paullo latioribus, supra canaliculatis, subtus carinatis, hirtis, punctato-glandulosis, in axillis fasciculo foliolorum stipatis. Racemi longi aut longissimi, subcylindrici, cymis bracteolatis folio longioribus, subsessilibus (icon fl. dalm. litt. a.) vel longius pedunculatis. (ic. fl. neap.) Calyces pentagoni breves dentibus subulatis acutis, inferioribus paullo longioribus (ic. fl. dalm. lit. d. magnit. auct.), faucem corollae subaequantes, intus fauce parce villosi. Corollae tubus sensim ampliatus, galea erecta retusa aut emarginata, labii inferioris lobis obtusis, lateralibus oblongis, medio subrotundo aut retuso duplo latiore, fauce pilis albis barbata (ic. nostra lit. b.). Stamina apice conniventia, antherarum loculis basi divergentibus (lit. c.). Achenia ovata, anterius carinata, dorso convexa, venis fuscis striata, basi trifariam truncata ibique cinerea. Tota planta scabro-hirta et gratissime odora. Affinis praecedenti, a qua praesertim differt racemi longitudine et tenuitate et hirsutie. Variat pedunculis cymarum lateralium brevissimis, ut in icone nostra, vel longiusculis ut in illa Fl. neap., cujus tamen calyx late dentatus minus verus. S. obovata Lag. huic similis differt foliis brevioribus obovato-spathulatis obtusis, bene monente cl. Bertolonio, calycibus longius barbatis villis erectis, floribusque minoribus, ut ipse video in specimine e regno Granatensi a cl. Boissier communicato. S. fasciculata Tausch ex descriptione, et S. hirta Host ex herbario huc certe pertinent.

CCCXXXII. Micromeria Benth.

Lab. gen. et sp. p. 368. (ch. reform.)

Th. F. Nees gen. pl. fasc. XIX. n. 3. quoad tabul.

Char. Calyx tubulosus basi subaequalis, tredecimnervis, subaequaliter quinquedentatus, vel subbilabiatus. Corolla labiata, labio superiore erecto planiusculo, inferiore trifido. Stamina apice conniventia: antherae loculi connectivo bipartito basim usque divisi, patuli, demum reflexi. Stylus inaequaliter bifidus, laciniis apice stigmaticis. Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

948. Micromeria juliana Benth. lab. p. 373. Rchb. fl. exc. p. 311.

M. pubescens hirsutave, foliis ovatis oblongis linearibusve, cymis axillaribus densi-

floris subsessilibus fastigiatis, calycibus bracteolas setaceas subaequantibus, fauce nudis, acheniis oblongis acuminatis.

Syn. Satureja juliana L. sp. pl. ed. II. p. 793. Vis. stirp. dalm. p. 46. Host fl. austr. 2. p. 133. Alsch. fl. jadr. p. 131. Pett. bot. Wegw. n. 819. Koch syn. fl. germ. ed. II. p. 643. — Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. VI. p. 540.

var. *β*. angustifolia: foliis omnibus linearibus. Vis. loc. cit. — Icon. Moris. hist. pl. sect. XI. tab. 17. f. 4.

var. *γ*. latifolia: foliis omnibus ovatis. — Icon. Ten. fl. nap. tab. 151. f. 3.

Hab. in asperis siccis apricis totius Dalmatiae litoralis et insularis: var. *β*. iisdem locis in insulis Ossero et Lesina. Flores minuti purpurei. Floret aestate. ♄.

Obs. Ludit foliis omnibus angustis linearibus, ut in var. *β*., vel omnibus ovatis ut in icone cl. Tenorei, quae cum nostris quibusdam speciminibus exacte congruit.

949. Micromeria graeca Benth. lab. p. 373. Rchb. fl. exc. p. 311.

M. pubescens hirsutave, foliis ovatis, lanceolatis linearibusque, cymis axillaribus pedunculatis, calycibus bracteolas lineares duplo superantibus, fauce villosis, acheniis oblongis obtusis.

Syn. Satureja graeca L. sp. pl. ed. II. p. 794. Alsch. fl. jadr. p. 131. Pett. bot. Wegw. n. 817. — Icon Sibth. et Sm. fl. graec. VI. tab. 542. Tenor. fl. nap. tab. 151. f. 2. Moris. hist. pl. sect. XI. tab. 17. f. 2.

var. *β*. tenuifolia: foliis omnibus lanceolatis linearibusve. — Syn. Satureja tenuifolia Ten. fl. nap. prodr. p. 33. Thymus virgatus Ten. fl. nap. 5. p. 27. Micromeria graeca *γ*. Benth. l. c. — Icon. Ten. fl. nap. tab. 151. f. 4. et tab. 155. f. 3. Th. F. Nees gen. pl. XIX. n. 3. Moris. hist. pl. sect. XI. tab. 17. f. 2. Clus. hist. pl. 1. p. 356. Cupan. panphyt. sic. ed. Bonan. tab. 124. f. 2.

var. *γ*. pauciflora: foliis ovatis, supremis ovato-oblongis, floribus inaequaliter pedicellatis, bracteolis pedicello subbrevioribus, calycis bilabiati dentibus superioribus latiusculis abbreviatis. — Syn. Micromeria pauciflora Vis. herb!

Hab. in saxosis apricis totius Dalmatiae litoralis et insularis cum praecedente, minus tamen copiose: var. *γ*. ad rupes maritimas scopuli S. Andrea prope Lesina, unde misit prof. Stalio. Corolla violacea ad faucem albida purpureo maculata. ♄.

Obs. Varietatem *β*. pedunculis brevibus vel longiusculis ludentem vix foliis omnibus angustioribus, nec inferioribus ovatis, a specie differt: longius tamen aberrat a praecedente. Planta e contra, quam utpote speciei maxime ludibundae affinem ab hac separare non audeo, est stirps humilis ramosissima, latifolia, floribus binis ternisque pedicello proprio suffultis, quorum intermedius longior, bracteis linearibus pedicellum vix attingentibus vel brevioribus, foliis floralibus floribusque fere distichis, calyce breviore ac in specie, dentibus inferioribus setaceis, superioribus brevioribus lanceolato-acuminatis latioribus. Qua ultima nota in speciminibus observatis constante, equidem plantam hanc a M. graeca sejungissem, ni etiam in ista, et praecipue in specimine siculo a cl. Gasparrinio, et in alio cretico a cl. Sieber communicatis, quandoque calycem labiatum, et ejusdem dentes superiores latiusculos et abbreviatos vidissem. — Icon. cl. Nees exacte refert antherarum characteres, quibus Micromeriae genus, hactenus solo nervorum calycinorum numero a Satureja insufficienter, et calyce subaequaliter quinquedentato a Calamintha inexacte distinctum, ab hisce et affinibus omnibus conspicue discriminatur. Loculi enim in hisce omnibus apice conniventes, e connectivo lato indiviso utrinque oblique adnati, in Micromeria e contra connectivo bipartito penitus separati sunt, sola basi connivent, et connectivi segmentis impositi, demum patentes vel etiam reflexi fiunt. Quod vere et pulchre expositum in figura decima et undecima laudatae iconis Neesianae, non tamen in textu operis, qui antheras non Micromeriae sed Saturejae describit, et iconi repugnat.

950. Micromeria parviflora Rchb. fl. exc. p. 859.

M. pubescens, foliis inferioribus ovatis, reliquis lanceolato-linearibus, cymis axillaribus longe pedunculatis uni trifloris, pedicellis bracteolas lineares duplo superantibus, calycibus pedicello subaequalibus, fauce villosis, labiatis, demum cernuis, acheniis oblongis obtusis acute triquetris.

Syn. Satureja parviflora VIS. pl. rar. dalm. in bot. zeit. 1829. 1. erg. 13. S. inodora HOST! fl. austr. 2. p. 135. non SALZM. Micromeria tenuifolia RCHB. fl. exc. p. 311. excl. syn. TEN. — Icon. Fl. dalm. tab. XVIII. f. 1.

Hab. in saxosis rupestribus montium circa Pastrovichio, ubi prius invenit cl. TOMMASINI, qui mihi et ill. HOSTIO communicavit; nec non in Montenegro a Vidrak ad Boljavich, ubi legit doct. Clementi. Flores rosei. Floret aestate. ♄.

Descr. Planta basi fruticulosa foliisque ovatis aut subrotundo-ovatis subsessilibus acutis nervosis, sursum pube minima vix canescente obducta, foliis oblongo-lanceolatis linearibusve margine revolutis brevissime petiolatis patulis: florum cymis folio brevioribus vel subaequalibus, pedunculis longis gracilibus, medio minute bracteolatis, pedicellis pedunculo subaequalibus; calycibus tubulosis teretibus fauce villosis, dentibus ciliatis, inferioribus longioribus angustioribus; corollae labio superiore oblongo emarginato, inferioris duplo longioris lobis lateralibus oblongis obtusis, medio duplo latiore emarginato, quae icon nostra male exhibet. Stamina generis. Achenia extus convexa, intus acutius et evidentius carinata ac in M. graeca. Contrita leviter aromatica. Affinis huic, sed pedunculorum gracilitate et longitudine, florum paucitate, et calycum forma distinctu facilis.

951. Micromeria Piperella BENTH. lab. p. 379.

M. pubescens, foliis inferioribus subrotundis, superioribus ovatis aut ovato-lanceolatis acutis, cymis axillaribus folio longioribus bi-trifloris, pedicellis bracteolas lanceolato-lineares vix superantibus, calycibus longe tubulosis pedicello longioribus, fauce villosis, dentibus subinaequalibus, acheniis oblongis obtusis subcarinatis.

Syn. Micromeria subcordata VIS. in BENTH. lab. p. 379. Calamintha croatica HOST fl. austr. 2. p. 132. C. Piperella RCHB. fl. exc. p. 328. Thymus Piperella ALLION. fl. ped. 1. p. 21. WALDST. et KIT. pl. hung. 2. p. 169. non L. Th. croaticus PERS. syn. pl. 2. p. 130. Th. subcordatus VIS. in fl. dalm. tab. — Icon. Fl. dalm. tab. XIX. WALDST. et KIT. l. c. tab. 156. ALLION. l. c. tab. 37. f. 3. CLUS. hist. pl. 3. p. 353.

Hab. in saxosis sylvaticis montium Vellebith secus viam regiam. Corolla violacea. Floret aestate. ♄.

Obs. Variat foliorum basi ovata, aut subtruncata, aut emarginato-cordata, calycis dentibus subaequalibus, vel binis brevioribus: faux calycis semper barbata. Stirps antherarum structura Micromeriae nec Calaminthae congener, quod consentit etiam cum reliquis ejusdem affinitatibus.

CCCXXXIII. Calamintha Moench.

Meth. plant. p. 408.

Char. Flores cymosi, cyma pedunculo communi suffulta. Calyx tubulosus, basi aequalis, tredecimnervis, cylindricus, inaequaliter quinquedentatus vel bilabiatus. Corolla labiata, labio superiore erecto planiusculo emarginato, inferiore trifido. Stamina conniventia, antherae loculis apice approximatis, connectivo ovato aut subtriangulari oblique adnatis, basi demum distantibus divaricatisve. Stylus inaequaliter bifidus, lacinia inferiore latiore margine stigmatifera. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

952. Calamintha grandiflora MOENCH meth. pl. p. 408. HOST fl. austr. 2. p. 129. RCHB. fl. exc. p. 329.

C. foliis ovatis acutis, profunde et acute serratis, calycibus longe tubulosis fauce pilosis, dentibus superioribus ovato-lanceolatis acuminatis paullo brevioribus, inferioribus lanceolato-subulatis.

Syn. Melissa grandiflora L. sp. pl. ed. II. p. 827. Thymus grandiflorus SCOP. fl. carn.

ed. II. tom. 1. p. 424. — Icon. Th. F. Nees gen. pl. XIX. nr. 5. fig. 18—29. Curt. bot. mag. tab. 208. Rivin. mon. irr. tab. 46.

Hab. in sylvaticis montium Sella, Orien et in Krivoscie. Flores magni rosei, achenia nigra. Floret aestate. ♃.

953. Calamintha officinalis Moench meth. pl. p. 409. Host fl. austr. 2. p. 128. Rchb. fl. exc. p. 329.

C. foliis ovatis serratis, calycibus tubulosis fauce incluse pilosis, dentibus lanceolato-subulatis longe ciliatis, inferioribus duplo longioribus.

Syn. Melissa Calamintha L. sp. pl. ed. II. p. 827. Vis. stirp. dalm. p. 41. Pett. bot. Wegw. n. 608. Thymus Calamintha Scop. fl. carn. 1. p. 425. Alsch. fl. jadr. p. 128. — Icon. Sow. engl. bot. tab. 1676. Bull. herb. fr. tab. 251. Sabbat. h. rom. tab. 63. Rivin. mon. irr. tab. 46. Blackw. herb. tab. 166. — Illyr. Metviza planinska. Metviçina.

Hab. in umbrosis vici Xerava prope Zara, nec non circa Sebenico, Traù, Spalato, Ragusa. Corolla purpureo-violacea, intus alba et purpura variegata: achenia fusca. Floret ab aestate in autumnum. ♃.

954. Calamintha Nepeta Clairv. man. p. 197. Host fl. austr. 2. p. 138. Rchb. fl. exc. p. 328.

C. foliis ovatis vel ovato-rotundatis obtuse leviterve serratis, calycibus campanulato-urceolatis, fauce exserte barbatis, dentibus lanceolato-subulatis breviter ciliatis, inferioribus paullo longioribus.

Syn. Melissa Nepeta L. sp. pl. ed. II. p. 828. Vis. stirp. dalm. p. 41. Pett. bot. Wegw. n. 609. Thymus Nepeta Sm. engl. fl. 3. p. 110. — Icon. Th. F. Nees gen. pl. XIX. n. 5. f. 1—17. Sow. engl. bot. tab. 1414. Blackw. herb. tab. 167. Barrel. icon pl. 1166. Boccon. mus. di piant. tab. 38. f. 2. et tab. 40. f. 2. Rivin. mon. irr. tab. 47. — Illyr. Metva divja. Metvicza gorka.

Hab. in apricis, ad vias, colles, et montes totius Dalmatiae. Flores pallide violacei parvi, achenia fusca. Floret ab aestate in autumnum. ♃.

Obs. Variat foliis cordato-ovatis, ovatisve aut subrotundis, interdum integris, parvis majoribusve, uti in citatis iconibus exhibetur.

955. Calamintha thymifolia Rchb. fl. exc. p. 328. nec Host.

C. foliis ovatis ovalibusve parce leviterve serratis, calycibus campanulato-tubulosis extus intusque glabris, dentibus ovato-triangularibus acutiusculis, apice conniventibus, tubo triplo brevioribus, infimis paullo longioribus, acheniis apice pubescentibus mucronatis.

Syn. Cuspidocarpus rupestris Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XX. n. 10. Calamintha rupestris Host fl. austr. 2. p. 131. C. alba Rchb. fl. exc. p. 328. Nepeta croatica Spr. syst. veg. 2. p. 727. Satureja thymifolia Scop. fl. carn. ed. II. tom. 1. p. 428. S. rupestris Wulf. in Jacq. collect. 2. p. 130. Melissa alba Waldst. et Kit. pl. hung. 3. p. 227. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. XX. n. 10. Jacq. icon. rar. 3. tab. 494. Scop. fl. carn. 1. tab. 29. Waldst. et Kit. loc. cit. 3. tab. 205.

Hab. in saxosis rupestribus montium Vellebith et Orien, nec non prope Cittavecchia in insula Lesina. Flores albi, labio superiore dilute violaceo, inferiore violaceo-punctato. ♄.

Obs. Calamintha thymifolia Host fl. austr. 2. p. 132., excluso synonimo Scopoliano ad speciem praecedentem spectante, videtur ab hac diversa praecipue calyce, cujus dentes setaceo-aristati, superiores patuli, inferiores erecti, et faux villis clausa. Cfr. Benth. lab. p. 386. n. 3. In planta nostra calycem semper fauce nudum inveni tum in speciminibus montium Vellebith, unde et planta in Flora hungarica descripta, tum in illis e locis Scopolianis et Wulfenianis mihi comparatis, secus ac vidit cl. Grisebach spic. fl. rum. 4. p. 124. Calyx quoque semper tredecim nervis in utrisque,

quod etiam testatus est Kitaibelius, immo Scopolius quindecim striatum descripsit. Qua nota Calaminthae nec Saturejae speciem hanc pertinere probatur. Genus a cl. Spennero conditum sola acheniorum acutie innititur, quae nota, vel si generi statuendo par esset, acheniis sequentis plantae infirmatur. Icon hujus auctoris peccat calyce decemnervi, et acheniis nimis longe cuspidatis, qualia mihi sedulo perquirenti nunquam vidisse contigit.

956. Calamintha origanifolia Vis. non Host.

C. foliis ovatis ovalibusve leviter serratis, calycibus campanulato-tubulosis hirtis, intus glabris, dentibus subulatis tubo paullo brevioribus patulis, infimis quidquam longioribus, acheniis apice pubescentibus acutiusculis.

Syn. Thymus origanifolius Vis. pl. dalm. in bot. zeit. 1830. n. 4.

Hab. in saxosis et ad muros circa Ragusa, nec non ad Scagliari, et secus viam, quae ducit ab urbe Cattaro ad pagum Mulla. Floret aestate. Corollae albae vel pallide roseae, labio inferiore rubro maculato. ♄.

Descr. Radix lignosa, fibrosa, fusca. Caules basi lignosi, fusci, tetragoni, pube minima albida canescentes, ut caeterae plantae partes, ramosissimi, adscendentes, ramis apice floridis et magis incanis. Folia petiolata glabriuscula, utrinque crebre glanduloso-punctata, inferiora altius, superiora levius serrata, ovata aut ovalia, basi cuneata integra, saepius concava. Cymae axillares dichotomae multiflorae, pedunculatae, inferiores folio minores vel subaequales, reliquae sensim longiores, in caulis ramorumque apice in racemum confertum strictum dispositae, bracteis sensim minoribus obvallatae. Calyces bracteola lineari pedicellum subaequante muniti, hirti, tredecimnerves, dentibus subulatis acutis patulis tubo paullo brevioribus, duobus inferioribus aliquanto brevioribus, fauce glabri. Corolla calyce triplo longior, labio superiore emarginato erecto, fauce villosa, labii inferioris lobis subcrenulatis, intermedio paullo latiore. Stamina adscendentia prius apice conniventia, dein parallela. Achenia oblonga apice vix acutiuscula vel obtusa, ibique pube alba adspersa. Odor plantae ut in C. officinali at debilior, sapor acrior et fere piperatus. Species characteribus calycis facile distinguenda. — C. origanifolia Host est synonimon Melissae Pulegium Roch. vel Micromeriae Pulegium Rchb., et si planta haec adhuc dubia Calaminthis unquam adscriberetur, jure anterioritatis nominis specifici Rocheliani, Calamintha Pulegium vocanda foret.

CCCXXXIV. Clinopodium Tourn.

Instit. rei herb. p. 194. sp. I. tab. 92.

Char. Flores cymosi in verticillum globosum bracteis setaceis plurimis involucratum congesti. Calyx tubulosus cylindricus incurvus, basi aequalis, tredecimnervis, bilabiatus. Corolla et stamina Calaminthae. Stylus bifidus, lacinia inferiore duplo latiore longioreque plana, margine stigmatifera, superiorem teretiusculam amplectente. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

957. Clinopodium vulgare L. sp. pl. ed. II. p. 821. Vis. stirp. dalm. p. 31. Host fl. austr. 2. p. 155. Rchb. fl. exc. p. 328. Alsch. fl. jadr. p. 128.

C. villosum, foliis ovato-oblongis ovatisve, verticillastris aequalibus multifloris globosis, bracteis involucrantibus plurimis setaceis ciliatis, calyci aequalibus.

Syn. Melissa Clinopodium Benth. lab. p. 392. Calamintha Clinopodium Spenn. handb. d. ang. Bot. II. p. 429. Clinopodium plumosum Sieb! in bot. zeit. 1822. p. 242. Rchb. fl. exc. p. 328. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XVIII. n. 4. Sow. engl. bot. tab. 1401. Fl. dan tab. 930. Clus. hist. pl. 3. p. 354. Matth. disc. sopra Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 860. — Illyr. Çepich.

Hab. locis incultis, ad sepes, et in apricis montium circa Zara, Dernis, Traù, Spalato, Salona, in monte Biokovo, in insula Lesina. Flores purpurei. Floret aestate. ♃.

Obs. Variat pubescentia totius plantae ciliisque bractearum longioribus albis, et haec forma ex loco est C. plumosum Sibb., in quo bracteae nullimode a vulgari diversae. Folia saepe basi truncata, rarius leviter emarginata, vel e contra brevissime producta. — Genus inflorescentia, calyce et stigmate, nec non habitu quodam proprio a Calaminthis diversum.

CCCXXXV. Acinos Moench.

Meth. pl. p. 407.

Char. Flores axillares singillatim pedunculati. Calyx tubulosus teres sulcatus tredecimnervis, supra basim conspicue gibbam contractus, apice bilabiatus, fauce villosus. Corolla et stamina Calaminthae. Stylus bifidus, lacinia inferiore majore margine stigmatifera, demum recurva. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

958. Acinos thymoides Moench meth. pl. p. 407. Rchb. fl. exc. p. 327.

A. caule erectiusculo, foliis ovali-lanceolatis, calyce fructifero supra gibbam abrupte constricto duploque angustiore, corolla tenui calycem paullo excedente.

Syn. Acinos vulgaris Pers. syn. pl. 2. p. 131. Vis. stirp. dalm. p. 23. Pett. bot. Wegw. n. 9. Thymus Acinos L. sp. pl. ed. II. p. 826. Host fl. austr. 2. p. 136. (per err. 316.) Alsch. fl. jadr. p. 128. Melissa Acinos Benth. lab. p. 388. Calamintha Acinos Clairv. in Gaud. fl. helv. 4. p. 84. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XIX. n. 4. f. 15—29. Oed. fl. dan. tab. 814. Rivin. mon. irr. tab. 43. Lobel. ic. p. 506. f. 1. Fuchs hist. pl. p. 896.

var. β. villosus: foliis caulibusque albo lanatis. — Syn. Melissa Acinos β. villosa Benth. l. c. Acinos villosus Pers. syn. 2. p. 131. ?

var. γ. perennans: basi repens suffruticulosus, foliis ovatis.

Hab. in agris locisque incultis totius Dalmatiae: var. β. circa Ragusa: γ. ad moenia arcis in urbe Knin. Flores parvi rosei. Floret a vere in aestatem. ⊙. aut ♃.

Obs. Varietas γ. differt a specie caulibus basi sublignosis radices agentibus, accedit vero calycibus corollisque: videtur igitur forma macrior in interstitiis lapidum loco apricissimo durior facta et perennans. Hanc quodammodo simulat icon Sow. engl. bot. tab. 411., quae tamen ex descriptione annua est.

959. Acinos alpinus Moench meth. pl. p. 407. Rchb. fl. exc. p. 328.

A. caulibus procumbentibus, foliis subrotundo-ovalibus obtusiusculis, calyce fructifero supra gibbam paullo angustato, corolla fauce infundibuliformi calycem duplo excedente.

Syn. Thymus alpinus L. sp. pl. ed. II. p. 826. Host fl. austr. 2. p. 135. Alsch. fl. jadr. p. 128. Melissa alpina Benth. lab. p. 390. Calamintha alpina Lam. fl. fr. 2. p. 394. — Icon. Jacq. fl. austr. 1. tab. 97.

Hab. locis subalpinis in montibus Vellebith, Dinara, Ghnjat, Prologh, Biokovo. Flores purpurei majusculi, calycibus bracteisque saepe coloratis. Floret aestate. ♃.

960. Acinos adscendens Moench meth. pl. suppl. p. 138.

A. caulibus adscendentibus, foliis ovalibus utrinque acutis, calyce fructifero supra gibbam sensim attenuato, corolla fauce campanulata, calycem duplo excedente.

Syn. Thymus patavinus Jacq. obs. bot. 4. p. 7. Acinos patavinus Pers. syn. pl. 2. p. 131. Griseb. spic. fl. rumel. 4. p. 123. Rchb. fl. exc. p. 2233. Melissa patavina Benth. lab. p. 389. Calamintha patavina Host fl. austr. 2. p. 133. — Icon. Jacq. obs. bot. tab. 87. Bocc. mus. tab. 45. f. B.

Hab. in saxosis apricis demissis montium Vellebith, circa Ragusa, nec non in Castel di Cattaro, et ad Spigliari. Floret aestate. Flores magni rosei. ♃.

Obs. Planta haec robustior, grandior, erectior, quamquam stationis calidioris incola, cum descendat ad mare, calycis corollaeque forma diversa nequit sane cum praecedente confundi. Dentes tamen calycini in utraque variant in fructu accumbentes, vel erecti, vel patuli, nec speciebus discriminandis sufficiunt. Huic potius quam praecedenti pertinet icon Curt. bot. mag. 2153., sed corolla angusta minus vera. Bocconius Clinopodium perenne pulegii odore majoranae folio patavinum Mus. di piant. rar. p. 60. ex eo patavinum dixit, quod in horto patavino cultum, non in ditione patavina sponte natum repererit: hinc nomen hoc erronee Jacquinus retinuit, cum plantam ipsam Thymum patavinum nuncupasset. In hortis vero sub A. patavini nomine saepius colitur alia planta foliis rhomboideo-ovatis quidquam diversa, quam A. rotundifolio retulit cl. Rchb. fl. exc. p. 327.

Satureinearum genera nimis profecto affinia, et hactenus pro vario auctorum libitu mire turbata, quia cum Melissineis confusa, et hac de causa vagis limitibus circumscripta, modo, Melissa amota, characteribus hic propositis facile distingui possunt. Origanum nempe et Thymus staminibus patulis a reliquis Satureineis diversa, invicem calycis fabrica satis differunt: Micromeria antheris bipartitis insignis: Satureja calyce decemnervi a Calamintha, Acino et Clinopodio diversa: haec iterum calycis forma, et inflorescentia inter se perspicue constanterque discriminata

Trib. V. MELISSINEAE.

Koch syn. fl. germ. ed. II. p. 644.

Corolla labiata, staminibus quatuor fertilibus, inferioribus longioribus, antherarum loculis apice junctis, basi divergentibus, in unicum tandem confluentibus rimaque communi dehiscentibus, connectivo angustissimo.

CCCXXXVI. Melissa Tourn.

Inst. rei herb. p. 193. excl. spec. tab. 91.

Char. Calyx tubulosus, supra planus, bilabiatus, labio superiore truncato tridentato utrinque carinato, inferiore bifido, fauce pilosus. Corolla labio superiore erecto concavo emarginato, inferiore trifido, lobo medio majore. Stamina apicibus conniventia. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

X **961. Melissa officinalis** L. sp. pl. ed. II. p. 827. Vis. stirp. dalm. p. 41. Host fl. austr. 2. p. 127. Rchb. fl. exc. p. 329. Alsch. fl. jadr. p. 127. Pett. bot. Wegw. n. 610.

M. pilosa villosave, foliis late ovatis crenato serratis, inferioribus subcordatis, cymis axillaribus folio florali ovato petiolato brevioribus.

Syn. M. altissima Sibth. et Sm. fl. graec. VI. p. 63. M. cordifolia Pers. syn. pl. 2. p. 132. M. graveolens Host fl. austr. 2. p. 128 — Icon. Spenn. in Nees gen. pl fasc. XVIII. n. 6. Sibth. et Sm. fl. graec. tab. 579. Rivin. mon. irr. tab. 45. Barrel. icon. 1222. Matth. ed. Valgr. 1568. p. 874. — Illyr. Pçelinka ljubicza.

Hab. in sylvaticis et ad sepes circa Zara, Traù, Spalato, Macarsca, Ragusa, Cattaro, Lastva, in montanis prope Verlika et Vergoraz, nec non in insulis Ossero et Lesina. Floret aestate. Flores albi. ♃.

Obs. Variat foliis fere omnibus, exceptis summis floralibus, cordato-ovatis, et hirsutie copiosiore longioreve, quae notae si in unam plantam jungantur, oritur M. cordifolia Pers. M. graveolens Host, in citata icone Barrelieri sat bene exhibita. Sed adsunt specimina foliis cordatis, et simul glabris, formis hisce intermedia.

Usus. Planta grate aromatica aquam stillatitiam praebet in nervorum morbis aut nimia eorumdem mobilitate praestantem: foliorum etiam infusum qua diaphoreticum propinatur.

CCCXXXVII. Hyssopus Tourn.

Instit. rei herb. p. 200. tab. 95.

Char. Calyx infundibuliformis, teres, subaequaliter quinquedentatus, fauce nudus. Corolla labio superiore erecto plano emarginato, inferiore trifido, lobo medio maximo obcordato. Stamina superne divergentia. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

962. Hyssopus officinalis L. sp. pl. ed. II. p. 796. Host fl. austr. 2. p. 153. Rchb. fl. exc. p. 316. Alsch. fl. jadr. p. 132. Pett. bot. Wegw. n. 497.

H. foliis lanceolatis integris, florum cymis axillaribus in spicam secundam approximatis.

Icon. Spenn. in Nees gen. pl. XVIII. n. 5. Jacq. fl. austr. tab. 254. Bull. herb. tab. 322. Matth. ed. Valgr. 1568. p. 733. Rivin. mon. irr. tab. 67.

var. β. canescens: DC. fl. fr. supp. 5. p. 396.

Hab. in saxosis apricis inter Carin et Smilcich, ad Kruppa prope Obbrovazzo, ad Pokrovnik prope Dernis, ad pedem montis Lemess, in montibus prope Clissa: var. β. circa Ragusa. Flores caerulei aut albi. Floret aestate. ♄.

Obs. Icon Bulliardi discrepat floribus rubris, Jacquini majori plantae gracilitate et parvitate ac in nostra.

Trib. VI. STACHYDEAE.

Corolla labiata, staminibus quatuor fertilibus parallelis approximatis, defloratis quandoque extrorsum flexis, antherarum loculis distinctis rima communi longitudinali dehiscentibus, connectivo dilatato.

Subtrib. I. Nepeteae.

Calyx tubulosus: stamina superiora longiora.

CCCXXXVIII. Nepeta L.

Gen. pl. ed. II. p. 207.

Char. Calyx subaequaliter quinquedentatus. Corolla labio superiore erecto bifido, inferiore trifido, lobo medio maximo rotundato cochleariformi crenato. Stamina extrorsum flexa. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

963. Nepeta Cataria L. sp. pl. ed. II. p. 796. Vis. stirp. dalm. p. 41. Host fl. austr. 2. p. 154. Rchb. fl. exc. p. 317. Alsch. fl. jadr. p. 133. Pett. bot. Wegw. n. 628.

N. incano-pubescens, foliis caulinis floralibusque cordato-ovatis petiolatis dentato-serratis acutis, racemis compositis spicaeformibus densifloris, acheniis laevibus glabris.

Icon. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XVIII. n. 8. f. 1—21. Sow. engl. bot. tab. 137. Oed. fl. dan. tab. 580. Bull. herb. de la Fr. pl. 587. Matth. ed. Valgr. 1568. p. 758. — Illyr. Metvicza gorka.

Hab. in ruderatis, ad vias, vineas circa Zara, Sebenico, Traù, Spalato, Narenta, Ragusa, Cattaro, etiam in montibus et in insulis. Flores albi vel carnei. Floret aestate. ♃.

964. Nepeta nuda L. sp. pl. ed. II. p. 797. Host fl. austr. 2. p. 155. Rchb. fl. exc. p. 317.

N. glabriuscula, viridis, foliis cordato-oblongis crenato-serratis brevissime petiolatis

obtusis, floralibus oblongis sessilibus, racemis laxis paniculatis, acheniis apice scabro-puberulis.

Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. VI. tab. 547. Jacq. fl. austr. 1. tab. 24. Barrl. icon. 601. Clus. hist. pl. 4. p. XXXIII. f. 1.

Hab. in montibus humilioribus, et ad casas pastorum in Vellebith, Promina, Snjesniza, Krivoscie, Pastrovich. Flores in nostra albi, caulis amethystinus aut violaceus. Floret aestate. ♃.

CCCXXXIX. Glechoma L.

Gen. pl. ed. II. p. 206.

Char. Calyx quinquedentatus, dentibus tribus superioribus longioribus. Corolla labio superiore erecto bifido, inferiore trifido, lobo medio majore plano emarginato. Stamina apice conniventia, antherarum lobis per paria in crucem obliquam dispositis. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

965. Glechoma hederacea L. sp. pl. ed. II. p. 807. Vis. stirp. dalm. p. 36. Host fl. austr. 2. p. 157.

Syn. Gl. hederaceum Rchb. fl. exc. p. 316. Gl. heterophyllum Opiz in Rchb. l. c. Gl. hirsuta Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 2. p. 124. Gl. hirsutum Rchb. l. c. Nepeta Glechoma Benth. lab. p. 485. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XVIII. n. 9. Sow. engl. bot. tab. 853. Oed. fl. dan. tab. 789. Bull. herb. de la Fr. pl. 241. Waldst. et Kit. pl. hung. tab. 119. Rivin. mon. irr. tab. 68. f. 1. 2. — Illyr. Barsctan zemaljski. Poviaç. Poviaçina.

Herba repens stolonifera, ramis floriferis adscendentibus erectisve, foliis inferioribus reniformibus, superioribus cordato-subrotundis, aut cordato-ovatis, floribus pedunculatis, in quaque axilla terni, calycis dentibus lanceolato-acuminatis tubo duplo aut triplo brevioribus, corolla magnitudine varia, purpureo-coerulea, intus maculis vel albis vel intensius violaceis variegata. Ludit omni parte major vel minor, magis minusve pilosa, dentibus etiam brevibus, sed nunquam quales in icone Bulliardi.

Hab. in sylvaticis, locisque umbrosis herbidis montium Vellebith, nec non circa Verlika et Grab. Floret vere. ♃.

Usus. Herba infusa laudatur qua emolliens, deprimens et diaphoretica in morbis pectoris.

Obs. Antherae loculi in alabastro paralleli et sejuncti, sub anthesi inter se basi fere recte divergunt, apicibus junguntur, et rima communi longitudinali dehiscunt.

Subtrib. II. Lamioideae.

Calyx tubulosus, vel campanulatus: stamina inferiora longiora.

Clavis analytica generum.

Filamenta staminum indivisa	vid. Nr. 1.	Filamenta apice bifida	vid. Nr. 3.
1. Genitalia e tubo corollae exserta	- 2.	Genitalia tubo corollae inclusa	Sideritis.
2. Corollae lobis omnibus obtusis	Stachys.	Corollae lobis lateralibus acutis	Lamium.
3. Calyce tereti	Melittis.	Calyce supra plano.	Prunella.

CCCXL. Sideritis L.

Gen. pl. ed. II. p. 206.

Char. Calyx tubulosus, dentibus demum patulis. Corolla labio superiore plano, inferiore trifido obtuso. Stamina et stylus tubo corollae inclusa. Achenia obovata, basi trigona. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

966. Sideritis romana L. sp. pl. ed. II. p. 802. Vis. stirp. dalm. p. 48. Host fl. austr. 2. p. 159. Alsch. fl. jadr. p. 130. Pett. bot. Wegw. n. 873.

S. villosa, foliis oblongis in petiolum attenuatis, antice serratis, calycis corollam aequantis dentibus glabriusculis, supremo ovato maximo, caeteris inferioribus e basi ovata subulatis, corollae labio inferiore superius ovatum inclusum superante.

Syn. Burgsdorfia romana Rchb. fl. exc. p. 327. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XVIII. n. 16. — Icon. Spenn. loc. cit. Sibth. et Sm. fl. graec. VI. tab. 552. Cavan. icon. pl. 2. tab. 187. Zannich. piant. lid. ven. tab. 39. f. 2.

Hab. in agris locisque apricis sterilibus circa Zara, Sebenico, Traù, Spalato, Ragusa, Sabbioncello, Cattaro, nec non in insulis Ossero, Cherso, Veglia, Lesina. Flores albidi. Floret aestate. ⊙.

967. Sideritis purpurea Talbot in Benth. lab. p. 742.

S. villosa, foliis oblongis in petiolum attenuatis, antice serratis, calycis corolla brevioris dentibus villosissimis, supremo ovato-lanceolato maximo, caeteris inferioribus lanceolato-subulatis, corollae labiis subaequalibus, superiore oblongo exserto.

Syn. S. purpurea et var. β. leucantha Heldr. et Boiss. herb. graec!

Hab. in arvis, locisque saxosis aridis ad Ragusa, circa Cattaro, in monte Vermaz, ad Lastva. Floret aestate. Flores rosei. ⊙.

Obs. Simillima praecedenti, sed datis characteribus sat distincta. Corollae galea angusta elongata exserta, interdum tri-quadricrenata, color roseus, qualem video in varietate citata, nec purpureus ut in specie, et dentium calycinorum villus hanc statim ab illa discernunt. Achenia scabrida, ovata, acuta, et acute trigona.

968. Sideritis montana L. sp. pl. ed. II. p. 802. Host fl. austr. 2. p. 158. Alsch. fl. jadr. p. 130. Pett. bot. Wegw. n. 872.

S. villosa, foliis oblongo-lanceolatis in petiolum attenuatis antice serratis, calycis corolla longioris dentibus subaequalibus ovato-lanceolatis glabriusculis.

Syn. Burgsdorfia montana Rchb. fl. exc. p. 327. Hesiodia bicolor Moench meth. pl. p. 392. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XVIII. n. 17. — Icon. Spenn. l. c. Sibth. et Sm. fl. graec. VI. tab. 551. Jacq. fl. austr. 5. p. 434. Columm. ecphr. 1. p. 196.

Hab. in arvis, vineis, locisque aridis circa Zara, Sebenico et Zaton, inter Spalato et Almissa, et in monte Prologh. Corolla omnis flava, aut solo labiorum margine, dein tota fusca. Floret aestate. ⊙.

CCCXLI. Stachys L.

Gen. pl. ed. II. p. 210.

Char. Calyx campanulatus, aut tubuloso-campanulatus quinquedentatus, dentibus spinulosis subaequalibus, vel superioribus longioribus. Corolla labio superiore concavo, inferiore obtuse trifido, lobo medio ovato vel obcordato. Stamina et stylus exserta. Achenia obovata. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

Sect. I. Betonica.

Benth. lab. p. 532.

bracteis calycem tubuloso-campanulatum aequantibus, verticillastris multifloris, acheniis compressis.

969. Stachys Betonica Benth. lab. p. 532.

S. hirta, scabra, foliis cordato-oblongis crenatis obtusis, superioribus oblongo-lanceolatis, floralibus subsessilibus acutis, bracteis calycem subaequantibus, calycis dentibus lanceolatis, corolla extus puberula, tubo cylindrico intus glabro.

Syn. Betonica officinalis L. sp. pl. ed. II. p. 810. Vis. stirp. dalm. p. 28. Host fl. austr. 2. p. 164. Rchb. fl. exc. p. 320. B. hirta Leyss. fl. hal. p. 109 Rchb. fl. exc. p. 320. B. serotina Host fl. austr. 2. p. 165. B. stricta Ait. h. Kew. 2. p. 299. Vis. stirp. dalm. p. 28. Rchb. fl. exc. p. 320. Alsch. fl. jadr. p. 135. Pett. bot. Wegw. n. 153. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XVIII. n. 15. f. 1—7., 10—12., 14—25. Oed. fl. dan. t. 726. Bull. herb. de la Fr. tab. 41. Rchb. icon. bot. VIII. f. 952., 953., 954. — Illyr. Ranilist. Serpacz. Bitunika.

Hab. in collibus, locisque sylvaticis siccis totius Dalmatiae. Flores purpurei. Floret aestate. ♃.

Obs. Species unica variat pubescentia copiosiore aut parciore, foliis latioribus vel angustioribus, spica interrupta aut continua. Nostra calyces semper hirtos, et formam illam frequentius exhibet, quam Leysserus sub B. hirta proposuit. Betonica officinalis a Stachyos genere non diversa nec corollae tubo intus nudo, cum adsint etiam Stachydes quaedam annulo tubi piloso nullo (St. arenaria Vahl), nec staminibus rectis, cum non omnes Stachydes stamina extrorsum flectant: hinc differentia constans omnino nulla. Sed Betonica Alopecuros L. a Stachyde satis differt corollae tubo supra basim constricto, dein ampliato, nec regulariter cylindraceo, et praesertim antherarum loculis distinctis rima propria dehiscentibus, nec demum confluentibus rimaque communi apertis: quibus notis a Stachydeis aliena, ad Leonureas accedit, quas conferas.

Sect. II. Eriostachys.

Benth. lab. p. 536.

bracteis totum calycem tubuloso-campanulatum, aut dimidium aequantibus, verticillastris multifloris, acheniis subrotundo-obovatis basi trigonis.

970. Stachys italica Mill. gard. dict. n. 3. Benth. lab. p. 536.

S. adpresse tomentosa cana, foliis oblongo-ovalibus crenulatis obtusis, inferioribus petiolatis, floralibus subcordato-ovatis acutis, bracteis calyce brevioribus, calycis dentibus ovato-cuspidatis, demum squarroso-recurvis.

Syn. St. salviaefolia Ten. fl. nap. 2. p. 25. Host fl. austr. 2. p. 168. Rchb. fl. exc. p. 320. Alsch. fl. jadr. p. 134. Pett. bot. Wegw. n. 907. St. lanata Vis. stirp. dalm. p. 48. nec alior. St. italica β. pungens Benth. l. c. — Icon. Ten. fl. nap. tab. 54. Columm. ecphr. 1. p. 131. f. 1.

Hab. in saxosis apricis totius orae Dalmaticae. Flores purpurei. Floret aestate. ♃.

Obs. Stachys italica β. pungens Benth. nec qua varietas habenda, sed mera forma ex loco petroso apricissimo in Dalmatia frequens. Synonimon autem a Benthamio adductum St. pungentis Russell in hujus auctoris The nat. hist. of Alepo non invenitur.

971. Stachys germanica L. sp. pl. ed. II. p. 812. Host fl. austr. 2. p. 167. Rchb. fl. exc. p. 319.

St. villoso-lanata canescens, foliis oblongo-ovatis crenato-serratis obtusis, inferioribus petiolatis cordatis, floralibus oblongo-lanceolatis sessilibus serratis acutis, bracteolis calycem subaequantibus, calycis dentibus lanceolatis erectis.

Syn. St. polystachya TEN. fl. nap. 2. p. 23. PETT. bot. Wegw. n. 906. St. biennis ROTH cat. bot. I. p. 68. RCHB. fl. exc. p. 320., et icon. bot. IV. p. 24. — Icon. Sow. engl. bot. tab. 829. JACQ. fl. austr. tab. 319. OED. fl. dan. tab. 684. RCHB. icon. bot. IV. tab. 507., et X. tab. 950. TEN. fl. nap. tab. 53.

Hab. in saxosis insulae Ossero, et in montibus Vellebith, Promina, Mossor. Flores purpurei. Floret aestate ♃.

Obs. Galea corollae variat integra, crenulata, emarginata, et biloba, hinc non solum speciei, sed ne varietati quidem distinguendae par est.

972. Stachys obliqua WALDST. et KIT. pl. rar. hung. 2. p. 142. HOST fl. austr. 2. p. 169. RCHB. fl. exc. p. 319. PETT. bot. Wegw. n. 905.

St. villosissima, foliis oblongis crenato-serratis obtusis, inferioribus petiolatis oblique subcordatis, supremis floralibus sessilibus subcordato-ovatis acutis, superioribus integris, bracteolis calyce brevioribus, calycis dentibus ovato-lanceolatis erectiusculis.

Syn. St. heraclea β. lutea BENTH. lab. p. 534. St. heraclea ALSCH. fl. jadr. p. 134., auctor. plurim. non ALL. St. orientalis VAHL symb. 2. p. 64. SIBTH. et SM. fl. graec. VI. p. 48. non L. — Icon. WALDST. et KIT. l. c. tab. 133. SIBTH. et SM. fl. graec. VI. tab. 560.

Hab. in pascuis, et sylvaticis circa Smilcich et Obbrovazzo, et ad agrorum margines, et in collibus ditionis Dernisensis ad Kliake copiose. Flores flavi. Floret aestate. ♃.

Obs. Stachys heraclea ALL. fl. ped. 1. p. 31. tab. 84. f. 1. non solum toto habitu vegetiore grandiore, sed foliis cordato-ovatis acutis, et corollae lobis omnibus labii inferioris etiam acutis ita differt a nostra non solum, sed etiam ab illa, quam sub dicto nomine describunt auctores reliqui, ut planta et icon illa saltem valde dubiae haberi debeant. Adde quod heracleae nomen specificum errore innititur, scilicet falso synonimo Sideritidis heracleae COL. ecphr. 1. p. 31. a quo ALLIONIUS speciem suam heracleam dixit, et quod rectius S. italicae pertinet. Galea etiam in hac ut in illa variat emarginata aut integra. Stachys heraclea auctorum omnium, ALLIONIO excepto, a nostra non differt nisi corollis purpureis.

Sect. III. Stachyotypus.

BENTH. lab. p. 541.

bracteis exiguis, verticillastris bi-decemfloris, calyce tubuloso-campanulato, corollis purpureis.

973. Stachys sylvatica L. sp. pl. ed. II. p. 811. HOST fl. austr. 2. p. 166. RCHB. fl. exc. p. 319.

St. hirsuta, foliis late cordato-ovatis, petiolatis, serrato-dentatis, acuminatis, floralibus superioribus lanceolatis serratis, calycis corolla duplo brevioris dentibus lanceolato-subulatis spinulosis.

Icon. SPENN. in NEES gen. pl. fasc. XVIII. no. 14. f. 1—21. Sow. engl. bot. tab. 416. OED. fl. dan. tab. 1102. CLUS. hist. lib. IV. p. XXXVI. RIVIN. mon. irr. tab. 26.

Hab. in nemorosis sylvaticis circa Màvize, Verlika, et in Krivoscie ad Czerquizze et Dubrava. Floret aestate. ♃.

Obs. Bracteae adsunt et in hac specie, sed setaceae, breves, villis intermixtae et confusae

974. Stachys palustris L. sp. pl. ed. II. p. 811. HOST fl. austr. 2. p. 167. RCHB. fl. exc. p. 319.

St. caule pilis aculeolisque reflexis scabro, foliis brevissime petiolatis, basi subcordatis, lanceolatis, crenato-serratis, acutis, superioribus sessilibus, calycis corolla duplo brevioris dentibus lanceolato-subulatis spinulosis.

Icon. Sow. engl. bot. t. 1675. Oed. fl. dan. t. 1103. Loes. fl. pruss. t. 41. Rivin. mon irr. t. 26.

var. angustifolia: foliis lineari-lanceolatis. — Syn. St. palustris Alsch! fl. jadr. p. 134. St. palustris β. angustifolia Benth. lab. p. 542?

Hab. in paludosis ad Narenta et prope Budua: var. ad lacum Boccagnazzo prope Zara. Floret aestate. ♃.

Obs. Varietas nostra recedit quidquam ab illa cl. Benth. calycibus spinulosis ut in specie, nec muticis.

975. Stachys arvensis L. sp. pl. ed. II. p. 814. Host fl. austr. 2. p. 170. Rchb. fl. exc. p. 318.

St. pubescens, foliis cordato-ovatis, petiolatis, crenato-serratis, obtusis, superioribus ovato-oblongis sessilibus, calycis corollam subaequantis dentibus lanceolatis brevissime mucronatis.

Icon. Sow. engl. bot. t. 1154. Oed. fl. dan. t. 587. Rchb ic. bot. X. tab. 967. Rivin. mon. irr. t. 27.

Hab. ad muros agrestes in portu Cigale prope Lossin piccolo, et in insula Lesina. Floret a vere in aestatem. ⊙.

Sect. IV. Pseudo-Sideritis *Koch.*

Syn. fl. germ. ed. II. p. 653.

bracteis exiguis, verticillastris bi-sexfloris, calyce tubuloso-campanulato, corollis ochroleucis.

976. Stachys annua L. sp. pl. ed. II. p. 813. Host fl. austr. 2. p. 170. Reichb. fl. exc. p. 318. Alsch. fl. jadr. p. 134. Pett. bot. Wegw. n. 902.

St. pubescens, foliis glabris, ovatis oblongisve, petiolatis, crenato-dentatis, superioribus oblongo-lanceolatis acutis, supremis integris mucronatis, calycis tubulosi villosi dentibus tubo corollae brevioribus lanceolato-subulatis.

Syn. St. arvensis Vis. stirp. dalm. p. 28. Alsch. fl. jadr. p. 134. Pett. bot. Wegw. n. 903. nec L. — Icon. Jacq. fl. austr. 4. tab. 360. Rivin. mon. irr. t. 70. Tabernaem. icon 541. f. 2. Matth. diosc. ed. Valgr. 1567. p. 1057.

Hab. in agris et satis totius Dalmatiae vulgaris. Flores albi, labio inferiore ochroleuco, interdum fauce lineis aut maculis purpureis picti. Floret ab aestate in autumnum. ⊙.

977. Stachys pubescens Ten. fl. neap. prodr. p. 34. Bertol. fl. ital. 6. p. 161. non Rchb. fl. exc.

St. superne pubescens, foliis pubescentibus, oblongis, cuneatis, obtusis, petiolatis, crenato-dentatis, supremis integris muticis, calycis tubuloso-campanulati villosi dentibus tubo corollae brevioribus lanceolatis.

Icon. Ten. fl. napol. tab. 239. f. 1.

Hab. in Dalmatia, unde sine loci specialis indicatione cum praecedente mixtam accepi. Flores ochroleuci, labio inferiore rubro punctato. Floret vere. ♃.

Obs. Simillima praecedenti, similior sequenti: ab illa differt perennitate, et calycis magis expansi dentibus latioribus brevioribusque, nec longe attenuato-subulatis; ab hac corollae tubo dentes calycinos quidquam latiores aequante. Nostra minus villosa, praesertim calyce, ac planta ex Bari a cl. Tenore communicata. Stirps a cl. Rchb. sub hoc nomine exhibita est St. fragilis nostra ex notis et locis, ejusque diagnosis ex utriusque plantae characteribus concinnata.

978. Stachys maritima L. mant. pl. 1. p. 82. Host fl. austr. 2. p. 168. Rchb. fl. exc. p. 319. Alsch. fl. jadr. p. 133.

St. superne tomentoso-hirsuta, foliis ovalibus obtusis rugosis crenatis, infimis longe petiolatis, supremis ovato-oblongis sessilibus integris obtusis muticis, calycis tubuloso-campanulati dentibus ovato-lanceolatis tubo corollae aequalibus.

Icon. Rchb. ic. bot. cent. V. f. 677. Jacq. h. vind. t. 70. Dillen. h. eltham. 1. tab. 42. f. 60. Zannich. ist. lid. ven. tab. 19. Boccon. mus. piant. rar. tab. 127. f. 1.

Hab. in maritimis circa Zara, unde misit prof. Alschinger. Floret aestate. Flores ochroleuci, ad faucem punctis sanguineis picti.

Obs. Icones binae priores ex planta culta depictae formam plantae vegetiorem offerunt: Bocconiana verior.

979. Stachys recta L. mant. pl. 1. p. 82. Host fl. austr. 2. p. 169. Rchb. fl. exc. p. 318.

St. hirta, foliis ovalibus lanceolatisve obtusis rugosis crenatis serratisve petiolatis, supremis sessilibus, calycis breviter tubuloso-obovati dentibus triangularibus acuminatis, spinula glabra terminatis, tubi corollini dorso brevioribus.

Icon. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XVIII. n. 14. f. 22—23. Jacq. fl. austr. 4. tab. 359. Fuchs. hist. pl. p. 759. Rivin. mon. irr. tab. 69.

Hab. in siccis circa Zara, unde misit prof. Alschinger. Corollae ochroleucae, fauce purpureo-maculata. Floret a vere in aestatem. ♃.

980. Stachys subcrenata Vis. in ergbl. zur Bot. Zeit. 1829. 1. B. p. 15. n. 22. Benth. lab. p. 556. Rchb. fl. exc. p. 318. Pett. bot. Wegw. n. 909.

St. foliis oblongis lanceolatisve lineatis parce crenato-serratis integrisve sessilibus, infimis brevissime petiolatis, superioribus integris mucronatis, calycis hirti subcampanulati dentibus lanceolatis acuminatis, spinula glabra terminatis tubi corollini dorsum aequantibus.

Icon. Vis. fl. dalm. tab. XVI. f. 2.

var. β. angustifolia: hirta, foliis oblongo-linearibus.

var. γ. fragilis: glabriuscula, foliis rameis linearibus integris, floralibus subcordato-ovatis. — Syn. Stachys fragilis Vis. pl. dalm. in ergbl. zur bot. zeit. 1829. 1. B. p. 14. n. 20. Alsch. fl. jadr. p. 134. Pett. bot. Wegw. n. 904. — Icon. Vis. fl. dalm. tab. XVI. f. 1.

var. δ. labiosa: pubescens, grandiflora, foliis oblongis, corollae labio inferiore superius plus duplo excedente. — Syn. Stachys labiosa Bertol. fl. ital. 6. p. 160, et St. recta β. Bertol. amoen. p. 378.

Hab. species cum varietatibus in apricis saxosis collium Dalmatiae montanae, nec non in montibus Mossor, Dinara, Biokovo, Sella, Orien: var. γ. praesertim in saxosis ad viam inter Almissa et Vrullia: var. δ. in insula Lesina, et ad pedem montis Biokovo. Flores ochroleuci fauce purpureo-punctati. Florent aestate. ♃.

Obs. Species valde variabilis pro locorum diversitate: attamen foliis et praesertim calycibus campanulatis majoribus, eorumque dentibus lanceolatis longioribus videtur a praecedente diversa. Ludit autem glabriuscula, pubescens aut hirta, foliis caulinis ovalibus linearibusque, floralibus ovalibus lanceolatisve herbaceis viridibus, vel ovatis subcordatisque membranaceis flavo-virentibus, spica compacta vel laxa, solitaria aut ternata, corollis in eadem spica calyce nunc duplo nunc triplo longioribus, galea pubescente aut barbata majore minoreve, nec inter tot lusus in magna copia speciminum observatos, limites certos invenio, quibus St. fragilem et St. labiosam inter se, et a St. subcrenata quocunque in casu valeam distinguere. Stachys ramosissima Roch. pl. bannat. p. 3. et 26 a cl. Koch in syn. fl. germ. ed. II. p. 654. huic postremae conjuncta calycibus sane differt, et potius St. rectae referrem, saltem quoad plantam in hortis botanicis hoc sub nomine cultam.

Sect. V. Pleurostachys.

bracteis exiguis obsoletisve, verticillastris sex-decemfloris, calycibus late campanulatis membranaceis late dentatis, corollis ochroleucis.

981. Stachys spinulosa Sibth. et Sm. prodr. fl. graec. I. p. 410. Vis. stirp. dalm. p. 48. Rchb. fl. exc. p. 318. Alsch. fl. jadr. p. 133. Pett. bot. Wegw. n. 908.

St. pilosa, caulium angulis retrorsum muricatis hispidis, foliis crenatis ovatis petiolatis obtusis, inferioribus basi cordatis, floralibus ovato-lanceolatis subsessilibus serratis acutis, bracteis obsoletis, calycis dentibus late ovatis aequalibus, margine lanatis subdentatis, apice mucronatis.

Hab. in agris, locisque umbrosis circa Zara, Sebenico, Traù, Spalato, Macarsca, Ragusa, et in insulis Lesina, Lissa, et Curzola. Flores magni ochroleuci. Floret aestate. ☉.

Obs. Species distinctissima, cui notis praecipuis et habitu videtur eadem St. betonicaefolia Desf. in Coroll. de Tourn. p. 22. tab. 14. Icon autem a descriptione recedit foliis inferioribus acutis nec obtusis, calycibus tubulosis nec campanulatis; a planta nostra insuper pilis erectis nec reversis. Flos seorsim pictus florem St. spinulosae sat bene refert, calyce tantum nimis angusto — Verticillastri valde et omnes remoti pauciflori. Corollae lobus inferior medius vix emarginatus aut integer. Achenia inferne canescentia.

982. Stachys menthaefolia Vis. pl. rar. dalm. in bot. zeit. 1839. 1. Ergbl. p. 14. Benth. lab. p. 555.

St. viscida, scabra, hirsuta pilis patentibus, foliis dentato-serratis ovato-lanceolatis petiolatis, inferioribus basi subcordatis, floralibus subcordato-ovatis aut subcordato-lanceolatis sessilibus integris acuminatis, bracteis lineari-setaceis, calycis labiati dentibus inaequalibus lanceolato-acuminatis hirsutis, apice mucronatis.

Icon. Vis. fl. dalm. tab. XVII.

Hab. in apricis saxosis circa Ragusa, in Castello di Cattaro, in hujus urbis viciniis, nec non ad Ossoniak, Teodo. Flores ochroleuci, labio inferiore punctis rubris seriatis picto. Floret aestate. ♃.

Obs. Radix lignosa perennis, caulibus adscendentibus erectisve basi suffruticosis tetragonis, angulis obtusis callosis. Verticillastri inferne distincti, dein in spicam cylindricam densam elongatam contigui, sub-decemflori. Folia floralia ovata aut ovato-lanceolata, basi subcordata. Calyces hirsuti campanulati bilabiati, dentibus duobus inferioribus profundius divisis, superioribus ultra medium coalitis. Corolla galea elliptica fornicata integra, extus pilosa, labio inferiore duplo majore trilobo, lobis lateralibus parvis obtusis reflexis, medio obcordato-bilobo maximo. Achenia glabra solo insertionis puncto canescentia. Superne viscida, tota foetet, et saepius siccata nigrescit. A St. hirta L., cui subjunxit cl. Rchb. in fl. exc. p. 2163., toto coelo diversa.

CCCXLII. Lamium Tourn.

Instit. rei herb. p. 183. tab. 85.

Char. Calyx tubuloso-campanulatus quinquedentatus, dentibus subaequalibus, superioribusve longioribus. Corolla labio superiore concavo, inferioris lobis lateralibus acutis duplo-minoribus, vel nullis. Stamina antheris per paria approximatis. Achenia oblongo-obovata acute triquetra, apice truncata. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

Sect. I. Orvala *Benth.*

Lab. gen. et sp. p. 508.

Corollae labium inferius obscure trilobum, lobo medio rotundato: antherae glabrae.

983. Lamium Orvala L. sp. pl. ed. II. p. 808. Host fl. austr. 2. p. 159.

L. foliis cordato-ovatis duplicate inciso-serratis, fauce amplissima marginibus revolutis muticis aristatisve, labiorum apicibus serrulatis.

Syn. Lamium pannonicum Scop. fl. carn. 1. p. 406. Orvala lamioides DC. fl. fr. 3. p. 539. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. 18. n. 10. f. 24. corolla. Curt. bot. mag. t. 172. Waldst. et Kit. pl. hung. tab. 131. Scop. loc. cit. t. 27. Clus. hist. pl. IV. p. XXXVI. f. 2.

Hab. in sylvaticis ad pedem montium Vellebith in Pakleniza, ubi legit Jos. Kargl. Floret Majo, Junio. Corolla purpurea intus variegata. ♃.

Sect. II. Lamiopsis.

Corollae labium inferius obscure trilobum, lobo medio rotundato: antherae dorso barbatae.

984. Lamium amplexicaule L. sp. pl. ed. II. p. 809. Vis. stirp. dalm. p. 39. Host fl. austr. 2. p. 161. Rchb. fl. exc. p. 321. Alsch. fl. jadr. p. 133. Pett. bot. Wegw. n. 525.

L. foliis inaequaliter crenato-lobatis, cordato-subrotundis ovatisve, obtusis, petiolatis, floralibus semiorbiculatis subsessilibus amplexicaulibus, calycis albo-lanati dentibus e basi lanceolata linearibus erectis.

Icon. Rchb. icon. bot. cent. III. fig. 373. Sow. engl. bot. t. 770. Oed. fl. dan. t. 752. Rivin. mon. irr. tab. 63.

Hab. in cultis, arvisque totius Dalmatiae frequens. Flores purpurei, rosei vel albi. Floret vere. ⊙.

985. Lamium intermedium Fries nov. fl. svec. ed. II. p. 192. Rchb. fl. exc. p. 321.

L. foliis inaequaliter crenato-lobatis, cordato-subrotundis ovatisve, obtusis, petiolatis, floralibus semiorbiculatis subsessilibus amplexicaulibus, calycis pilosiusculi dentibus e basi lanceolata subulatis, in fructu patulis.

Icon. Rchb. icon. bot. cent. III. f. 372. et VIII. f. 964.

Hab. cum praecedente circa Trau unde misit A. Andrich. Flores purpurei. Floret vere. ⊙.

Obs. Calycibus viridibus pilosiusculis, nec dense albo-lanatis, quorum dentes basi latiores post anthesim patentes fiunt, videtur a praecedente distinctum. Etiam corollae faux in hoc magis ampla ac in illo.

986. Lamium purpureum L. sp. pl. ed. II. p. 809. Vis. stirp. dalm. p. 39. Host fl. austr. 2. p. 160. Rchb. fl. exc. p. 321. Alsch. fl. jadr. p. 133. Pett. bot. Wegw. n. 527.

L. foliis subinaequaliter crenato-serratis cordato-ovatis petiolatis, inferioribus cordato-subrotundis, floralibus in spicam densam approximatis flores superantibus, calycis dentibus lineari-subulatis patentibus, corollae galea integra.

Icon. Sow. engl. bot. t. 769. Oed. fl. dan. t. 523. Rivin. mon. irr. t. 62. f. 2.

Hab. in cultis et ruderatis totius Dalmatiae vulgare. Floret a vere in aestatem. Flores rosei vel albi. ⊙.

Obs. In icone Engl. bot. dentes calycis ovato-acuti, quod nunquam vidi.

987. Lamium bifidum Cyrill. pl. rar. neap. 1. p. 22. Host fl. austr. 2. p. 161.

L. foliis inaequaliter obtuseque inciso-serratis cordato-triangularibus petiolatis acutis, inferioribus cordato-subrotundis, floralibus incisis acuminatis approximatis, calycis dentibus lanceolato-linearibus patulis, corollae galea apice biloba.

Icon. Cyrill. l. c. tab. 7. Tenor. fl. nap. tab. 153. f. 2. Columm. ecphr. 1. p. 192. f. 2.

var. *β*. cryptanthum: corolla calyce inclusa. — Syn. L. cryptanthum Guss. fl. sic. prodr. 2. p. 97. — Icon. Rchb. ic. bot. 3. f. 949.

Hab. in montanis circa Traù, ad pedem montium Svilaja, in sylvaticis circa Rillich. Flores albi. Floret Aprili. ⊙.

Obs. Variat foliis alba macula longitudinali notatis, vel serius unicoloribus; floralibus levius aut profundius incisis, vel pinnatifidis, flore brevioribus aut subaequalibus; corollae galea ejusque lobis longioribus brevioribusve, saepius divaricatis, interdum rectis. Corolla in var. *β*. calyce minor, quob abortione obvenit etiam in L. purpureo, et L. amplexicauli. Achenia acute trigona, fusca, maculis albis callosis picta, ut in praecedente.

988. Lamium maculatum L. sp. pl. ed. II. p. 809. Vis. stirp. dalm. p. 39. Host fl. austr. 2. p. 159. Rchb. fl. exc. p. 321. Alsch. fl. jadr. p. 133. excl. syn. Tenor. Pett. bot. Wegw. n. 526.

L. foliis inaequaliter grosse duplicate serratis cordato-ovatis, petiolatis, apice attenuatis, floralibus subsessilibus acuminatis, calycis dentibus filiformibus tubo corollino subaequalibus patulis, corollae galea dorso bicarinata apice serrulata.

Syn. Lamium laevigatum L. sp. pl. ed. II. p. 808. excl. syn. Bocc. Rchb. ic. bot. III. p. 14. L. rugosum Ait. hort. kew. 2. p. 296. Ten. fl. nap. 2. p. 19. Rchb. ic. bot. III. p. 14. Pett. bot. Wegw. n. 528. L. vulgatum a. rubrum Benth. lab. p. 514. — Icon. Sow. engl. bot. t. 770. Sibth. et Sm. fl. graec VI. fig. 556. Rchb. ic. bot. III. fig. 363. et 364. Ten. fl. nap. tab. 153. f. 1. Till. hort. pis. tab. 35. f. 1.

Hab. in umbrosis, sylvaticis, et ad sepes Dalmatiae praesertim montanae, sed oritur quoque circa Obbrovazzo, Sebenico, Traù, Salona, Spalato, Macarsca, Ragusa. Flores purpurei. Floret vere. ♃.

Obs. Variat foliis maculatis (L. maculatum Linn. Rchb.), immaculatis (L. rugosum Ait. Rchb. non Fl. graec.), glabrum dentibusque calycinis lanceolato-acuminatia brevioribus (L. laevigatum Linn. Rchb.). Folia quoque variant cordato-ovata, cordato-triangularia, aut ovata, basi truncata vel vix emarginata. — Sectio Lamiopsis Dumort. corollae tubo recto intus nudo a sectione Lamiotypus ejusdem disdingui nequit, cum in Lamio purpureo et in L. maculato tubus variet curvus et rectus, et annulus pilorum Lamiotypi proprius adsit jam in L. purpureo, quod sane nequit a L. amplexicauli aliisque sectionis primae sejungi, ni naturae vim manifeste inferamus.

Sect. III. Galeobdolon *Benth.*

Lab. gen. et sp. p. 515.

Corollae labium inferius trilobum, lobis acutis: antherae glabrae.

989. Lamium Galeobdolon Crantz stirp. austr. p. 202.

L. foliis ovatis acutis acuminatisve serratis petiolatis, supremis floralibus subsessilibus lanceolatis, calycis dentibus lanceolatis apice subulatis patulis, tubo corollino longioribus, corollae galea fornicata integra.

Syn. Galeopsis Galeobdolon L. sp. pl. ed. II. p. 810. Leonurus Galeobdolon All. fl. ped. 1. p. 33. Galeobdolon luteum Huds. fl. angl. p. 258. Host fl. austr. 2. p. 164. Rchb. fl. excurs. p. 323. Alsch. fl. jadr. p. 247. G. vulgare Pers syn. pl. 2. p. 122. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. 19. n. 12. Sow. engl. bot. t. 787. Oed. fl. dan. t. 1272. Rivin. mon. irr. t. 20. f. 2.

var. *β.* montanum: foliis summis lanceolatis PERS. l. c. — Icon. DODON. pempt. p. 153. f. 3.

Hab. in sylvaticis montium Vellebith, Svilaja, Dinara, et circa Stermizza. Flores lutei. Floret a vere in aestatem. ♃.

Obs. Genus Galeobdolon non differt a Lamio nisi majori evolutione loborum lateralium labii inferioris, quos in aliis Lamiis magnitudine et forma admodum variare novimus, et lobo medio non rotundato sed apice attenuato, quod generi distinguendo sane impar: convenit vero in reliquis.

CCCXLIII. Melittis L.

Gen. pl. ed. II. p. 209.

Char. Calyx ample campanulatus lobato-bilabiatus. Corolla labio superiore subconcavo orbiculato, inferiore trifido lobis rotundatis, medio plano majore. Stamina filamentis apice bifidis, antheris per paria approximatis, loculis in crucem dispositis. Stylus laciniis rectis ovato-lanceolatis apice stigmaticis. Achenia obovato-subrotunda pubescentia, intus obtuse carinata. — Class. Didynamia Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

990. Melittis Melissophyllum L. gen. pl. ed. II. p. 832. HOST fl. austr. 2. p. 126. RCHB. fl. exc. p. 330. ALSCH. fl. jadr. p. 128. PETT. bot. Wegw. n. 611.

Syn. M. grandiflorum SM. engl. fl. 3. p. 112. RCHB. icon. bot. III. p. 41. et fl. exc. p. 330. — Icon. SPENN. in NEES gen. pl. fasc. 19. n. 11. SM. in engl. bot. t. 577. et 636. RCHB. icon. bot. III. fig. 397. RIVIN. mon. irr. t. 21. FUCHS. hist. pl. p. 498.

Hab. in sylvaticis montium Vellebith, Promina, Svilaja, Vissosniza. Flores purpurei, vel albo et purpureo variegati, vel toti albi. Floret a vere in aestatem. ♃.

Obs. Variat foliis cordato-ovatis et calyce subtrilobo, vel foliis ovatis aut ovato-oblongis et calyce subquadrilobo, et haec forma posterior est M. grandiflora SM. nulla certa nota a praecedente diversa, nam quandoque occurrunt in eodem specimine folia cordata et calyces quadrilobi, et folia ovata simul cum calycibus trilobis. Color etiam florum admodum ludit. — Antherarum loculi prius paralleli post anthesim recta divergunt, et rima longitudinali utrique communi aperiuntur, quod minus perspicue expressum in iconibus Spennerianis, nec bene dictum in textu.

CCCXLIV. Brunella Tourn.

Instit. rei herb. p. 182. tab. 84.

Char. Calyx tubuloso-campanulatus, supra planus, bilabiatus, labio superiore subtruncato breviter tridentato, dentibus lateralibus carinatis, inferiore bifido. Corolla labio superiore concavo integro, inferioris bifidi lobis apice rotundatis. Stamina filamentis apice bifidis gibbosisve, antheris per paria approximatis. Stylus laciniis subulatis recurvis apice stigmaticis. Achenia oblonga glabra subtriquetra. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

991. Brunella grandiflora MOENCH meth. pl. p. 414.

B. hirsuta, foliis obovato-oblongis, integris dentatis pinnatifidisve, labii calycini superioris dentibus late ovatis acuminato-mucronatis, inferioris lanceolato-acuminatis breviter ciliatis, corollis calyce triplo longioribus, filamentis longioribus prope antheram gibbosis.

Syn. Prunella vulgaris β. grandiflora L. sp. pl. ed. II. p. 837. P. grandiflora Jacq. fl. austr. 4. p. 40. Host fl. austr. 2. p. 179. Rchb. fl. exc. p. 331. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XVIII. n. 7. f. 14. 15. Lam. enc. bot. pl. 516. f. 1. Sabbat. hort. rom. 3. tab. 33. Rivin. mon. irr. tab. 29. Clus. hist. p. 4. p. XLIII.

Hab. in devexitatibus herbidis montis Dinara, ubi legi Julio. Flores purpurei. ♃.

Obs. Hujusce generis nomen, antiquorum more, Tournefortius recte Brunellam scripsit, eo quod morbo Cynanches medeatur, germanis die Bräune dicto: Linnaeus nunc Brunella nunc Prunella: nuperorum quidam illo, quidam isto modo scripsere. Ratione autem ethymologiae et antiquitatis Tournefortiana scriptura caeteris praeferenda.

992. Brunella vulgaris Lam. fl. fr. ed. I. p. 406.

B. glabriuscula, foliis obovato-oblongis integris dentatis pinnatifidisque, labii calycini superioris dentibus brevissimis latis truncatis mucronatis, inferioris ovato-acuminatis breviter ciliatis, corollis angustis calyce vix duplo longioribus, filamentis longioribus prope antheram spina recta munitis.

Syn. Prunella vulgaris L. sp. pl. ed. II. p. 837. excl. var. β. Vis. stirp. dalm. p. 44. Host fl. austr. 2. p. 179. Rchb. fl. exc. p. 331. Alsch. fl. jadr. p. 127. Pett. bot. Wegw. n. 737. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XVIII. n. 7. f. 1—13. Sow. engl. bot. t. 961. Oed. fl. dan. t. 919. Rivin. mon. irr. tab. 29. Fuchs. hist. pl. p. 621. — Illyr. Consulj mali. Gortanka.

Hab. in herbidis totius Dalmatiae. Flores purpurei. Floret ab aestate in autumnum ♃.

993. Brunella laciniata Lam. fl. fr. ed. I. p. 406.

B. hirsuta, foliis ovato-oblongis, inferioribus subdentatis aut integris, superioribus pinnatifidis, labii calycini superioris dentibus late ovatis truncatis medio acuminato-mucronatis, inferioris lanceolato-subulatis longe pectinato-ciliatis, corollis calyce duplo longioribus, filamentis prope antheram spina antrorsum incurvata munitis.

Syn. Prunella laciniata L. sp. pl. ed. II. p. 837. Vis. stirp. dalm. p. 44. Host fl. austr. 2. p. 178. P. alba Pall. ap. Bieb. fl. taur cauc. 2. p. 67. Rchb. fl. exc. p. 331. Alsch. fl. jadr. p. 127. — Icon. Rchb. ic. bot. cent. III. f. 393. Jacq. fl. austr. 4. tab. 378. Sabb. hort. rom. 3. tab. 31. Rivin. mon. irr. tab. 30.

Hab. in siccis, collinis, arvisque argillosis Dalmatiae litoralis. Flores albidi. Floret a vere in autumnum. ☉.

Trib. VII. GALEOPSIDEAE.

Corolla labiata, staminibus quatuor fertilibus parallelis approximatis, antherae loculis distinctis subrotundis transverse bilabiato-dehiscentibus, connectivo dilatato.

CCCXLV. Galeopsis L.

Gen. pl. ed. II. p. 210.

Char. Calyx tubuloso-campanulatus quinquenervis. Corolla labio superiore fornicato, fauce dente conico cavo utrinque praedita, labio inferiore obtuse trilobo. Antherae loculi oppositi apice bilabiati, labio interiore minore ciliato. Stylus subaequaliter bifidus, laciniis subulatis apice stigmaticis. — Class. Didynamia Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

994. Galeopsis Ladanum L. sp. pl. ed. II. p. 810. Vis. stirp. dalm. p. 36. Host fl. austr. 2. p. 162. Alsch. fl. jadr. p. 132.

G. pubescens, caulis internodiis utraque extremitate aequilatis, foliis oblongo-lanceolatis linearibusve parce serratis, verticillastris distantibus.

var. α. latifolia: foliis oblongo-lanceolatis, corolla calycem duplo excedente. — Syn. G. latifolia Hoffm. deutschl. fl. 2. p. 8. G. Ladanum Rchb. fl. exc. p. 322. — Icon. Sow. engl. bot. t. 884. Rivin. mon. irr. t. 24. f. 2.

var. β. intermedia: foliis oblongo-aut ovato-lanceolatis, corolla calycem paullo excedente. — Syn. G. intermedia Vill. hist. de pl. dauph. 2. p. 387. Rchb. fl. exc. 323. G. parviflora Lam. enc. bot. 2. p. 600. — Icon. Vill. l. c. tab. 9. f. 1. mala. Rchb. ic. bot. 1. f. 99.

var. γ. angustifolia: foliis lineari-lanceolatis lanceolatisve subintegris, corolla calycem spinosum duplo excedente. — Syn. G. angustifolia Ehr. herb. 137. Hoffm. l. c. 2. p. 8. Rchb. fl. exc. p. 322. Pett. bot. Wegw. n. 425. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XVIII. n. 11. f. 20—25. Dalech. hist. pl. 1. p. 443. Rivin. mon. irr. tab. 24. f. 1.

Hab. inter segetes, et in agris etiam sterilibus totius Dalmatiae frequens var. γ.: rarius var. β. iisdem locis in Krivoscie. Corolla purpurea, labio inferiore maculis flavescentibus picto. Floret aestate. ⨀.

Obs. Variationes supra expositae nec qua varietates habendae cum una in alteram transeat, sed ideo distinguendae ut distinguantur synonima.

995. Galeopsis Tetrahit L. sp. pl. ed. II. p. 810. Host fl. austr. 2. p. 163. Rchb. fl. exc. p. 323.

G. caulis internodiis sub geniculis hispidis et incrassatis, foliis ovato-oblongis ovatisve serratis, verticillastris summis subcontiguis.

var. α. parviflora: caule hispido, corollae limbo calycem paullo excedente. — Icon. Rchb. icon. bot. IX. tab. 877. Lobel. icon. stirp. p. 527. f. media. Ger. the herb. p. 709. f. 1.

var. β. major: caule hispido, corollae limbo calyce duplo longiore. — Icon. Sow. engl. bot. tab. 207. Rivin. mon. irr. tab. 31.

var. γ. pubescens: caule, praeter geniculos, pubescente, corollae limbo calyce triplo longiore. — Syn. G. pubescens Bess. prim. fl. galic. 2. p. 27. Host fl. austr. 2. p. 162. Rchb. fl. exc. p. 323. — Icon. Rchb. ic. bot. 1. tab. 48. 49. Oed. fl. dan. t. 1271. sub G. Tetrahit. — Illyr. Kopriva smardljva. —

Hab. in agris et ad fossas circa Sign, in montibus Vellebith, in Krivoscie, et in insula Lesina. Corolla rosea, aut purpurea, aut alba, galea interdum lutea, labio inferiore albo ad faucem luteo. Floret aestate. ⨀.

Obs. Variat haec quoque corollis majoribus minoribusve, caule ex toto, vel solis geniculis hispido, caeterum pubescente glabrove. G. versicolor Alsch. fl. jadr. p. 132, et G. cannabina Pett. bot. Wegw. n. 426 uni alterive ex supradictis variationibus accensendae. — Galeopsides singulari antherarum fabrica, nec non corollae dentibus cavis ab omnibus Labiatis distinctas, jure mereto in sectionem propriam recipiendas esse contendimus.

Trib. VIII. MARRUBIACEAE.

Corolla labiata, staminibus quatuor parallelis, antherae loculis subconfluentibus rima communi longitudinali dehiscentibus, connectivo incrassato.

Clavis analytica generum.

Stamina e fauce corollae exserta vid. n. 1	Stamina vix fauci aequalia . . . vid. n. 2
1. Stamina basi appendiculata Phlomis.	Stamina basi exappendiculata Ballota.
2. Corollae tubo annulo pilorum praedito Marrubium.	Corollae tubo intus nudo Chaiturus.

CCCXLVI. Phlomis Tourn.

Inst. rei herb. p. 177. tab. 82.

Char. Calyx tubulosus 5—10—nervis pentagonus quinquedentatus. Corolla labiata, galea compressa incurva maxima supra labium inferius trilobum incumbente, tubo annulo pilorum intus praedito. Stamina stylusque exserta, filamentis appendice adscendente basi instructis, antherae loculis in unicum confluentibus. Achenia oblonga triquetra, apice truncata et puberula. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

996. Phlomis fruticosa L. sp. pl. ed. II. p. 818. Host fl. austr. 2. p. 174. Rchb. fl. exc. p. 324. Pett. bot. Wegw. n. 692.

Ph. floccoso-tomentosa candicans, foliis ovatis oblongisve subcrenulatis rugosis, basi rotundatis, supra virentibus, bracteis lanceolato-acuminatis, calycibus longe tubulosis, dentibus truncatis acumine patente brevi rigido terminatis.

Icon. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. 18. n. 20. Sibth. et Sm. fl. graec. VI. t. 563. Rivin. mon. irr. t. 72. Dill. h. elth. 2. tab. 237. Matth. disc. sopra Diosc. ed. cit. p. 1205.

Hab. in saxosis apricis circa Ragusa et Breno, et in insula Lissa. Floret ab Aprili ad autumnum. Flores intense lutei. ♄.

CCCXLVII. Ballote Tourn.

Inst. rei herb. p. 184. tab. 85.

Char. Calyx tubuloso-infundibuliformis plicato-decemnervis, 5—10—dentatus. Corolla labiata, galea recta, labio inferiore obtuse trilobo, intus annulo pilorum continuo praedito. Stamina stylusque exserta, filamentis basi nudis, antherae loculis subconfluentibus. Achenia oblongo-triquetra, apice rotundata obtusa, glabra. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

997. Ballote nigra L. sp. pl. ed. I. p. 582. Vis. stirp. dalm. p. 27. Alsch. fl. jadr. p. 134.

B. pubescens, foliis ovatis crenato-serratis, calyce quinquedentato, fauce ciliato, galea integra bilobave.

var. α. foetida: foliis basi cuneatis crenato-serratis, calyce subcylindrico, dentibus late ovatis mucronatis. — Syn. B. alba L. sp. pl. ed. II. p. 814. B. foetida Lam. fl. fr. 2. p. 381. Rchb. ic. bot. cent. VIII. p. 30. et. fl. exc. p. 325. B. borealis Schwgg. in Rchb. ic. bot. l. c. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. XVIII. n. 18. f. 1—7. Rchb. icon. bot. VIII. f. 1042. Fuchs. hist. stirp. p. 154. Bull. herb. de la fr. pl. 397. Sow. engl. bot. t. 46.

var. β. vulgaris: foliis basi truncatis subcordatisve biserrato-crenatis, calyce infundibuliformi, dentibus ovato-lanceolatis acuminato-mucronatis. — Syn. B. nigra L. sp. pl. ed. II. p. 514. Rchb. ic. bot. l. c. et fl. exc. l. c. B. vulgaris Lk. fl. port. 1. p. 115. — Icon. Spenn. l. c. f—8—23. Rchb. ic. bot. VIII. f. 1039. Rivin. mon. irr. t. 65. f. 1. — Illyr. Pçellinka. Kopriva martva.

Hab. in ruderatis locisque incultis var. α. circa Zara et Sebenico, var. β. circa Traù, et in insula Lesina. Corolla violacea, rosea, rarius alba. Floret ab aestate in autumnum. ♃.

Obs. Folia variant basi breviter cuneata vel truncata vel subcordata, crenis integris vel paucis pluribusve bidentatis; calyces nunc cylindrici, nunc supra medium constricti, nunc magis minusve limbo patentes, hinc fere infundibuliformes; horum dentes recurvi, patuli, erecto-patuli, vel erecti, modo late ovati et breviter, vel longius mucronati, nunc vero ovato-lanceolati in acumen attenuati et longiores; corollae galea rarius integra,

vel crenulata, emarginata aut biloba. Haec omnia variare conspexi in utraque varietate, et habeo specimen, in quo fere omnes hic lusus foliorum et calycis videndi sunt. Galeam bilobam etiam in B. foetida pinxerant jam SOWERBY et BULLIARDUS, et integram etiam in B. vulgari pinxit SPENNER et REICHENBACHIUS. Hinc plantae polymorphae variationes supra propositae nullis certis limitibus coercendae, cum notae ipsae, quibus eas definivimus, in neutra constantes sint. — Nomen generis jam a Dioscoride graece, et serius latine a Plinio et botanicis omnibus ante Linnaeum Ballote scriptum, nequit sane amplius Ballota scribi, cum vox haec nihil sonans ex arbitraria veri nominis corruptione ortum duxerit.

998. Ballote rupestris VIS.

B. villoso-tomentosa, foliis cordato-ovatis acutis crenato-serratis, calycis decemdentati dentibus linearibus spinulosis, fauce barbata, corollae galea apice quadrifida dentata.

Syn. B. hispanica BENTH. lab. gen. et sp. p. 597. quoad pl. ital. et dalm. excl. syn. LINN. B. saxatilis GUSS. fl. sic. syn. 2. p. 82. non SIEB. et BENTH. Marrubium saxatile RAFIN. préc. de dec. semiol. p. 38. M. rupestre BIVON. manip. 2. p. 1. M. hispanicum HOST fl. austr. 2. p. 173. PETT. bot. Wegw. n. 590. non L. M. hirsutum W. sp. pl. 3. p. 113. RCHB. fl. exc. p. 326. — Icon. SPENN. in NEES gen. pl. XX. n. 13. BIVON. l. c. tab. 1. opt. CUPAN. panphyt. sic. ed. BONANN. tab. 13. f. 1. HERM. par. lugd. bat. p. 201. BOCCON. mus. piant. rar. tab. 114.

Hab. in saxosis rupestribus aridis circa Clissa, Almissa, Macarsca, Ragusa, et Cattaro. Corollae carneae, labio inferiore punctis purpureis picto. Floret aestate. ♃.

Obs. Marrubium hispanicum L. seu B. hispanica BENTH. a nostra recedit foliis suborbiculato-cordatis, et dentibus calycinis multo latioribus explanatis breviter mucronatis et valde inaequalibus. Huic pertinere videtur Ballota hirsuta BENTH. lab. p. 595, a qua non differt B. mollissima ejusd., sed hujus nomen servandum, excluso tamen synonimo M. hirsuti W. (quod ex dentium bractearumque characteribus nostrae pertinet), exclusa apud LINNAEUM icone HERM. par. lugd. bat. p. 200, et servatis BOCCON. mus. piant. rar. tab. 112. f. 1. et BARREL. icon 767, quae eadem, sed flores addit seorsim pictos. Hoc confirmant LINNAEI verba in H. Upsal. p. 169. M. hispanicum suum parum differe a M. Pseudo-Dictamno, calyce nempe in illo magis stellato et plicato, dentibus acutis, quae in B. hirsutam BENTH., cujus specimen habeo e regno granatensi a cl. BOISSIER communicatum, exacte cadunt, et M. hirsutum W. a M. Pseudodictamno toto coelo diversum, omnino excludunt. De binis speciebus sub M. hispanici nomine in herbario Linnaeano commixtis, quarum neutra nostrae respondet, confer cl. GUSSON syn. fl. sic. 2. p. 83. Cum itaque B. hispanicae nomen falso innitatur synonimo, nec ideo servari possit, et planta nostra B. saxatilis nomine vocari nequeat, nam aliam ac diversam SIEBER et BENTHAMIUS sic nuncuparunt, hanc ex Bivonae synonimo B. rupestrem dixi.

CCCXLVIII. Marrubium Tourn.

Inst. rei herb. p. 192. tab. 91.

Char. Calyx tubulosus 5—10—nervis, 5—10—dentatus. Corolla labiata, galea recta, labio inferiore obtuse trilobo, tubo annulo pilorum interrupto intus praedito. Stamina stylusque tubo corollae inclusa, antherae loculis confluentibus. Achenia cuneato-obovata apice convexulo truncata glabra. — Class. Didynamia Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

999. Marrubium vulgare L. sp. pl. ed. II. p. 816. VIS. stirp. dalm. p. 40. HOST fl. austr. 2. p. 172. RCHB. fl. exc. p. 325. ALSCH. fl. jadr. p. 135. PETT. bot. Wegw. n. 591.

M. albo-tomentosum, foliis subrotundis in petiolum decurrentibus, inaequaliter crenatis, supra rugosis bullatis, subtus canescentibus reticulatis, superioribus ovatis, verticillastris globosis, calycis villosi dentibus denis, alterne minoribus, patulis, apice uncinatis glabris.

Icon. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XX. n. 12. f. 26—30. Sow. engl. bot. t. 410. Oed. fl. dan. t. 1036. Bull. herb. fr. pl. 165. Matth. disc. in Diosc. ed. cit. p. 876. Fuchs. hist. pl. p. 590. — Illyr. Kadulja dobra. Marula. Xdest prascii.

var. β. albo-lanatum: foliis caulibusque lanatis albis. — Syn. M. apulum Ten. fl. nap. 5. p. 16. Rchb. fl. exc. p. 375. — Icon. Ten. l. c. tab. 154.

Hab. in ruderatis, sterilibus, saxosis, ad vias campestres totius Dalmatiae, var. locis magis apricis. Flores albi. Floret aestate. ♃.

Usus. Folia inter remedia amara et stomachica locum habent, et ex aqua decocta prosunt in dyspepsia, febre intermittente, obstructionibus.

1000. Marrubium candidissimum L. sp. pl. ed. II. p. 816. Vis. stirp. dalm. p. 40. Host fl. austr. 2 p. 171. Alsch. fl. jadr. p. 135. Pett. Wegw. n. 589.

M. niveo aut sericeo-tomentosum, foliis imis subrotundis, inaequaliter crenatis, supra rugosis, subtus lanatis reticulatis, reliquis ovato-ellipticis, verticillastris globosis, calycis dentibus quinis subulatis rigidis patulis rectis villosis.

Syn. M. peregrinum Rchb. icon. bot. cent. IV. p. 10, et fl. exc. p. 235. Alsch. fl. jadr. p. 135 non L. — Icon. Spenn. l. c. f. 1—25. Rchb. icon. bot. IV. tab. 312. Dill. h. elth. tab. 174. f. 214. Sabb. h. rom. III. tab. 60. — Illyr. Bjelo zelje.

Hab. in apricis saxosis totius Dalmatiae litoralis et insularis. Floret aestate. Flores albi. ♃.

Obs. Hoc esse M. candidissimum nec M. peregrinum L. ex ejusdem herbario constat, et certe icones Morisoni, Clusii, et Dalechampii a Linnaeo ipso sub M. peregrino citatae nostrum omnino respuunt. Icon antem Dillenii h. elth. tab. 174. f. 215. hoc sane refert, minime vero f. 214, quae etiamsi in Syst. nat. edit. XII. a Linnaeo citata pro utraque specie, neutri harum pertinet, et speciem certe diversam exhibet. Variat M. candidissimum foliis quidquam angustioribus, quae forma M. peregrinum Alsch. aliorumque. — M. supinum L., quod Scopolius aliique cum nostro miscent, sane differt calyce, cujus dentes villis longis insignes jam Linnaeus exacte dixerat setaceos rectos villosos.

CCCXLIX. Chaiturus Ehrh.

Han. magaz. 1781. 27. p. 421.

Char. Calyx tubuloso-campanulatus, 5—10—nervis, aequaliter 5—dentatus. Corolla labiata, galea recta integra, labio inferiore obtuse trilobo, tubo intus nudo. Stamina stylusque corollae fauce paullo longiora, antherae loculis confluentibus. Achenia cuneato-obovata trigona, apice truncata et glanduloso-pubescentia. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

1001. Chaiturus Marrubiastrum Rchb. fl. exc. p. 317. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XVIII. n. 13.

Syn. Leonurus Marrubiastrum L. sp. pl. ed. II. p. 817. Vis. stirp. dalm. p. 39. Host fl. austr. 2. p. 174. Chaiturus leonuroides Ehrh. l. c. Host syn. pl. p. 331. — Icon. Spenn. l. c. Jacq. fl. austr. V. tab. 405. Krock. fl. siles. 2. tab. 24.Boccon. mus. piant. tab. 98.

Herba annua puberula, caule simplici aut basi ramoso, foliis serratis, inferioribus ovatis, superioribus oblongis, supremis angustioribus, interdum integris, verticillastris racemosis parvis distantibus, calycis dentibus e basi ovata subulatis spinosis, corolla calycem vix excedente, antherae loculis divaricatis, acheniis apice truncato glandulis pellucidis pilisque adsperso, caeterum laevibus.

Hab. in ruderatis et viis circa Sebenico, Narenta. Floret aestate. Flores rosei. ⨀.

Obs. Genus a Leonuro corollae tubo tereti nec supra basim constricto, intus glabro nec annulo pilorum praedito, et antherae loculis confluentibus rima communi apertis, nec distinctis et rima propria dehiscentibus, probe differt. Nomen autem rectius scriberetur Chaeturus, ni alium Chaeturum serius cl. Link constituisset in Graminibus ex ipsissima radice χαίτη (seta, coma) ortum.

Trib. IX. LEONUREAE.

Corolla labiata, staminibus quatuor fertilibus, antherae loculis distinctis parallelis rima propria longitudinali dehiscentibus, connectivo incrassato.

CCCL. Leonurus L.

Gen. pl. ed. II. p. 212. excl. Galeobdolo.

Char. Calyx tubuloso-campanulatus quinque-nervis pentagonus, aequaliter quinquedendentatus. Corolla tubo supra basim cylindraceam rectam inflato curvo, intus annulo pilorum praedito, galea recta subintegra, labio inferiore deflexo trilobo. Stamina deflorata extrorsum flexa. Stylus apice subaequaliter bifidus. Achenia cuneato-obovata trigona, apice truncata et pubescentia. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

1002. Leonurus Cardiaca L. sp. pl. ed. II. p. 817. Host fl. austr. 2. p. 324. Alsch. fl. jadr. p. 134. Pett. bot. Wegw. n. 542.

L. foliis inferioribus subrotundis palmato-quinquefidis, laciniis inciso-serratis, superioribus oblongo-lanceolatis acuminatis, integris trifidisve, basi cuneatis, calycibus spinosis glabris, corollae labio inferiore in laciniam acutam unicam revoluto.

Icon. Spenn. in Nees gen. pl. XVIII. n. 12. Sow. engl. bot. t. 286. Oed. fl. dan. t. 727. Bull. herb. fr. pl. 273. Rivin. mon. irr. t. 20. Fuchs. hist. stirp. p. 395. — Illyr. Kòpriva od sarcza. Sarçenicza. Kraknicza. Trava od Kraknicze.

Hab. in ruderatis ad vias circa Zara, Sebenico, Traù, Dupopolje, et in Krivoscie. Flores rubentes. Floret aestate. ♃.

Obs. Antherae loculi semper distincti et paralleli, quorum uterque rima propria dehiscit, ut bene exprimit icon Spenneriana, nec rima communi aperti ut ait cl. Koch in syn. fl. germ. ed. II. p. 658.

CCCLI. Betonica Tourn.

Instit. rei herb. p. 202. ex parte.

Char. Calyx tubuloso-campanulatus, decemnervis, subaequaliter 5—dentatus. Corolla tubo recto supra basim cylindraceam inflato, intus nudo, galea recta bifida, labio inferiore patente trilobo. Stamina parallela erecta. Stylus inaequaliter bifidus. Achenia oblongo-ovata, apice convexa glaberrima. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

1003. Betonica Alopecuros L. sp. pl. ed. II. p. 811. Host fl. austr. 2. p. 165. Rchb. fl. exc. p. 320.

B. hirsuta, foliis cordato-ovatis crenatis obtusis, spica densiflora basi subinterrupta, bracteis ovato-lanceolatis calyci reticulato-venoso subaequalibus, corollae labiis externe barbatis, superiore in apicem bilobum angustato.

Syn. Sideritis Alopecuros Scop. fl. carn. ed. II. t. 1. p. 413. Stachys Alopecuros Benth. lab. gen. et sp. p. 531. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. XVIII. n. 15.

f. 13—25. RCHB. icon. bot. VIII. tab. 709. BOCCON. mus. piant. t. 72, et BARREL. icon. 339, quae ead.

Hab. in herbidis montis Sella, ubi legit Consil. Tommasini. Flores ochroleuci. Floret aestate. ♃.

Obs. Ad hanc unicam speciem, quae sectionem I. Alopecuros generis Stachyos apud BENTH. lab. gen. et sp. p. 531 constituit, reduci posse arbitror genus Betonica, quod a Stachyde characteribus alibi datis satis differre puto.

Trib. X. SCUTELLARINEAE.

BENTH. lab. gen. et sp. p. 416. excl. Prunella et Cleonia.

Corolla labiata, staminibus quatuor fertilibus, antheris difformibus, staminum breviorum bilocularibus, loculis distinctis rima propria longitudinali dehiscentibus, connectivo incrassato, longiorum unilocularibus, loculis omnium demum subrotundis.

CCCLII. Scutellaria L.

Gen. pl. ed. II. p. 214.

Char. Calyx campanulatus bilabiatus, demum clausus, labiis integris, superioris dorso scutello convavo erecto appendiculato. Corolla tubo cylindraceo intus nudo, galea erecta, tabio inferiore patente trilobo. Antherae ciliatae. Ovarium carpophoro stipitiformi incurvo basi glanduloso impositum, stylo breviter et inaequaliter bifido. Achenia carpophori apice affixa, semine incurvo. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

Sect. I. Lupulinaria.

A. HAMILT. monogr. p. 11.

Flores tetragono-spicati vel subracemosi, bracteis membranaceis amplis.

1004. Scutellaria orientalis L. sp. pl. ed. II. p. 834. HOST fl. austr. 2. p. 176. RCHB. fl. exc. p. 332. excl. syn. bot. mag. 635. PETT. bot. Wegw. n. 849.

S. suffruticosa, foliis ovato-oblongis obtuse pinnatifidis subtus incanis, bracteis sessilibus, late ovatis, abrupte breviterque acuminatis, integerrimis, subimbricatis.

Icon. SIBTH. et SM. fl. graec. VI. tab. 580. RCHB. icon. bot. I. tab. 8. f. 16 et 17. TOURN. voy. au Lev. 3. tab. 306. COMMEL. rar. pl. tab. 30.

Hab. in apricis demissis circa Traù, et ad viam inter Almissa, Vrullia, et Macarsca. Floret aestate. Flores flavi. ♄.

Obs. Nostra formam plantae exhibet foliis profundius incisis, seu varietatem *β.* L. et BENTH., a qua non differt S. pinnatifida HOHENECK. herb. un. itin. — Sc. grandiflora bot. mag. t. 635. differt jam primo intuitu corollis purpurascentibus, foliisque subcordato-ovatis latioribus.

1005. Scutellaria alpina L. sp. pl. ed. II. p. 834. HOST fl. austr. 2. p. 176. RCHB. fl. exc. p. 332.

S. suffruticosa, foliis ovatis serrato-dentatis pubescentibus concoloribus, floralibus sessilibus membranaceis ovatis acuminatis coloratis integerrimis imbricatis.

Icon. SPENN. in NEES gen. pl. XIX. n. 7. sect. I. ROEM. fl. eur. fasc. 11. WALDST. et KIT. pl. rar. hung. 2. tab. 137. ALLION. fl. ped. tab. 26. f. 3.

Hab. in praeruptis rupestribus jugi Troglav montis Biokovo, ubi legit Fr. Neumayer. Flores violacei. Floret aestate. ♄.

Sect. II. Stachymacris.

A. Hamilt. monogr. p. 17.

Flores oppositi racemosi secundi, bracteis herbaceis parvis.

1006. Scutellaria commutata Gusson. fl. sic. prodr. 2. p. 136. Benth. lab. 431. Bertol. fl. ital. VI. p. 248.

S. caule glabro ad angulos pubescente, foliis late cordato-ovatis glabriusculis grandidentatis, racemo pubescenti-glanduloso, corollis calycem quadruplo superantibus, seminibus scabris.

Syn. S. Columnae Host fl. austr. 2. p. 178. quoad pl. dalm. et excl. descr. et syn. Alsch. fl. jadr. p. 129. Pett. bot. Wegw. n. 848 nec Allion. S. peregrina Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 2. p. 154. Host fl. austr. 2. p. 177. excl. syn. Till. Rchb. fl. exc. p. 331. excl. ic. Fl. graec. Spenn. in Nees gen. pl. XIX. n. 8. — Icon. Spenn. l. c. f. 1—19. Waldst. et Kit. l. c. tab. 125.

Hab. in montosis rupestribus Vellebith, Almissa, Duare, Ragusa, Risano, Krivoscie, Montenegro. Floret aestate. Flores purpurei. ♃.

Obs. Differt ab hac S. Columnae All. racemo pilis patentibus glandulosis villoso, caule undique nec tantum angulis pubescente, foliis superioribus basi truncatis aut breviter in petiolum productis nec emarginatis, utrinque pubescentibus nec glabriusculis, corollis denique multo longioribus, nempe calycem sextuplo superantibus. Differt etiam S. peregrina L. foliis ovatis nec cordatis, bracteis ellipticis non acutis calyce sublongioribus, corolla parva, seminibus pube stellata canescentibus, nec tantummodo scabris.

Sect. III. Galericularia.

A. Hamilt. monogr. p. 31.

Flores oppositi racemosi secundi, foliis floralibus caulinis conformibus.

1007. Scutellaria galericulata L. sp. pl. ed. II. p. 835. Host fl. austr. 2. p. 177. Rchb. fl. exc. p. 331.

S. caule patenti-ramoso, foliis oblongo-lanceolatis basi cordatis, leviter crenato-serratis, corollis calyce multoties longioribus.

Icon. Spenn. in Nees. gen. pl. XIX. n. 8. f. 20—26. Sow. engl. bot. tab. 523. Oed. fl. dan. tab 637. Bull. herb. Fl. pl. 275. Roem. fl. eur. fasc. 11. Rivin. mon. irr. t. 77. f. 1.

Hab. ad ripas, et in humidis circa Knin, unde lectam vidi in herb. prof. Alschinger. Floret aestate. Flores dilute violacei. ♃.

Trib. XI. PRASIEAE.

Benth. lab. gen. et sp. p. 646.

Corolla labiata, staminibus quatuor fertilibus, antheris uniformibus, loculis distinctis, demum divaricatis, rima propria longitudinali dehiscentibus, connectivo dilatato, acheniis carnosis.

CCCLIII. Prasium L.

Gen. pl. ed. II. p. 215.

Char. Calyx campanulatus decemnervis bilabiatus, dentibus ovatis aristatis foliaceis. Corolla tubo intus annulo pilorum instructo, galea convexa, labio inferiore trilobo. Antherae sub filamenti apice affixae. Stylus subequaliter bifidus. Achenia subglobosa drupacea. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

1008. Prasium majus L. sp. pl. ed. II. p. 838. Vis. stirp. dalm. p. 44. Host fl. austr. 2. p. 180. Rchb. fl. exc. p. 334. Alsch. fl. jadr. p. 127. Pett. bot. Wegw. n. 732.

Syn. P. minus L. sp. pl. l. c. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. XIX. n. 15. Sibth. et Sm. fl. graec. VI. tab. 584. Lam. enc. bot. pl. 516. Zanon. histor. rar. stirp. tab. 80. Barrel. icon. 896. — Illyr. Slanovitak.

Hab. in apricis rupestribus montosis circa Sebenico, Traù, Spalato, Almissa, Ragusa, et in insulis Ossero, Calogerà, Lesina. Flores albi interdum purpureo-punctati. Floret ab Aprili in aestatem. ♄.

Trib. XII. AJUGOIDEAE.

Benth. lab. gen. et sp. p. 657.

Corolla fere unilabiata, labio superiore brevissimo, aut bipartiti lobis cum labio inferiore coalitis, staminibus quatuor fertilibus, antheris uniformibus, loculis in unicum confluentibus rimaque communi longitudinali dehiscentibus, acheniis siccis rugosis.

CCCLIV. Ajuga L.

Gen. pl. ed. II. p. 201.

Char. Calyx campanulatus quinquedentatus. Corolla cum stylo persistens, labio superiore brevissimo bifido plano, inferiore producto trifido, lobo medio emarginato aut bifido, tubo intus annulo pilorum praedito. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

Sect. I. Bugula.

Benth. lab. gen. et sp. p. 692.

Verticillastri multiflori, annulus pilosus corollae a staminum ortu remotus, antherae reniformes, glandula hypogyna, styli laciniae brevissimae erectae.

1009. Ajuga reptans L. sp. pl. ed. II. p. 785. Host fl. austr. 2. p. 119. Rchb. fl. exc. p. 314.

A. glabriuscula, stolonibus reptantibus, foliis inferioribus reliqua superantibus.

Syn. A. repens Host! l. c. A. latifolia Host! l. c. ex herb. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. XIX. n. 16. f. 1—3. Sow. engl. bot. t. 489. Lam. enc. pl. 501. f. 2. Bull. herb. Fr. pl. 345. Rivin. mon. irr. t. 76. Fuchs. hist. stirp. p. 391. — Illyr. Gavez mali. Sodula manja.

Hab. in pratis et pascuis circa Nona, Dernis, Traù, Ragusa. Floret vere. Corolla caerulea, rosea vel alba. ♃.

1010. Ajuga genevensis L. sp. pl. ed. II. p. 785. Host fl. austr. 2. p. 120. Rchb. fl. exc. p. 129. Pett. bot. Wegw. n. 21.

A. villosa aut glabriuscula, stolonibus nullis, foliis imis minoribus.

Syn. A. montana Rchb. fl. exc. p. 314. A. rugosa Host l. c. ex herb.! A. alpina L. mant. 1. p. 8. A. pyramidalis Bull. herb. Fr. p. 361. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XIX. n. 16. f. 4—24. Oed. fl. dan. t. 1703. Bull. herb. Fr. pl. 361. Rivin. mon. irr. t. 76. f. 2.

Hab. in pascuis, losisque umbrosis circa Zara, Dernis, Traù, Salona, Ragusa, et in insula Brazza. Corolla caerulea aut alba. Floret a vere in aestatem. ♃.

Sect. II. Chamaepitys.

BENTH. lab. gen. et sp. p. 697.

Verticillastri biflori, annulus pilosus corollae ad staminum insertionem, glandula hypogyna nulla, antherae oblongae, styli laciniae elongatae divergentes.

1011. Ajuga Chamaepitys SCHREB. verticill. unilab. p. 24. α. VIS. stirp. dalm. p. 24. HOST fl. austr. 2. p. 120. RCHB. fl. exc. p. 312. ALSCH. fl. jadr. p. 129. PETT. bot. Wegw. n. 20.

A. herbacea, hirsuta, foliis petiolatis cuneato-obovatis trifidis, laciniis linearibus, floralibus flore longioribus aut subaequalibus, corollae labio inferiore laciniis lateralibus obtusis.

Syn. Teucrium Chamaepitys L. sp. pl. ed. II. p. 787. Chamaepitys vulgaris SPENN. in NEES gen. pl. fasc. XIX. n. 17. — Icon. SPENN. l. c. Sow. engl. bot. t. 77. OED. fl. dan. tab. 733. RIVIN. mon. irr. t. 14. — Illyr. Ivicza. Dubaçacz veliki.

var. β. grandiflora: foliis floralibus florem subaequantibus. VIS. stirp. dalm. p. 44. — Syn. A. chia GUSS. fl. sic. syn. 2. p. 54. KOCH fl. germ. syn. ed. II. p. 661. non. L. — Icon. PLENCK icon. pl. med. 5. tab. 473.

Hab. in cultis incultisque frequens: var. circa Sebenico locis siccioribus sterilibus. Flores flavi, labio punctis sanguineis in quatuor lineas dispositis picto. Floret aestate. ⊙.

Usus. Herba infusa sudorem movet, et hac de causa in morbis arthriticis sub Ivae arteticae nomine a medicis abhibetur.

Obs. Flores variant vix calyce longiores, ut in icone Florae danicae, vel folio subaequales ut in icone PLENCKII. Haec autem varietas confundi nequit cum A. chia SCHREB. et Fl. graec., quae differt floribus duplo majoribus folium superantibus, lobis lateralibus labii corollini inferioris acutis, et caulis internodiis pube patula longa villosis, ut video in speciminibus atticis a cl. SPRUNNER communicatis.

1012. Ajuga Iva SCHREB. verticill. unil. p. 25. VIS. stirp. dalm. p. 24. HOST fl. austr. 2. p. 121. RCHB. fl. exc. p. 314. ALSCH. fl. jadr. p. 129. PETT. bot. Wegw. n. 22.

A. suffruticosa hirsuta, foliis sessilibus oblongo-linearibus tri-quinquedendatis integrisve obtusis, superioribus integerrimis, corollae lobis obtusis.

Icon. CAVAN. icon. et descr. 2. tab. 120. DODON. pempt. p. 47, et CLUS. hist. pl. lib. VI. p. 186. ead. — Illyr. Ivicza.

Hab. in saxosis, sterilibus, et ad muros campestres circa Scardona, Spalato, Macarsca, Ragusa, et in insulis Lesina et Lissa. Flores purpurei, herba moschum olens. Floret a vere in autumnum. ♄.

CCCLV. Teucrium L.

Gen. pl. ed. II. p. 201.

Char. Calyx campanulatus vel tubulosus quinquedentatus. Corolla cum stylo decidua, labio superiore nullo, inferiore quinquefido, lobo medio emarginato vel obcordato maximo, tubo intus nudo. — Class. Didynamia. Ord. Gymnospermia Syst. sex. —

Sect. I. Scorodonia.

ADANS. fam. des pl. 2. p. 188.

Verticillastri bi-sexflori in racemum terminalem digesti. Calyx bilabiatus, dente supremo ovato indiviso, caeteris declinatis.

1013. Teucrium Arduini L. mant. pl. p. 81. HOST fl. austr. 2. p. 122. ALSCH. fl. jadr. p. 130. PETT. bot. Wegw. n. 924.

T. molliter villosum, foliis ovatis serratis, racemis densis simplicibus basi foliatis, verticillastris sexfloris aequalibus, bracteis lanceolato-setaceis calyce sublongioribus, calycis dente supremo lateralibus duplo longiore.

Syn. Scorodonia Arduini RCHB. fl. exc. p. 315. Teucrium lamiifolium URVILL. pl. archip. in MEM. soc. linn. paris. 1. p. 320. Scutellaria cretica L. sp. pl. ed. II. p. 836. — Icon. SIBTH. et SM. fl. graec VI. tab. 531. ARDUIN. animadv. bot. spec. 1. tab. 3. — Illyr. Mètvicza planinska.

Hab. in saxosis rupestribus montium Vellebith, Mossor, Vissosniza, Dinara supra Almissa, Biokovo, Sella, nec non circa Almissa, ad Prossiç inter Duare et Macarsca, Ragusa, Krivoscie, Grahovo. Floret aestate. Corolla albida. ♃

Sect. II. Scordium.

BENTH. lab. p. 678.

Verticillastri bi-sexflori axillares distantes. Calyx subaequaliter quinquedentatus.

1014. Teucrium scordioides SCHREB. verticill. unil. p. 37. RCHB. fl. exc. p. 314. ALSCH. fl. jadr. p. 139. PETT. bot. Wegw. n. 929. excl. syn.

T. stoloniferum lanuginosum, foliis crenato-serratis sessilibus, inferioribus subovatis basi subcordatis, superioribus ovatis, verticillastris *bi-quadrifloris*, calyce basi subgibbo.

Syn. T. Scordium VIS. stirp. dalm. p. 49. T. Scordium var. L. sp. pl. ed. II. p. 790. — Icon. MATTH. disc. in DIOSC. ed. cit. p. 890. — Illyr. Lukovacz. Lukovina.

Hab. in aquosis, et ad litora maris circa Zara, Kerka, Knin, Traù, Riviera dei Castelli, Vragniza, Ragusa, Canali, Teodo, Budua, et in insulis Veglia, Ossero, Lesina. Flores purpurei. Allium olet. Floret aestate. ♃.

Obs. Verum T. Scordium L. foliis oblongis basi attenuatis latitudine sua triplo longioribus in Dalmatia omnino deest, et T. scordioides ejus vices ubique gerit, quod specificae ejusdem distinctioni a praecedente valide opitulatur. — Icon. SOW. engl. bot. tab. 828 a cl. BENTH. huc ducta ob folia oblonga saltem dubia.

1015. Teucrium Botrys L. sp. pl. ed. II. p. 786. HOST fl. austr. 2. p. 121. RCHB. fl. exc. p. 314.

T. villosum, foliis ovato-triangularibus tripartitis, segmentis obtuse pinnatifidis, verticillastris bi-sexfloris, calyce deorsum saccato.

Icon. SPENN. in NEES gen. pl. fasc. XIX. n. 19. f. 26—30. RIVIN. mon. irr. t. 14. DODON. pempt. p. 46. MATTH. disc. DIOSC. ed. cit. p. 866.

Hab. in sylvaticis montis Dinara supra Glavasc, ubi legi Julio. Flores purpurei. ⊙.

Sect. III. Chamaedrys.

Benth. lab. p. 680.

Verticillastri bi-sexflori, in racemum laxum digesti. Calyx subaequaliter quinquedentatus.

1016. Teucrium Chamaedrys L. sp. pl. ed. II. p. 790. Vis. stirp. dalm. p. 49. Host fl. austr. 2. p. 124. Rchb. fl. exc. p. 314. Alsch. fl. jadr. p. 129. Pett. bot. Wegw. n. 925.

T. villosum, fruticulosum, foliis cuneato-ovatis obtusis inciso-crenatis petiolatis, supremis floralibus subsessilibus integris.

Icon. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XIX. n. 19. f. 1—25. Sow. engl. bot. t. 680. Lobel. icon. stirp. p. 491. Fuchs. hist. pl. p. 869. — Illyr. Dubçacz. Dubçicza. Trava od groxnicze.

var. β. acutiloba: foliis acute inciso-dentatis glabratis.

var. γ. microphylla: floribus longe racemosis, foliis parvis, floralibus ovato-oblongis acutis apice serrulatis integerrimisque. — Syn. T. nitidum c. microphyllum Gingins mss. in herb. DC! non Schreb.

Hab. in collibus, montibus, locisque sylvaticis totius Dalmatiae: var. β. circa Lesina: var. γ. in ead. ins. prope Gelsa. Flores purpurei. Floret ab aestate in autumnum. ♄.

Usus. Herba florida remedium vulgare sistit ex aqua cocta contra febres intermittentes, et in stomachi imbecillitate.

Obs. Var. γ. recedit a T. nitido Schreb. unilab. vert. p. 35. caule undique villoso nec bifariam barbato, foliis longe petiolatis pilosis, nec glabris nitidis, labii inferioris corollae lobis lateralibus acutis nec obtusis, et quamquam prima fronte a Th. Chamaedry differat, tamen discrimina desunt, quorum ope specifice distingui possit.

1017. Teucrium flavum L. sp. pl. ed. II. p. 791. excl. var. β. Host fl. austr. 2. p. 124. Rchb. fl. exc. p. 314. Alsch. fl. jadr. p. 130. Pett. bot. Wegw. n. 926.

T. velutinum, fruticosum, foliis ovato-triangularibus crenatis obtusis, basis subtruncatae medio breviter cuneatis, petiolatis, floralibus sessilibus ovato-acuminatis concavis integris.

Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. VI. tab. 533. Clus. hist. pl. III. p. 348. Rivin. mon. irr. t. 10. f. 1.

Hab. in saxosis apricis circa Koinsko, Ragusa, Castelnovo, Cattaro, in scopulo S. Eufemia prope Traù, et in insulis Veglia, Cherso, Calogerà et Lesina. Flores flavescentes. Floret aestate. ♄.

1018. Teucrium Marum L. sp. pl. ed. II. p. 21. Rchb. fl. exc. p. 315.

T. incanum, fruticulosum, foliis cuneato-ovatis acutis integerrimis, subtus canis, petiolatis, supremis floralibus subsessilibus, calycibus hirsutis secundis demum nutantibus.

Icon. Rivin. mon. irr. t. 13. Matth. disc. Diosc. ed. cit. p. 769.

Hab. in apricis saxosis insulae Morter a Doct. D. Papafava communicatum. Flores purpurei. Odor plantae aromaticus acutus, errhinus. ♄.

Sect. IV. Polium.

Tourn. instit. rei herb. p. 206. tab. 97.

Verticillastri in capitula terminalia congesti. Calyx aequaliter quinquedentatus.

1019. Teucrium Polium L. sp. pl. ed. II. p. 792. excl. var. α. Vis. stirp. dalm. p. 49. Host fl. austr. 2. p. 125. Rchb. fl. exc. p. 315. Alsch. fl. jadr. p. 130. Pett. bot. Wegw. n. 928.

T. suffruticosum, incanum, floccoso-tomentosum, foliis sessilibus obverse lanceolatis linearibusve, antice crenatis, margine revolutis, obtusis, capitulis globosis cymosis pedunculatis, calycis dentibus muticis.

Syn. T. Pseudohyssopus SCHREB. vert. unil. p. 37. — Icon. SIBTH. et SM. fl. graec VI. tab. 535. BARREL. ic. pl. 1047. 1074. COL. ecphr. 1. p. 67. MATTHIOL. disc. in Diosc. ed. cit. p. 888. — Illyr. Zelje bjelo. Metva bjela.

var. *β.* purpurascens: foliis oblongis capitulisque tomentoso-lanatis, floribus rubro purpureis. BENTH. lab. p. 686. — Syn. T. Achaemenis HOST fl. austr. 2. p. 125. non SCHREB.

var. *γ.* angustifolium: foliis linearibus vel lineari-oblongis capitulisque parvis cano-tomentosis. BENTH. lab. l. c. — Syn. T. capitatum L. sp. pl. ed. II. p. 792. RCHB. fl. exc. p. 315. T. valentinum SCHREB. unil. p. 44. — Icon. CAVAN. ic. pl. 2. t. 119. BARREL. ic. 1048. 1078. 1079.

Hab. in saxosis apricis totius Dalmatiae vulgare: var. *β.* iisdem locis ad Santa Trinita prope Cattaro et in Montenegro cum specie. Floret aestate. Flores albi, aut in var. *β.* purpurei. ♃.

Obs. Variat summopere tomento floccoso-lanuginoso, aut brevi cano, aut vix canescente, foliis oblongis late ovalibus aut linearibus, capitulis densifloris, aut basi laxioribus, dentibus calycinis obtusis vel rarius acutis, quae variationes jam in citatis iconibus exhibentur. Var. *β.* non differt a specie: sed a T. Achaemeni SCHREB. vert. unil. p. 44, quoad hujus descriptionem, discrepat foliis non coriaceis, nec floralibus fere ellipticis, et corollis obtusis. Icon Morisoni differt capitulis oblongis, et illa CLUS. hist. pl. 3. p. 362, a qua suam mutuatus est C. BAUH. hist. 3. p. 300, quoque differt caulibus decumbentibus radicantibus, et capitulis basi laxioribus. Etiam T. capitatum L., juxta specimen hispanicum iconi CAVANILLESII ad unguem simile a cl. BOISSIER communicatum, nulla bona nota differt a specie, nec differentias a cl. BERTOLONIO fl. ital. VI. p. 40. adductas constantes aut sufficientes comperi.

1020. Teucrium montanum L. sp. pl. ed. II. p. 791. VIS. stirp. dalm. p. 49. RCHB. fl. exc. p. 315. ALSCH. fl. jadr. p. 129. PETT. bot. Wegw. n. 927.

T. suffruticosum, prostratum, superne incanum, foliis brevissime petiolatis lineari-lanceolatis subintegerrimis, margine revolutis, obtusis, subtus canis, floribus fasciculato-capitatis, calycis dentibus cuspidatis.

var. *α.* majus: foliis oblongo-lanceolatis. — Syn. T. montanum L. et auct. Icon. SIBTH. et SM. fl. graec. VI. tab. 534. CLUS. hist. pl. III. p. 363. f. 1. LOB. icon. stirp. p. 488. f. 2. ead. CORD. hist. pl. p. 125. RIVIN. mon. irr. t. 15. — Illyr. Iva.

var. *β.* supinum: foliis linearibus magis revolutis. — Syn. T. supinum L. sp. pl. ed. II. p. 791. HOST fl. austr. 2. p. 124. ALSCH. jadr. p. 129. — — Icon. JACQ. fl. austr. V. tab. 417. ZANNICH. ist. piant. ven. tab. 150. f. 1. CLUS. hist. pl. III. p. 363. f. 2. 3. LOB. ic. stirp. p. 488. f. 1. ead. — Illyr. Iva.

Hab. in saxosis apricis collium montiumque dalmaticorum ubique frequens. Flores albidi. Floret aestate. ♃.

Usus. Planta omnis junior decocta frequenter ab incolis adhibetur in febribus intermittentibus, dyspepsia, hydrope.

Obs. LABIATARUM genera antherarum notis accuratius et in vivo studendis firmius ac rectius distingui possunt, quam notis calycum aut corollarum in eodem genere variabilibus et minime sufficientibus. Notas hic loci propositas doleo non omnes e viva et florente planta elicere licuisse: has tamen hausi e nitidissimis iconibus SPENNERIANIS in Neesii genera plantarum germanicarum editis, quas naturae fideles me fere semper invenisse fateor.

Ordo LV. ACANTHACEAE.

Juss. Gen. pl. p. 110. (Acanthi).

Flores hermaphroditi irregulares. Calyx liber persistens quinquepartitus, laciniis antica et postica maximis. Corolla hypogyna, basi cartilaginea, monopetala unilabiata, labio trifido, lobis aestivatione contortis. Stamina quatuor corollae basi inserta subdidynama, filamentis subulatis crassis, antheris bilocularibus, loculis oppositis parallelis longitudinaliter dehiscentibus, dorso affinis. Pistillum ovario libero biloculari, dissepimento e carpellorum marginibus introflexis duplicato, loculis biovulatis, stylo simplici, stigmate bilobo. Capsula membranacea bilocularis tetrasperma loculicide bivalvis, dissepimento ligneo. Semina exalbuminosa dissepimenti processibus crassis cartilagineis obtusis affixa, tuberculata, embryone curvato, radicula descendente centripeta.

Plantae (nostrales) herbaceae, caule ramisque nodosis, foliis oppositis exstipulatis simplicibus sinuato-pinnatifidis, dentibus spinulosis, floribus spicatis bractea foliacea dentato-spinosa suffultis.

CCCLVI. Acanthus Tourn.

Instit. rei herb. p. 176. tab. 80.

Char. Idem ac Ordinis.

1021. Acanthus longifolius Host fl. austr. 2. p. 217. et herb! Koch syn. fl. germ. ed. II. p. 664. Bertol. fl. ital. VI. p. 460.

A. foliis pinnatipartitis, laciniis late ovatis inciso-dentatis distinctis, basi abrupte constricto-petiolatis decurrentibus, incisuris ovato-lanceolatis apiculatis inermibus, terminali majore, bracteolis setaceo-linearibus undique pubescentibus, calycis laciniis lateralibus obovato-orbiculatis scariosis glabris, suprema ciliata.

Syn. Acanthus mollis Pett. bot. Wegw. n. 1. A. intermedius Host herb! — Illyr. Primog. Medvjia stuppa. Vuçia stoppa.

Hab. in locis collinis sylvaticis circa Verlika, Torrette, Clissa, in monte Mossor, circa Ragusa, et in montibus ad Pastrovichio, et Krivoscie. Flores albi. Floret aestate. ♃.

Obs. Differt ab omnibus forma late ovata basi contracto-petiolata laciniarum foliorum: ab A. molli insuper, cui affinior, bracteis anguste linearibus, et calycis segmentis lateralibus orbiculatis obtusissimis glabris. Folia infima lacinias habent rotundiores obtusas, reliqua angustiores acutas tum in hac tum in aliis speciebus. Species Hosteanae minus accurate descriptae in Fl. austr. sola autopsia herbarii sui tute extricari possunt.

1022. Acanthus mollis L. sp. pl. ed. II. p. 458. Host fl. austr. 2. p. 216 et herb! Rchb. fl. exc. p. 364.

A. foliis pinnatipartitis, laciniis oblongis sinuato-dentatis basi confluentibus, infimis basi angustatis distinctis, dentibus triangularibus apiculatis inermibus, bracteolis lanceolatis acuminatis mucronato-spinosis glabris, calycis laciniis lateralibus ovato-acutis margine pubescentibus, suprema glabriuscula.

Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. VII. tab. 610. Sabb. hort. rom. 3. tab. 13. Lobel. Icon. II. p. 2. Rivin. mon. irr. t. 84. Matth. disc. in Diosc. ed. cit. p. 710. opt.

Hab. in hortis, ruderatis insulae Lesina, et in insulae Lissa sylvaticis inter urbem Lissa et Comisa. Flores albi. Floret a vere in aestatem. ♃.

1023. Acanthus spinulosus Host fl. austr. 2. p. 217. et herb!

A. foliis pinnatipartitis, laciniis sinuato-dentatis basi confluentibus, infimis distinctis, inferiorum ovatis, reliquorum lanceolato-linearibus, dentibus late triangularibus brevibus spinulosis, bracteolis lineari-lanceolatis, acuminato-spinosis, pilosis, calycis laciniis lateralibus obovato-orbiculatis scariosis glabris, suprema margine villosa.

Icon. Moris. hist. pl. ox. sect. XV. f. 2.

Hab. in locis paludosis maritimis insulae Lesina, ubi legit cl. Portenschlag. Floret aestate. Flores albi. Vid. vivum in horto Flor. austr. Hosteano, et siccum in Hostii et Portenschl. herb.! ♃.

Obs. Inter A. mollem et sequentem medius. Affinis nimium A. spinoso L., a quo differt spinis mollibus, et dentibus foliorum brevibus triangularibus nec lanceolato-acuminatis, quemque, si reapse a sequente diversus, in Dalmatia hactenus non offendi. Huc ex icone et synonimo Morisoni probabiliter pertinet A. rarioribus et brevioribus aculeis donatus Tourn. l. c. Icon Morisoni nostrum bene exhibet, recedit tantummodo foliorum laciniis nimis approximatis.

1024. Acanthus spinosissimus Pers. syn. pl. 2. p. 179. Host fl. austr. 2. p. 218. et herb! Pett. bot. Wegw. n. 2.

A. foliis bipinnatipartitis, pinnatipartitisque bullatis nitidis, laciniis dentato-spinosis distinctis, infimorum oblongo-lanceolatis, reliquorum lanceolato-linearibus, dentibus triangulari-lanceolatis spina valida discolore costatis cuspidatisque, brasteolis linearibus carinatis, calycis laciniis lateralibus obovato-orbiculatis scariosis glabris, suprema puberula.

Syn. A. spinosus Vis. stirp. dalm. p. 23. Host fl. austr. 2. p. 217. Alsch. fl. jadr. g. 140. an L.? — Icon. Dodon. pempt. p. 719. Dalech. hist. lugd. 2. p. 1445. Lobel. ic. pl. II. tab. 2. ead. — Illyr. Kòpriva. Primog. Borsct.

Hab. in sylvaticis incultisque circa Kerka, Torrette di Sebenico, inter Rogosniza, et Bossoglina, Spalato, inter Vergoraz et Zaguozd, Ragusa, Castelnuovo, Cattaro, et in insulis Ossero et Lesina. Flores albi. Floret aestate. ♃.

Obs. An stirps haec reapse differat ab A. spinoso L. sp. pl. 2. p. 891. valde dubito. Icones sane Lobelii, Dodonaei et C. Bauhini a Linnaeo citatae, et inter se omnino aequales, aequo jure utrique spectant, et planta linnaeana videtur non diversa a specie Persoonii nisi foliis minus laciniatis et spinis brevioribus ac minus validis. Quae cum varient in ipso A. spinosissimo, ni alia discrimina accedant in forma bracteolarum et laciniarum lateralium calycis, ambae plantae in unicam speciem jungendae forent. Icon quoque Acanthi spinosi Sibth. et Sm. fl. graec. cent. VII. tab. 611. nostrum refert, et planta graeca mihi ex Attica sub hoc nomine a cl. Sprunner communicata eadem quoque est. Denique A. spinosus Host herb!, quem etiam cultum vidi Hostii tempore in horto Florae austriacae dicato, vix ab ejusdem A. spinosissimo spinis tenuioribus discrepat, nec laciniae laterales calycis tales sunt, quales auctor in Fl. austriaca descripsit.

Ordo LVI. CONVOLVULACEAE.

Venten. Tabl. du regn. vég. II. p. 394.

Flores hermaphroditi regulares. Calyx liber persistens pentaphyllus, raro quinquefidus, aestivatione imbricatus. Corolla hypogyna monopetala turbinata caduca, limbo quinquelobo quinqueplicato aestivatione plicato-contorto. Stamina quinque imo tubo corollae inserta ejusque lobis alterna, filamentis basi dilatatis, antheris bilocularibus, loculis parallelis longitudinaliter dehiscentibus. Pistillum ovario basi disco hypogyno inserto et biloculari, septo interdum apice evanescente; loculis biovulatis, stylo simplici, stigmatibus binis. Capsula bi-quadrivalvis, valvis a

margine septi solutis dehiscens, uni-bilocularis. Semina erecta in fundo et angulis loculorum affixa, albumine parvo mucilaginoso, embryone curvato, radicula infera ad hilum versa.

Herbae (nostrates) volubiles, aut suffrutices, lactescentes, foliis alternis, margine integerrimis, exstipulatis, floribus bi-quadribracteatis.

CCCLVII. Convolvulus L.

Gen. pl. ed. II. p. 55.

Char. Idem ac Ordinis.

Sect. I. Calystegia *R. Br.*

Prodr. fl. nov. Holl. p. 483.

Calyx bracteis 2—4 foliaceis involucrantibus tectus.

1025. Convolvulus sepium L. sp. pl. ed. II. p. 218. Host fl. austr. 2. p. 259. Rchb. fl. exc. p. 348.

C. caule volubili, foliis sagittatis hastatisque, lobis baseos truncatis aut bilobis, bracteis ovatis ovalibusque, basi subcordatis planiusculis, apice attenuatis, margine invicem parallelis.

Syn. Calystegia sepium R. Brown prodr. fl. nov. Holl. p. 483. Putterl. et Endl. in Nees gen. pl. XXIV. n. 10. 11. — Icon. Putterl. et Endl. l. c. Sow. engl. bot. t. 313. Oed. fl. dan. t. 458. Lam. enc. bot. pl. 104. f. 1. —

Hab. ad sepes insulae Lesina, unde misit prof. Stalio. Flores albi. Floret ab aestate in autumnum. ♃.

Usus. Succus herbae inspissatus et ad XX ad XXX grana intus sumptus vi drastica gandet illa Scammoniae aemula.

Obs. Etiamsi et alibi crescat in Dalmatia, uti certum me faciunt alia specimina dalmatica, quae teneo sine loci specialis indicatione, tamen videtur sequente rarior.

1026. Convolvulus sylvestris W. en. pl. h. berol. 1. p. 202. Bertol. fl. ital. 2. p. 438.

C. caule volubili, foliis cordato-ovatis aut cordato-oblongis, lobis baseos truncatis rotundatisve, bracteis ovatis basi inflato-ventricosis, apice rotundatis, margine se se invicem excipientibus.

Syn. Convolvulus sylvaticus Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 3. p. 390. Host fl. austr. 1. p. 260. Rchb. fl. exc. p. 348. C. sepium Alsch. fl. jadr. p. 50. ex herb! excl. diagn. Pett. bot. Wegw. n. 281. ex loco. C. lucanus Ten! fl. nap. 3. p. 210. Calystegia sylvestris Roem. et Sch. syst. veg. 4. p. 183. — — Icon. Waldst. et Kit. 3. tab. 261. — Illyr. Tetevika brez draça.

Hab. ad sepes circa Zara, Sebenico, Salona, Ragusa, Cattaro. Flores albi majores. Floret ab aestate in autumnum. ♃.

Obs. Variat foliis non exacte cordato-ovatis, sed ob latera rectilinea late cordato-lanceolatis. Bracteae in nostro rotundatae, nec quales exhibentur in icone Fl. hung., cujus alabastra videntur acuta ex bractearum forma, nec sunt qualia ex apicibus sepalorum acutis bracteas superantibus. Species praecipue nititur hoc charactere bractearum; quae non sunt apice attenuatae ut in praecedente, sed fere orbiculatae. Calystegiae genus sola capsula incomplete biloculari a Convolvulo biloculari, cui simillima, nequit divelli.

1027. Convolvulus Soldanella L. sp. pl. ed. II. p. 226. Host fl. austr. 1. p. 261. Rchb. fl. exc. p. 348.

C. caule prostrato, foliis crassis reniformibus, lobis baseos rotundatis, bracteis ovatis.

Syn. Calystegia Soldanella ROEM. et SCH. syst. veg. 4. p. 184. — Icon. Sow. engl. bot. t. 314. ZANNICH. ist. piant. ven. tab. 6. SABB. h. rom. 1. tab. 20. MATTH. disc. in DIOSC. ed. cit. p. 497. — Illyr. Morsko zelje.

Hab. in arenosis maritimis scopuli Bačili prope Lesina, unde misit prof. Stalio. Flores rosei luteo-vittati. Floret a vere in aestatem. ♃.

Sect. II. Helxine *Matth.*

Calyx nudus, bracteis pedunculo affixis exiguis.

1028. Convolvulus arvensis L. sp. pl. ed. II. p. 218. VIS. stirp. dalm. p. 31. HOST fl. austr. 1. p. 259. RCHB. fl. exc. p. 348. ALSCH. fl. jadr. p. 50. PETT. bot. Wegw. n. 279.

C. virens glabriusculus, caule prostrato apice volubili, foliis oblongis basi acute hastatis sagittatisve, pedunculis subunifloris, bracteis a calyce remotis.

Icon. PUTTERL. et ENDL. in NEES gen. pl. XXIV. n. 9. Sow. engl. bot. t. 312. OED. fl. dan. t. 459. BULL. herb. de la Fr. pl. 269. MATTH. disc. sopra Diosc. ed. cit. p. 1065. — Illyr. Slàtkovina. Slak.

Hab. ubique in arvis, cultis, aggeribus nimis frequens. Flores albi aut rosei, vittis rubris. Floret aestate ♃.

1029. Convolvulus tenuissimus SIBTH. et SM. fl. graec prodr. 1. p. 134. VIS. stirp. dalm. p. 32. RCHB. fl. exc. p. 248. PETT. bot. Wegw. n. 282.

C. adpresse argenteo-sericeus, caule prostrato apice volubili, foliis cordatis crenulatis lobatisve, superioribus pedato-partitis, laciniis oblongo-linearibus subintegerrimis, pedunculis uni-bifloris, bracteis a calyce remotis.

Syn. C. althaeoides HOST fl. austr. 1. p. 260. et ALSCH. fl. jadr. p. 50. non L. C. argyreus DC. fl. fr. V. p. 423. C. althaeoides β. L. sp. pl. ed. II. p. 222. — Icon. SIBTH. et SM. fl. graec. II. tab. 195. BARREL. ic. pl. 312.

Hab. in saxosis apricis totius Dalmatiae litoralis vulgaris, etiam in insulis. Flores rosei. Floret a vere in aestatem. ♃.

Obs. Ab hoc differt C. althaeoides L. hirsutie villosa patula, foliis opacis, nec nitide sericeis, et floribus majoribus. Noster variat foliis inferioribus glabratis viridibus.

Seet. III. Cantabrica *Clus.*

Calyx nudus, bracteis pedunculo summo affinis linearibus: caulis rectus.

affixit

1030. Convolvulus Cantabrica L. sp. pl. ed. II. p. 225. VIS. stirp. dalm. p. 31. HOST fl. austr. 1. p. 260. RCHB. fl. exc. p. 349. ALSCH. fl. jadr. p. 50. PETT. bot. Wegw. n. 280.

C. villosus pilis patulis, caulibus decumbentibus erectisve, foliis inferioribus oblongo-spathulatis, obtusis, in petiolum attenuatis, reliquis lineari-lanceolatis acutis, pedunculis uni-trifloris.

Icon. JACQ. fl. austr. 3. tab. 296. CLUS. hist. pl. lib. IV. p. XLIX. MORIS. hist. pl. sect. 1. tab. 4. f. 3. — Illyr. Palja od psènicze.

Hab. in apricis saxosis totius Dalmatiae litoralis frequens. Flores rosei. Floret aestate. ♃.

1031. Convolvulus Cneorum L. sp. pl. ed. II. p. 224. RCHB. fl. exc. p. 349. ALSCH. fl. jadr. p. 50. PETT. bot. Wegw. n. 1032.

C. adpresse argenteo-sericeus, fruticosus, erectus, foliis obverse lanceolatis in petiolum attenuatis, pedunculis multifloris cymosis, calycibus villosis.

Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. II. tab. 200. Moris. hist. pl. sect. 1. tab. 3. f. 1. Imperat. hist. nat. p. 656.

Hab. in rupestribus apricissimis ad mare in insula Lesina ad S. Nicolò, et ad Lapad prope Ragusam. Floret Majo. Flores albi. ♄.

Ordo LVII. CUSCUTEAE.

I. S. Presl Fl. cech. I. p. 247.

Flores hermaphroditi regulares. Calyx liber monosepalus quadri-quinquelobus persistens, lobis aestivatione imbricatis. Corolla monopetala hypogyna campanulata vel urceolata quadri-quinqueloba persistens, aestivatione imbricata, tubo intus squamis incisis hypostamineis saepius instructo. Stamina 4—5 corollae inserta ejusque lobis alterna, antheris bilocularibus, loculis parallelis longitudinaliter dehiscentibus. Pistillum ovario libero biloculari bi-quadriovulato, stylo simplici binisve, stigmatibus binis. Capsula membranacea bilocularis, loculis 1—2 spermis, circumscisse dehiscens, raro rumpens. Semina erecta, embryone filiformi acotyledoneo! circa albumen carnosum spiraliter convoluto, radicula ad hilum versa.

Herbae annuae aphyllae chloroticae parasiticae, caulibus filiformibus volubilibus prope flores ramosis, rarius simplicibus, papillarum seriatarum ope cauli aliarum stirpium affixis, et ab iisdem nutrimentum haurientibus, floribus lateralibus capitato-glomeratis sessilibus, singulis bracteola propria suffultis.

CCCLVIII. Cuscuta Tourn.

Instit. rei herb. p. 652.

Char. Idem ac Ordinis. — Class. Tetrandria. Ord. Digynia Syst. sex. —

1032. Cuscuta major DC. fl. fr. vol. III. p. 644. Coss. et Germ. fl. paris. 1. p. 261. excl. syn. L.

L. floribus calyce infra ovarium producto pedicellatis, tubo corollae inflato staminifero limbum superante, squamis erectis adpressis hypostamineis praedito, stylis ovario brevioribus, stigmatibus simplicibus.

Syn. Cuscuta europaea Rchb. fl. exc. p. 586. Pett. bot. Wegw. n. 314. et auct. plur. non L. — Icon. Coss. et Germ. fl. paris. atl. pl XIV. C. Putterl. et Endl. in Nees gen. pl. XXIV. n. 12. Rchb. icon. bot. V. f. 690. Lam. enc. bot. p. 88. — Illyr. Verdun. Poponacz. Predencze.

Hab. supra Urticas, Humulum, Mentham sylvestrem, Cephalariam leucantham, Trifolium arvense. Flores albidi aut rubelli. Floret aestate. ⊙.

Obs. Vera C. europaea L. sp. pl. ed. II. p. 180. (excl. var. β.) juxta Sm. engl. fl. 2. p. 24. et in Engl. bot. t. 378 differt a nostra corollis fauce omnino nudis et huic forsan pertinet C. Schkuhriana Pfr. in bot. zeit. 1845. n. 41. Nec tamen assentior cl. Bertolonio, qui in Fl. ital. III. p. 70. non dubitat C. europaeam Rchb. aliorumque, sive C. majorem DC. lusum esse C. Epithymi: a qua stirps nostra floribus pedicellatis, squamis erectis, et stylis ovario brevioribus egregie distinguitur.

1033. Cuscuta Epithymum L. syst. veg. ed. XIII. p. 140. Vis. stirp. dalm. p. 32. Host fl. austr. 1. p. 331. Rchb. fl. exc. p. 586. Alsch. fl. jadr. p. 58. Pett. bot. Wegw. n. 313.

C. floribus calyce basi rotundato sessilibus, tubo corollae cylindrico staminifero limbum subaequante, intus squamis patulis convergentibus clauso, stylis ovario duplo longioribus, stigmatibus simplicibus.

Syn. C. europaea L. sp. pl. ed. II. p. 180. var. β. C. minor DC. fl. fr. 3. p. 664. — Icon. Coss. et Germ. fl. par. atl. pl. XIV. A. Rchb. icon. bot. V. f. 692. Sow. engl. bot. t. 55. — Illyr. Verdun. Poponacz. Predencze.

Hab. parasitica supra Saturejas, Thymos, Galia, Euphorbiam spinosam etc. Flores rubelli. Floret aestate. ⊙.

1034. Cuscuta breviflora Vis.

C. floribus calyce infra ovarium producto pedicellatis, tubo corollae scutellato, intus nudo, limbo subbreviore, filamentis basi dilatatis inter limbi lobos insertis, stylis ovario brevioribus, stigmatibus capitatis.

Hab. supra Ocimum Basilicum in insula Lesina, ubi legit prof. Stalio. Flores albi aut colore carneo suffusi. Floret aestate. ⊙.

Descr. Caules filiformes rubentes ramosi. Flores capitato-glomerati laxiusculi, brevius vel longius pedicellati, singuli bracteola suffulti. Calycis partitiones quatuor ovatae. Corolla scutellata, laciniis ovatis obtusiusculis calyce paullo longioribus, ad basim capsulae demum marcescens. Stamina quatuor, filamentis in limbi corollini margine inter ejusdem lobos insertis iisque subaequalibus, late lanceolatis, membranaceis, basi nudis, seu squamis nullis, antheris ellipticis luteo-viridulis. Stylis filiformes divaricati, demum deflexi, stigmatibus capitatis. Capsula globosa depressa, demum profunde umbilicata, bilocularis raro trilocularis, indehiscens, irregulariter inferius rumpens, seminibus 3—4 ruguloso-punctulatis subreniformibus obovatis.

Obs. Corollae forma affinis C. planiflorae Ten. quae recedit stigmatibus simplicibus nec capitatis: hac autem nota similis C. albae Presl., quae differt floribus sessilibus, et corollis intus squamatis, et C. hassiacae Pfeiff., in qua corollae tubus squamis convergentibus clausus. Ab omnibus autem distinguitur staminum insertione non in tubo sed supra limbum, ut in C. africana Thunb., et capsula membranacea tenaci, sero irregulariter rupta: quibus characteribus generice a Cuscuta europaea et C. majore, nec non a novis generibus Epilinella et Engelmannia a cl. Pfeiff. propositis in bot. zeit. 1845. n. 41. probe distingui posset, ni haec genera potius qua sectiones naturalissimi generis Cuscuta habenda essent. Hoc genus autem, quoad species europaeas tali modo partiri posset. = Sect. I. Cassutha Fuchs. de hist. stirp. p. 347. staminibus tubo corollae insertis, stigmatibus linearibus, capsula circumscisse dehiscente. — sp. C. europaea L.-C. major DC.-C. Epithymum L. etc. = Sect. II. Epilinella Pfr. l. c. staminibus tubo corollae insertis, stigmatibus clavato-incrassatis, capsula circumscisse dehiscente. — sp. C. Epilinum Weihe. sive Epilinella cuscutoides Pfr. = Sect. III. Engelmannia Pfr. l. c. staminibus tubo corollae insertis, stigmatibus capitatis, capsula apice dehiscente. — sp. C. hassiaca Pfr. in bot. zeit. 1843. p. 705. sive Engelmannia migrans Pfr. in bot. zeit. 1845. n. 41. = Sect. IV. Ocimicida: staminibus limbo corollae insertis, stigmatibus capitatis, capsula indehiscente, demum rupta. = C. (vel Ocimicida) breviflora Vis.

Ordo LVIII. SOLANEAE.

Juss. Gen. pl. p. 124. (excl. Cels. et Verbasc.).

Flores hermaphroditi subregulares. Calyx liber vel adnatus, monosepalus, quinquefidus, totus vel sola basi persistens. Corolla hypogyna monopetala decidua quinquefida, rarius 6—10—fida, aestivatione plicata vel imbricata. Stamina tubo corollae inserta, ejusque lobis alterna, et numero aequalia, filamentis subaequalibus, antheris introrsis bilocularibus apice saepius conniventibus connatisve, loculis rima longitudinali vel rarius poro terminali dehiscentibus. Pistillum ovario biloculari, rarius tri-quadriloculari, multiovulato, placentis crassis dissepimento adnatis, ovulis incurvis, stylo unico, stigmate indiviso. Fructus capsularis vel baccatus polyspermus, albumine carnoso, embryone curvo, annulari aut spirali, radicula infera.

Herbae, raro frutices, foliis alternis simplicibus, superioribus floralibusque saepe geminatis inaequalibus, exstipulatis, floribus saepe alaribus vel extra axillaribus, pedicellis ebracteatis.

Clavis analytica generum.

	Fructus siccus dehiscens . .	Vid. n. 1	Fructus baccatus indehiscens . . Vid. n. 3
1.	Calyx totus persistens . . - -	2	Calyx supra basim persistentem deciduus **Datura.**
2.	Capsula longitudinaliter dehiscens **Nicotiana.**		Capsula circumscisse dehiscens **Hyoscyamus.**
3.	Antherae rima longa dehiscentes - -	4	Antherae poro terminali dehiscentes **Solanum.**
4.	Antherae distantes . . . . - -	5	Antherae apice conniventes **Physalis.**
5.	Bacca bilocularis . . . . - -	6	Bacca unilocularis **Mandragora.**
6.	Calyx in fructu patens **Atropa.**		Calyx fructui adpressus **Lycium.**

Trib. I. CAPSULARES DEHISCENTES.

CCCLIX. Datura L.

Gen. pl. ed. II. p. 177.

Char. Calyx tubulosus quinqueplicatus quinquefidus, supra basim peltatam ovario adnatam circumscisse deciduus. Corolla infundibuliformis quinqueloba, lobis abrupte acuminatis. Stamina 5. filamentis filiformibus. Capsula coriacea spinosa incomplete 4—locularis, valvis quatuor longitudinaliter dehiscens, loculis polyspermis. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1035. Datura Stramonium L. sp. pl. ed. II. p. 255. Vis. stirp. dalm. p. 33. Host p. austr. 1. p. 292. Rchb. fl. exc. p. 389. Alsch. fl. jadr. p. 51. Pett. bot. Wegw. n. 329.

D. foliis ovatis inaequaliter sinuato-dentatis, dentibus acuminatis, capsulis oblongis erectis spinosis, spinis subaequalibus.

Icon. Putterl. et Endl. in Nees gen. pl. XXIV. n. 2. Sow. engl. bot. t. 1288. Oed. fl. dan. t. 436. Bull. herb. de la Fr. pl. 13. Columm. phytob. p. 47. — Illyr. Tâtula. Pomoçnicza smardljava. Jàbuka bodèchia.

var. β. Tatula: caule, corollisque violaceis. — Syn. D. Tatula L. sp. pl. ed. II. p. 256. Rchb. fl. exc. p. 389. Alsch. fl. jadr. p. 52.

Hab. in ruderatis totius Dalmatiae: var. vidi circa Narenta. Flores in specie candidi, in var. dilute violacei, vespere acute suaveolentes. Floret aestate. ⊙.

Usus. Inter validiora venena narcotico-acria recensetur. Tamen adhibentur semina et folia sub forma pulveris vel extracti in nevrosibus, et praecipue in mania et epilepsia, nec non in rheumate chronico, ischiade, podagra. Fumus foliorum, nicotianae more inspiratus, prodest asthmaticis, et in Dalmatia frequens usuvenit. — Capsula rarius subinermis, tuberculata.

CCCLX. Nicotiana Tourn.

Instit. rei herb. p. 117. tab. 41.

Char. Calyx urceolatus, inaequaliter quinquefidus, liber, persistens. Corolla tubulosa, limbo patente plicato quinquelobo. Stamina quinque filamentis filiformibus. Capsula membranacea, calyce arcte circumdata, bilocularis, valvis binis bifidis longitudinater dehiscens, loculis polyspermis. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1036. Nicotiana rustica L. sp. pl. ed. II. p. 258. Host fl. austr. 1. p. 293. Rchb. fl. exc. p. 389. Alsch. fl. jadr. p. 50.

N. foliis ovalibus obtusis petiolatis, corollis tubuloso-hypocrateriformibus, tubo cylindrico calycem superante, limbo obtusilobo.

Icon. Bull. herb. de la Fr. pl. 289. Sabbat. h. rom. 1. tab. 90. Renealm. specim. p. 40. Matth. disc. sopra Diosc. ed. cit. p. 1121. — Illyr. Perdussia.

Hab. sponte in insulis circa Zara, et ad Braichi prope Cattaro. Flores luteo-viriduli. Floret ab aestate in autumnum. ⊙.

Obs. Colitur quoque huc illuc Nicotiana Tabacum L. illyr. Duhan, Tabak, cujus folia vel combusta fumum praebent plerisque gratissimum, vel in pulverem trita et in nares ingesta eas olio essentiali quo scatent grate pervellunt. Sicca et masticata quoque salivam cient: ex aqua infusa in alvi constipatione sub forma clysmatis utiliter injiciuntur: quin fumus ipse per clysterem injectus prodest asphycticis.

CCCLXI. Hyoscyamus Tourn.

Instit. rei herb. p. 117. tab. 42.

Char. Calyx urceolatus quinquefidus liber persistens, in fructu auctus. Corolla infundibuliformis, tubo brevi, limbo obliquo, laciniis inaequalibus obtusis. Stamina quinque filamentis basi incrassatis. Capsula membranacea calyce inclusa, bilocularis, sub apice circumscissa et operculo biloculari secedente dehiscens, loculis polyspermis. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1037. Hyoscyamus niger L. sp. pl. ed. II. p. 257. Vis. stirp. dalm. p. 38. Host fl. austr. 1. p. 292. Rchb. fl. exc. p. 388. Alsch. fl. jadr. p. 50. Pett. bot. Wegw. n. 491.

H. foliis ovato-oblongis acuminatis pinnatifido-laciniatis semiamplexicaulibus, infimis petiolatis, floralibus approximatis, corollis venoso-reticulatis.

Icon. Putterl. et Endl. in Nees gen. pl. XXIV. n. 3. Sow. engl. bot. t. 591. Oed. fl. dan. t. 1452. Bull. herb. de la Fr. tab. 93. Rivin. mon. irr. tab. 102. Matth. disc. sopra Diosc. ed. cit. p. 1119. — Illyr. Bùnika czarna.

Hab. in ruderatis totius Dalmatiae. Flores pallide lutei venis purpureis crebris reticulati, fundo atro-purpurei. Floret aestate. ♂.

Usus. Planta omnis venenata, narcotico-acris: extractum tamen laudatur in pervigilio, in epilepsia, in tussi nervosa, in convulsionibus, et qua anodynum in doloribus quibuscumque.

1038. Hyoscyamus albus L. sp. pl. ed. II. p. 257. Vis. stirp. dalm. p. 38. cum var. β. Host fl. austr. 1. p. 292. Rchb. fl. exc. p. 388. Alsch. fl. jadr. p. 50.

H. foliis ovato-subrotundis sinuato-lobatis dentatisve petiolatis, floribus distantibus, corollis limbo unicoloribus, calycibus nervosis.

Syn. Hyoscyamus varians Vis. in bot. zeit. 1829. erg. 61. 1. B. p. 3. Pett. bot. Wegw. n. 492. H. canariensis Ker. bot. reg. p. 180. Rchb. fl. exc. p. 388.

Icon. Bot. reg. tab. 180. Vis. Flor. dalm. tab. XXIV. f. 2. Lam. enc. bot. pl. 117. f. 2. Bull. herb. de la Fr. tab. 99. Matth. sopra Diosc. ed. cit. p. 1120.

Hab. in apricis saxosis, ad muros et moenia totius Dalmatiae litoralis. Corollae pallide flavae fundo viridulo, aut atro-purpureo demum viridulo. Floret vere et aestate. ♂ aut ♃.

Usus. Vis eadem ac praecedentis sed mitior.

Obs. Variat corollis bicoloribus, floribus infimis pedunculatis, et foliis floralibus oblongo-spathulatis integris, quam formam olim sub dicto nomine specie distinxi: cultura tamen differentia quaeque evanescit. Lobi foliorum variant obtusi aut acuti, et eorumdem basis attenuata, truncata, aut emarginata. — H. albus Sm. fl. graec. III. tab. 230. a natura recedit floribus inferioribus sessilibus, supremis longe pedunculatis, quod e contra.

Trib. II. BACCATAE.

CCCLXII. Solanum L.

Gen. pl. ed. II. p. 69. (excl. Lycopers.)

Char. Calyx brevis quinquefidus. Corolla rotata, limbo plicato quinquefido. Stamina quinque filamentis brevissimis, antheris conniventibus, loculis poro terminali dehiscentibus. Bacca succulenta bilocularis, vel rarius 3—4—locularis, loculis polyspermis. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1039. Solanum Dulcamara L. sp. pl. ed. II. p. 264. Vis. stirp. dalm. p. 48. Host fl. austr. 1. p. 294. Rchb. fl. exc. p. 392. Alsch. fl. jadr. p. 52. Pett. bot. Wegw. n. 891.

S. caule fruticoso inermi scandente, foliis ovato-cordatis, superioribus interdum hastato-auriculatis, corymbis suboppositifoliis ramosis.

Icon. Sow. engl. bot. t. 365. Oed. fl. dan. t. 607. Bull. herb. de la Fr. pl. 23. Matth. sopra Diosc. ed. cit. p. 1345. — Illyr. Gorkoslad.

var. β. pubescens: caule foliisque pubescentibus. — Syn. S. litorale Raab in bot. zeit. 1819. p. 413.

Hab. ad sepes, ripas, et inlocis humidis circa Zara, Spalato, prope Clissa, Sign: var. circa Ragusa ad rivos. Floret aestate. Flores violacei, laciniarum basi foveolis duabus nectariferis viridibus aut albis insculpta. ♄.

Usus. Pars lignea caulium ex aqua decocta praestat in morbis cutaneis, arthriticis, et siphyliticis: paratur etiam extractum.

Obs. Solanum litorale Raab et Bernh. sola pubescentia differt a specie, quae cultura omnino evanescit. Folia variant omnia indivisa, vel superiora auriculis duabus aut unica, confluentibus remotisve, basi aucta. Corymbi ramosi interdum folio opposito praediti, interdum aphylli.

1040. Solanum sodomeum L. sp. pl. ed. II. p. 268. Pett. bot. Wegw. n. 1036.

S. caule fruticoso erecto, aculeis rectis lanceolatis armato, foliis sinuato-pinnatifidis, lobisque sinuatis obtusis ovalibus ad nervos aculeatis, corymbis paucifloris simplicibus.

Syn. Solanum astrophorum Jan. elench. pl. p. 4. n. 68! — Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. III. tab. 235. Lam. enc. bot. pl. 115. f. 1. Herm. h. lugd. bot. tab. 575. Sabb. h. rom. 2. tab. 57.

Hab. in ruderatis urbis Ragusa, ejusque suburbiis. Flores violacei. Floret a vere in autumnum ♄.

1041. **Solanum nigrum** L. sp. pl. ed. II. p. 266. Vis. stirp. dalm. p. 48. Host fl. austr. 1. p. 294. Rchb. fl. exc. p. 390. Alsch. fl. jadr. p. 53. Pett. bot. Wegw. n. 892.

S. caule herbaceo inermi, angulis ramorum extantibus foliisque ovatis subdeltoideis pube incurva pubescentibus, corymbis infraxillaribus nutantibus, baccis nigris.

Icon. Putterl. et Endl. in Nees gen. pl. XXIV. n. 6. Rchb. ic. bot. X. f. 1284. Sow. engl. bot. t. 566. Oed. fl. dan. t. 460. Matth. sopra Diosc. ed. cit. p. 1125. — Illyr. Paskvicze. Pomoçnicza. Maunicza.

Hab. in cultis, ruderatis, fimetis, ad vias ubique frequens. Flores albi. Floret a vere in autumnum. ⊙.

1042. **Solanum miniatum** Bernh. in W. en. pl. h. berol. 1. p. 236. Rchb. fl. exc. p. 391.

S. caule herbaceo, angulis ramorum extantibus muriculatis foliisque ovatis subdeltoideis pube patula villosis, corymbis infraxillaribus nutantibus, baccis rubris flavisve.

Syn. Solanum villosum Host fl. austr. 1. p. 295. an Lam.? S. flavum Kit. in Schult. fl. austr. 1. n. 871. Rchb. fl. exc. p. 391. — Icon. Rchb. ic. bot. X. f. 1326 et 1327.

Hab. ad vineas et agros circa Sebenico et in insula Lesina. Floret a vere in autumnum. Flores albi. ⊙.

Obs. Species praecedenti nimis affinis nec claris characteribus designanda, attamen cultura perstat: ab hac vero S. flavum cum illa promiscue crescens, et solo baccarum colore flavido alienum, specie non differt. — Coluntur quoque ex hoc genere ob tubera edulia Solanum tuberosum L. (illyr. Kumpir) radice tuberosa, et foliis interrupte pinnatis distinctum: ob fructus S. Melongena L. (illyr. Melançane), et L. Lycopersicum L. (illyr. Jabuka zlatna.), illud calycibus aculeatis et fructibus magnis oblongis violaceis pendulis, hoc foliis interrupte pinnatis, et fructibus succulentis coccineis insigne. Lycopersicum vero, ob antheras longitudinaliter dehiscentes et apice simul connatas, genus proprium.

CCCLXIII. Physalis L.

Gen. pl. ed. II. p. 69.

Char. Calyx quinquefidus. Corolla rotato-campanulata, limbo plicato sinuato-quinquelobo. Stamina quinque filamentis brevibus, antheris conniventibus, loculis rima longitudinali dehiscentibus. Bacca succulenta calyce aucto et vesicario inclusa, bilocularis, loculis polyspermis. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1043. **Physalis Alkekengi** L. sp. pl. ed. II. p. 262. Vis. stirp. dalm. p. 43. Host fl. austr. 1. p. 294. Rchb. fl. exc. p. 389. Alsch. fl. jadr. p. 53. Pett. bot. Wegw. n. 694.

P. caule herbaceo a basi ramoso, foliis ovato-acutis geminatis, floribus pedunculatis solitariis, calycibus fructiferis coloratis.

Icon. Putterl. et Endl. in Nees gen. pl. XXIV. n. 4. Sibth. et Sm. fl. graec. III. tab. 234. Oed. fl. dan. t. 1636. Dodon. pempt. p. 454. f. inf. Matth. sopra Diosc. ed. cit. p. 1126. — Illy. Sirçenik. Mohunjcze. Jàgodina. Jàgodicze gòspine. Mjuricze. Pupator. Jabuçina vuçja.

Hab. ad sepes et vias agrestes, nec non in sylvaticis, vineis, et cultis totius Dalmatiae. Flores albidi, calyce fructus miniato amplissimo, bacca coccinea. Floret a vere in aestatem. ♃.

CCCLXIV. Mandragora Tourn.

Inst. rei herb. p. 76. tab. 12.

Char. Calyx quinquefidus, laciniis carinatis. Corolla campanulata, limbo plicato quinquefido. Stamina quinque, filamentis filiformibus basi dilatata villosis, antheris distantibus, loculis rima longitudinali dehiscentibus. Bacca succulenta calyce vix aucto suffulta, dissepimento obliterato unilocularis, polysperma. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1044. Mandragora officinarum L. sp. pl. ed. I. p. 181. Mill. gard. dict. non Bertol.

M. foliis ovatis, primis obtusis, serioribus acutis, calycis fructiferi laciniis ovato-lanceolatis acutis bacca globosa brevioribus.

Syn. Atropa Mandragora L. sp. pl. ed. II. p. 259. W. sp. pl. 1. p. 1016. excl. var. β. Mandragora vernalis Bertol. virid. bon. veg. p. 6. et comm. de Mandr. p. 9. Rchb. fl. exc. p. 390. M. acaulis Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 236. M. mas Jo. Bauh. hist. 3. p. 617, et antiquor. — Icon. Bertol. comm. de Mandr. tab. 1. Bull. herb. de la fr. tab. 145. Blackw. herb. pl. 364. Mill. fig. of. pl. 183. Tourn. inst. rei herb. tab. 12. Dalech. hist. pl. 1726. f. 1. — Illyr. Zelje veliko.

Hab. in apricis vallis Stravçia territorii Ragusini, unde misit Jos. Rubrizius. Flores albi, extus viriduli: bacca lutea. Floret Martio, Aprili. ♃.

Usus. Rustici dalmatae hujusce plantae foliis siccatis utuntur pro Nicotiana Tabaco, immo ejus pulverem cum illa Nicotianae commiscent, ut istam adulterent.

Obs. Doleo me assentiri non posse sententiae a cl. Bertolonio jamdiu prolatae M. officinarum L. quaeri debere non in hac specie, sed in specie autumnali quam ipse sub nomine M. officinarum proposuit prius in Virid. bonon. veg. p. 6, dein in Commentario de Mandragoris supra citato. Linnaeus qui unicam speciem descripsit, notas illi dedit omnibus Mandragoris communes, quae igitur liti huic dirimendae nil conferunt, sed ipsum de sola M. mare antiquorum, jam a Dioscoride adumbrata et vere officinali, locutum fuisse patet ex synonimis et figuris ab eo citatis in H. Cliff. et in Sp. pl. ed. I. et II., quae omnia Mandragoram flore albo et bacca globosa calyce brevi suffulta insignem respiciunt, et haec certe nequit esse M. officinarum Bertol. flore violaceo, et bacca oblonga calycem aequante distincta. Haec postrema vero potiori jure erit M. foemina J. Bauhini, Clusii, Tournefortii, aliorumque, cui imponi debet nomen aptissimum M. autumnalis Spr. syst. veg. 1. p. 699. non Bertol. In sententiam prolatam Virum cl. induxit icon quam de Atropa Mandragora dedit cl. Smith in fl. graec. cent. III. tab. 232, quae M. autumnalem exhibet: sed huic auctoritati evidenter repugnant ea omnia, quae de Mandragora sua scripsit Linnaeus, et icones contemporaneae Milleri et Blackwelli nostram repraesentantes.

CCCLXV. Atropa L.

Gen. pl. ed. II. p. 63. (excl. spec.)

Char. Calyx campanulatus quinquepartitus. Corolla subcylindrico-campanulata quinqueloba. Stamina quinque filamentis basi incrassatis villosis, antheris distantibus, loculis rima longitudinali dehiscentibus Bacca succulenta bilocularis polysperma, calyce aucto stellato-patente suffulta. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1045. Atropa Belladonna L. sp. pl. ed. II. p. 260. Host fl. austr. 1. p. 293. Rchb. fl. exc. p. 390. Alsch. fl. jadr. p. 245.

A. caule herbaceo, trichotomo, foliis ovatis integris petiolatis, solitariis, aut inaequalibus geminatis, pedunculis nutantibus unifloris.

Icon. Spenn. in Nees gen. pl. XXI. n. 18. Sow. engl. bot. t. 592. Jacq. fl. austr. 4. tab. 309. Bull. herb. de la Fr. pl. 29. Lam. enc. bot. pl. 114. f. 1. Matth. sopra Diosc. p. 1129.

Hab. in sylvaticis montium Vellebith. Flores luride purpurei, intus basi flavidi. Floret aestate. ♃.

Usus. Stirps narcotica venenata deprimens, cujus folia adhibentur forma pulveris vel extracti in morbis omnibus inflammatoriis, nervosis, rheumaticis, scirrhosis. Extracto soluto utuntur quoque externe chirurgi ocularii, ut pupillae ampliationem et immobilitatem obtineant, quo facilius catarractam educant vel depriment. Baccae cerasa nigra mentiuntur, hinc pueris specie deceptis non raro lethales.

CCCLXVI. Lycium L.

Gen. pl. ed. II. p. 66.

Char. Calyx urceolatus tri-quinquefidus. Corolla infundibuliformis limbo quinquefido. Stamina quinque filamentis teretibus, antheris distantibus, loculis rima longitudinali dehiscentibus. Bacca succulenta bilocularis polysperma, calyce immutato adpresso suffulta. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1046. Lycium europaeum L. sp. pl. ed. I. p. 192. Vis. stirp. dalm. p. 40. Host fl. austr. 1. p. 295. Rchb. fl. exc. p. 393. Alsch. fl. jadr. p. 53. Pett. bot. Wegw. n. 578.

L. ramis patulis agice spinescentibus, foliis obovato-lanceolatis obtusis, floribus erectis, corollae tubo limbum superante, staminum filamentis imberbibus.

Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. III. tab. 236. Michel. nov. gen. pl. tab. 105. f. 1. Clus. hist. pl. 1. p. 109. f. 1. Matth. sopr. Diosc. ed. cit. p. 172. — Illyr. Tarn bjeli.

Hab. ad sepes totius Dalmatiae litoralis, et in insulis Veglia et Lesina. Flores violacei, ad oras laciniarum pallidi. Floret aestate et autumno. ♄.

Obs. Huic ordini quoque pertinet Nicandra physalodes Gaertn. Atropa L., in hortis circa Ragusa fere indigena, sed originis peruvianae, quae calycem habet in fructu auctum pentagonum, laciniis sagittato-ovatis, capsulam tri-quadrilocularem evalvem demum irregulariter ruptam includentibus.

Ordo LIX. BORRAGINEAE *Juss.*

Gen. pl. p. 128. excl. gen.

Flores hermaphroditi regulares, rarius irregulares, aestivatione imbricata. Calyx liber monosepalus persistens, limbo nunc apice, saepius medio, rarius basim usque partito. Corolla caduca, hypogyna, monopetala, tubuloso-infundibuliformis, subcampanulata aut rotata, quinqueloba, fauce nuda aut plicata aut squamata. Stamina corollae fauci vel tubo inserta, ejusque lobis alterna et squamis opposita, saepius inclusa, antheris introrsis bilocularibus, longitudinaliter dehiscentibus. Pistillum stigmate indiviso, aut bifido, stylis quatuor in unum centralem coalitis, ovario e carpellis quatuor, vel abortu 2—3, distinctis unilocularibus uniovulatis, vel binis bilocularibus biovulatis, vel binis aut unico uniovulatis, modo gynobasio depresso impositis, modo eidem in columnam centralem styligeram persistentem producto lateraliter adnatis, ovulis pendulis. Fructus acheniis 4—1 mono-

spermis, vel 1—2 dispermis bilocularibus, ad hilum quandoque processu carnoso aut calloso strophiolum dicto auctis, seminibus pendulis, albumine nullo, embryone recto, radicula ad hilum versa, cotyledonibus foliaceis.

Herbae, rarius suffrutices, plus minus setosae, foliis alternis exstipulatis integris, floralibus ut plurimum in cymas scorpioideas bifariam digestis.

Clavis analytica generum.

Achenia inter se libera . .	vid. n. 1	Achenia invicem cohaerentia Heliotropium.	
1. Achenia a stylo libera . .	- - 2	Achenia stylo adnata	vid. n. 12
2. Achenia omnia unilocellata .	- - 3	Achenia bilocellata Cerinthe.	
3. Corollae faux nuda, plicata, aut villosa	- - 4	Corollae faux squamis ornata . .	- - 7
4. Calyx quinque-partitus . .	- - 5	Calyx quinquefidus Pulmonaria.	
5. Antherae basi liberae . . .	- - 6	Antherae basi connexae Onosma.	
6. Corollae limbo horizontaliter secto Lithospermum.		Corollae limbo oblique secto Echium.	
7. Corolla basi tubulosa . .	- - 8	Corolla rotata Borrago.	
8. Corollae squamae breves obtusae	- - 9	Corollae squamae lanceolato-subulatae Symphytum.	
9. Achenia basi exannulata . . .	- - 10	Achenia basi annulata	- - 11
10. Corollae faux clausa Myosotis.		Corollae faux pervia Alkanna.	
11. Corollae faux clausa Anchusa.		Corollae faux pervia Nonnea.	
12. Achenia glochidiata	- - 13	Achenia verruculosa. Asperugo.	
13. Achenia ab ima basi affixa Echinospermum.		Achenia superne affixa Cynoglossum.	

Trib. I. HELIOTROPEAE.

Koch syn. fl. germ. p. 570.

Gynobasium depressum: stylus ex ipsis acheniis ortus sub apice: achenia, ubi plura, margine cohaerentia, demum divisa.

CCCLXVII. Heliotropium Tourn.

Inst. rei herb. p. 138. tab. 57. excl. sp.

Char. Calyx quinquefidus aut quinquedentatus. Corolla hypocraterimorpha pervia, sinubus inter lobos plica longitudinali usque ad staminum insertionem producta, et rarius superne dente terminata notatis. Stamina inclusa. Achenia quatuor (rarius unum) in fructum unicum margine cohaerentia, stylo sub apice acheniorum orto, supra achenia annulato incrassato conico. — Class. Pentandria Ord. Monogynia Syst. sex. —

1047. Heliotropium europaeum L. sp. pl. ed. II. p. 187. Vis. stirp. dalm. p. 37. Host fl. austr. 1. p. 226. Rchb. fl. exc. p. 347. Alsch. fl. jadr. p. 45. Pett. bot. Wegw. n. 467.

H. caule erecto, foliis ovato-rhombeis ovatisve scabro-pubescentibus integerrimis planis, spicis solitariis conjugatisque, calyce quinquepartito, fructifero stellato-patente, acheniis quaternis.

Icon. Spenn. in Nees gen. pl. XVIII. n. 1. Jacq. fl. austr. III. tab. 207. Lam. enc. bot. pl. 91. f. 1. Bocc. ic. pl. sic. tab. 49. f. D. E. Matth. sopra Diosc. ed. cit. p. 1363. — Illyr. Trava od vitra. Sunçacz. Divja rigga. —

Hab. in arvis locisque cultis totius Dalmatiae vulgare. Flores albi. Floret aestate. ⊙.

Obs. Huic affine H. Bocconi Guss. fl. sic. prodr. 1. p. 204, quod differt floribus duplo majoribus suaveolentibus, corollae tubo calyce longiore nec aequali ut in nostro, et calycis laciniis linearibus nec oblongo-lanceolatis. Corollae lobi obtusi in utroque. In hac et sequente specie columna centralis a disco exoriens omnino deest, hinc vacuum adest inferius usque ad mediam microbasii partem; hanc supra non ex apice, sed sub apice cujusque achenii oritur stylus, qui acheniis ipsis adnatus inter ea surgit, eaque praetergrediens annulo circumcingitur, dein in conum producitur stigmatibus binis linearibus simplicibus terminatum.

1048. Heliotropium supinum L. sp. pl. ed. II. p. 187. Bertol. fl. ital. 2. p. 254. DC. prodr. syst. nat. IX. p. 533.

H. caule prostrato, foliis ovato-rhombeis adpresse villosis subtus incanis obsolete serrulatis plicatis, spicis subsolitariis, calyce utriculari clauso brevissime quinquedentato cum achenio subsolitario deciduis.

Syn. Piptoclaina supina G. Don. gen. syst. Gard. 4. p. 364. — Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. II. tab. 157. Gou. fl. monsp. p. 17. tab. I. Tourn. voy. du Lev. 222. Clus. hist. pl. IV. p. 47. f. 1.

Hab. in agris supra Carin, ubi legi mense Julio. Corolla minuta alba. ⊙.

Obs. Achenia bina unica vice inveni intra calycem. Achenium, ubi unicum, ovatum est, calyce arcte et omnino inclusum, dorso convexum verruculosum fuscum, facie planum pallidum, veluti si alterum, cui jungi deberet, non deficeret, sed verruca majore acuta laterali, sub styli exortu, quasi exiguum achenii alterius rudimentum, notatum. Icon Gouani huc certe pertinet ob fructus formam.

Trib. II. CYNOGLOSSEAE.

Endl. gen. pl. p. 650.

Gynobasium columnare styligerum, acheniis lateraliter ipsi adnatis stipatum: achenia inter se libera.

CCCLXVIII. Asperugo Tourn.

Inst. rei herb. p. 135. tab. 54.

Char. Calyx quinquefidus, laciniis basi sinuato-dentatis, in fructu auctus foliaceus reticulato-venosus, et in valvas binas parallele erectas sinuato-angulosas compressus. Corolla hypocraterimorpha, fauce squamis convexis clausa. Achenia verruculosa gynobasio conico membranaceo-alato superne affixa. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1049. Asperugo procumbens L. sp. pl. ed. II. p. 198. Vis. stirp. dalm. p. 27. Host fl. austr. 1. p. 239. Rchb. fl. exc. p. 346. Alsch. fl. jadr. p. 47. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. XVII. n. 2. Sow. engl. bot. t. 661. Sibth. et Sm. fl. graec. II. tab. 177. Roem. fl. eur. fasc. VI. Lam. enc. bot. pl. 94. — Illyr. Brochiénicza.

Hab. in cultis ruderatis et viis circa Zara, Scardona, Traù. Flores caerulei. Floret a vere in aestatem. ⊙.

Herba procumbens muricato-scabra, foliis oblongo-lanceolatis, saepe oppositis et secundis, integerrimis, floribus axillaribus fasciculatis, pedunculis brevibus in latus folio oppositum saepius dejectis.

CCCLXIX. Cynoglossum Tourn.

Instit. rei herb. p. 139. tab. 57.

Char. Calyx quinquefidus aut quinquepartitus, campanulatus, laciniis integris, fructiferis, patentissimis. Corolla hypocraterimorpha vel subrotata, fauce squamis convexis clausa. Achenia depressa undique glochidiata, marginata, gynobasio conico superne affixa. Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1050. Cynoglossum officinale L. sp. pl. ed. II. p. 192.

C. foliis inferioribus ellipticis acutis in petiolum attenuatis, caulinis superioribus subcordato-amplexicaulibus, racemis simplicibus pluribus, corolla unicolore, acheniis dorso planis aequaliter glochidiatis.

var. α. collinum: foliis tomento molli canescentibus, superioribus subcordato-lanceolatis acutis. — Syn. C. officinale Host fl. austr. 1. p. 232. Rchb. fl. exc. p. 344. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. XVII. n. 5. Sow. engl. bot. pl. 92. f. 1. Matth. sopra Diosc. ed. cit. p. 1250. — Illyr. Gavez. Jezik. passii. Tarpunjacz.

var. β. sylvaticum: foliis supra glabratis, superioribus subcordato-oblongis acutis. — Syn. C. sylvaticum Haenke in Jacq. coll. 2. p. 77. Host fl. austr. 1. p. 233. C. montanum Lam. fl. fr. ed. I. t. 2. p. 277. Rchb. l. c. C. officinale γ. L. sp. pl. ed. II. p. 193. — Icon. Sow. engl. bot. t. 1642. Col. ecphr. p. 175. Sabbat. h. rom. 2. tab. 38.

var. γ. parvifolium: foliis scabris utrinque albo tuberculato-strigulosis, superioribus subcordato-ovatis obtusis.

Hab. locis saxosis sylvaticis in Dalmatia montana supra Dernis, prope Verlika: var. γ. in montibus Vellebith. Flores purpureo-caerulei, venis concoloribus. Floret aestate. ♂.

Usus. Acheniis, vulgo semina, vis narcotica anodyna tribuebatur; nunc exsoleta.

1051. Cynoglossum pictum Ait. h. Kew. 1. p. 179. Vis. stirp. dalm. p. 33. Host fl. austr. 1. p. 233. Rchb. fl. exc. p. 344. Alsch. fl. jadr. p. 48. Pett. bot. Wegw. n. 318.

C. albido-tomentosum, foliis inferioribus ellipticis obtusis in petiolum attenuatis, caulinis superioribus subcordato-amplexicaulibus oblongo-lanceolatis, racemo conjugato, corolla venis discoloribus reticulata, acheniis dorso convexiusculis aequaliter glochidiatis.

Syn. C. creticum Vill. pl. du Dauph. 2. p. 157. C. cheirifolium Jacq. collect. 3. p. 30. Alsch. fl. jadr. p. 48. ex herb! non L. — Icon. Sims bot. mag 2134. cult. Clus. hist. pl. V. p. 162. f. 2. — Illyr. Gavez. Gavez bjeli. Jezik passii. Ţarpunjacz.

Hab. in apricis saxosis incultis, ad vias, ubique frequens. Flores pallide caerulei venis caeruleis reticulati. Floret a vere in aestatem. ♂.

Usus. Folia ulceribus imposita dolorem leniunt, et ad cicatricem disponunt.

Obs. Flores infimi, unus vel alter, interdum foliolo stipantur, et tale probabiliter specimen a memetipso missum, et sine fructu maturo cl. Bertolonius habuit pro C. cheirifolio L. in Fr. ital. vol. II. p. 303. Sed haec species acheniis dorso concavis,

et pedicellis pluribus bracteatis a C. picto facile distinguenda, mihi hactenus non occurrit in Dalmatia, et quae specimina sub ejus nomine offendi in herbariis dalmatis ad alteram referenda.

1052. Cynoglossum Columnae TEN. fl. neap. prodr. p. 14. BIVON. stirp. rar. man. 2. p. 3. BERTOL. fl. ital. 2. p. 305. GUSS. fl. sic. syn. p. 224!

C. villosum, foliis inferioribus ellipticis obtusis in petiolum attenuatis, caulinis superioribus basi dilatatis, subcordato-amplexicaulibus, oblongo-lanceolatis, supremis acutis, racemo conjugato, corolla unicolore, acheniis dorso planis glochidiatis, margine plano cristato-dentato erecto intus nudiusculo cinctis.

Icon. TEN. fl. nap. tab. 116. COLUMN. ecphr. p. 178. MORIS. hist. pl. ox. sect. II. tab. 30. f. 7.

Hab. promiscue cum praecedente. Floret a vere in aestatem. Flores purpureo-caerulei. ♂.

Obs. Quid sit C. lusitanicum FORTIS Osserv. sopra l'isola di Cherso ed Ossero p. 68., seu Picotia? Fortisii R. S. syst. veg. 4. p. 87. prorsus divinare nequeo.

CCCLXX. Echinospermum Sw.

in Lehm. asperif. p. 113.

Char. Calyx quinquepartitus, laciniis in fructu patulis. Corolla hypocraterimorpha, fauce squamis convexis clausa. Achenia pyramidato-triquetra, dorso verruculosa, margine glochidiata, a basi ad apicem gynobasio affixa. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1053. Echinospermum Lappula LEHM. asperif. p. 121. VIS. stirp. dalm. p. 34. RCHB. fl. exc. p. 345. ALSCH. fl. jadr. p. 48.

E. caule superne ramoso, foliis lanceolato-oblongis obtusis, utrinque adpresse pilosis, margine ciliatis, racemis foliosis, pedunculis fructiferis erectis, acheniis dorso granulatis, margine biseriato-glochidiatis.

Syn. Myosotis Lappula L. sp. pl. ed. II. p. 189. HOST fl. austr. 1. p. 228. PETT. bot. Wegw. n. 624. — Syn. Rochelia Lappula ROEM. et SCH. syst. veg. 4. p. 78. Cynoglossum Lappula SCOP. fl. carn. tom. 1. p. 125. Lappula Myosotis MOENCH meth. pl. p. 417. Echinospermum vulgare Sw. ap. SCHRAD. in Comment. gotting. 4. p. 195. — Icon. SPENN. in NEES gen. pl. XVIII. n. 3. OED. fl. dan. t. 692. LAM. enc. bot. pl. 91. COLUMN. ecphr. p. 179.

Hab. in asperis incultis apricis obvium. Flores caerulei, fauce albi. Floret vere et aestate. ☉.

Trib. III. ANCHUSEAE.

ENDL. gen. pl. p. 647.

Gynobasium centrale styligerum: achenia a gynobasio et inter se libera, basi receptaculo affixa.

CCCLXXI. Cerinthe Tourn.

Instit. rei herb. p. 79. tab. 16.

Char. Calyx profunde 5—partitus, partitionibus inaequalibus. Corolla tubulosa, fauce nuda, limbo quinquepartito connivente, aut quinquedentato demum reflexo. Stamina tubo inserta, antheris subhastatis acuminatis serrulatis exsertis, basi

utrinque filiformi-caudatis. Achenia bina bilocularia disperma. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1054. Cerinthe aspera ROTH catal. bot. 1. p. 33. RCHB. fl. exc. p. 340. GRISEB. spic. fl. rum. 4. p. 79.

C. foliis albo-verrucosis asperis serrulato-ciliatis, inferioribus spathulatis, superioribus cordato-amplexicaulibus ovatis, corolla conico-ventricosa, infra medium angustata staminifera, limbi dentibus brevissimis triangularibus recurvis, filamento recto antheram subaequante.

Syn. C. major *β.* L. sp. pl. ed. II. p. 196. — Icon. RCHB. ic. bot. VIII. f. 983. SIBTH. et SM. fl. graec. II. tab. 170. CLUS. hist. pl. V. p. 167. f. 1. SABBAT. h. rom. 1. tab. 12.

Hab. in cultis insulae Pelagosa, unde misit prof. Stalio. Corollae flavae unicolores, vel ad staminum insertionem extus zona purpurea pictae. Floret vere. ⨀.

Obs. Ab hac ex cl. GRISEBACH diversa est C. major L., in qua tubi corollini pars inferior angusta superiore ampliata duplo brevior, et limbi dentes truncato-rotundati: quas tamen notas in speciminibus C. majoris a me observatis reperire nequeo. Etiam verrucas foliorum albas utrique communes video. Cl. GASPARRINI communicavit plantam huic affinem e viciniis Neapolis, in qua antherae corollae dentes aequant, hisque reflexis longiores sunt et exsertae, sub nomine C. gymnandrae, quam potius C. phaenandram dixerim.

1055. Cerinthe retorta SIBTH. et SM. fl. graec. prodr. 1. p. 120. RCHB. fl. exc. p. 340. A. DC. in DC. prodr. syst. nat. X. p. 4.

C. foliis laevibus integris glabris, inferioribus spathulatis albo-maculatis, superioribus cordato-amplexicaulibus ovatis, corollae conico-clavatae, apice subincurvae, fauce constrictae limbi dentibus brevissimis triangularibus obtusis reflexis, filamento infracto-adscendente antheram subaequante.

Syn. C. purpurea VIS. in Bot. zeit. erg—bl. 1829. 1. B. p. 8. — Icon. Flor. dalm. tab. 21. SIBTH. et SM. fl. graec. II. tab. 171. RCHB. ic. bot. VIII. f. 981.

Hab. in sylvaticis Boraja inter Sebenico et Traù, ubi inveni Majo. ⨀.

Descr. Radix annua subramosa nigrescens. Caulis teres ramosus. Folia omnia glauca integra laevia obtusissima, infimis spathulatis in petiolum attenuatis albo-maculatis, caulinis inferioribus spathulatis basi cordato-amplexicaulibus, supremis cordato-ovatis, in viridi laevissimis, in sicco verruculosis. Flores in racemos violaceos, exsiccatione atropurpureos aut cyaneos, secundos, terminales, foliosos, revolutos digesti. Bracteae amplexantes cordatae, superiores ellipticae. Calyx quinquepartitus, laciniis inaequalibus oblongis, duabus superioribus post anthesim acutis subcordato-oblongis, glabris vel serrulato-ciliatis. Corollae tubus basi angustus albidus, dein sensim crassior violaceus, faucem versus zona ochroleuca acute flexuosa cinctus et deorsum gibbosus, apice subincurvus, limbo violaceo constricto, dentibus brevissimis triangularibus obtusis reflexis pallidis. Stamina medio tubo inserta, filamentis supra originem infracto-adscendentibus, antherae supra ipsum inflexae, sagittato-lineari, corollam aequanti et plumbeae subaequalibus. Pistillum stylo filiformi, stigmate capitato, retuso aut emarginato. Achenium unicum abortu alterius, biloculare ex duabus coalitis, mono-dispermum, ovatum, apice bifidum. Semen compressum ovatum acutum. — Expl. ic. fl. dalm. — *a.* bractea. *b.* flos. *c.* corolla. *d.* achenium.

Obs. Jam in Flora ratisbonensi l. c. monueram de nimia plantae meae cum C. retorta SM. affinitate ne dicerem identitate, sed stirpis graecae autopsia deficiente, diversam esse suadebant folia glabra, corollae brevioris subincurvae dentes obtusi reflexi, et folia maculata, dum ex Fl. gr. descriptione et icone in C. retorta corolla est longa, sigmoidea, ejus dentes acuti patentissimi, folia immaculata et strigosa. Nunc autem speciminibus Messeniae et Atticae comparatis, in quibus tantum corollas a calyce magis exsertas video ac in planta dalmatica, certus sum binas plantas in speciem coire unicam.

1056. Cerinthe minor L. sp. pl. ed. II. p. 196. Host fl. austr. 1. p. 237. Rchb. fl. exc. p. 339. Alsch. fl. jadr. p. 44. excl. syn. Pett. bot. Wegw. n. 239.

C. foliis laevibus glabris, integris emarginatisve, inferioribus spathulatis, superioribus cordato-amplexicaulibus ovato-oblongis, corollae tubo turbinato, fauce constricta, limbi quinquepartiti dentibus lanceolato-linearibus acuminatis strictis, filamentis brevissimis.

Syn. Cerinthe acuta Moench. meth. pl. p. 520. C. glabra Scop. fl. carn. 1. p. 128. non Mill. C. cleiostoma Boiss. diagn. pl. or. 4. p. 44. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. XVII. n. 12. f. 1—19. Rchb. ic. bot. 4. tab. 481. Jacq. fl. austr. 2. tab. 124. Clus. hist. pl. V. p. 168.

var. *β.* maculata: corollae tubo sub limbo maculis purpureis picto. — Syn. C. maculata Bieb. fl. taur. cauc. 1. p. 134. Rchb. fl. exc. p. 339. Pett. bot. Wegw. n. 238. (excl. syn.) Guss. fl. sic. prodr. 1. p. 221. Bertol. fl. ital. II. p. 322. an L.? C. major Host fl. austr. 1. p. 237. quoad loc. nat. et spec. dalm. in herb.! — Icon. Rchb. ic. bot. cent. IV. f. 482. —

Hab. ad sepes et in herbidis circa Novegradi, inter Zara et Obbrovazzo, prope Clissa, Almissa, Narenta, et in monte Sella supra Cattaro. Flores nunc ex toto flavi, nunc sub limbi incisuris, punctis maculisve latioribus purpureis picti. Floret aestate. ⨀.

Obs. Nec foliis emarginatis, quae talia ludunt etiam in specie; nec laciniis calycis magis inaequalibus majoribusve, cum notae hujus nimis vagae limites certi non adsint: nec harum figura, quae in utraque planta fructifera est cordato-ovata in lacinia superiore majore, subcordato-oblonga aut oblonga in reliquis, C. maculata Bieb. specifice differt a C. minore. E contra C. maculata L. sp. pl. ed. I. p. 137 videtur clo Bertol. in fl. ital. 2. p. 323., juxta specimen in herb. Jos. Monti, a quo plantam suam habuit Linnaeus, bene diversa ab hac, immo eadem ac C. strigosa Rchb., quae floris forma ad aliam generis sectionem pertinens, C. majorem aut C. asperam olet. Hoc tamen Linnaei verbis aperte repugnat, qui suam comparat cum C. minore, cui, ipse ait, flore convenit acuto et clauso, et solum differre monet quod major, et folia maculata emarginata gerat, qua de causa eam serius in Sp. pl. ed. II. p. 196 pro mera C. minoris varietate habuit. Hinc valde dubium utrum planta herb. Montii a cl. Bertolonio pro C. strigosa Rchb. declarata sit vera C. maculata L., vel nostra, cui soli Linnaeana descriptio quadrat. Folia superiora, et praecipue bracteas, interdum denticulata et rigide ciliata vidi, et haec est C. minor γ.? ciliaris A. DC. in DC. prodr. X. p. 3. C. cleiostoma Boiss. ex herb! — Denique C. alpina Kit. in Schult. fl. austr. 2. p. 353, quae C. quinquemaculata Wahlb. carp. p. 50. C. glabra Gaud. fl. helv. p. 29. et Rchb. fl. exc. p. 340, non Mill. nec Scop. C. svevica Martens reis. nach. Vened. 1. p. 44. probe differt a C. minore corollis brevius dentatis, dentibus ovatis apice recurvatis.

CCCLXXII. Onosma L.

Gen. pl. ed. VI. p. 76.

Char. Calyx quinquepartitus, laciniis subaequalibus. Corolla tubuloso-clavata, intus nuda, limbo contracto quinquedentato. Stamina tubo inserta inclusa, antheris subhastatis lanceolatis conniventibus, connectivo in membranam producto apice appendiculatis, margine serrulatis, lobis baseos divaricatis connexis. Achenia quatuor ovata unilocularia monosperma, basi truncata. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1057. Onosma Visianii Clement. in Atti della 3. Riun. degli Scienz. ital. Firenze 1842. p. 519. Vis. Orto bot. di Pad. nel 1842. p. 143. DC. prodr. syst. nat. vol. X. p. 62.?

O. hispidissima, setis longioribus in tuberculo glabro radiatim striato solitariis patulis, minimis interpositis, caulibus herbaceis, ramis paniculatis patentibus, foliis inferioribus lineari-oblongis obtusis basilonge attenuatis, superioribus lanceolatis acuminatis basi ovata semiamplexicaulibus, racemis plurimis, calycis laciniis oblongo-linearibus corolla paullo brevioribus, antheris apice exsertis, filamentis brevissimis.

Syn. Onosma echioides? Vis. herb.

Hab. in aridissimis apricis sterilibus in Kninskopolje, ad Much prope Sign, in parte orientali montis Biokovo, et etiam in ditione Ragusina. Flores citrini. Floret aestate. ♃.

Obs. Affine O. echioidi, a quo differt calyce corollam dimidiam superante, corollae dentibus ovatis acutis, antheris apice membranaceo supra corollae dentes reflexos exsertis, filamentorum parte libera anthera sua triplo breviore, dum in illo calyx corollae dimidium aequat, corollae dentes latissimi rotundati et apice abrupte acuti, antherae tubi ventre iuclusae, filamentis crassis latis, parte libera eorumdem anthera sua paullo breviore. Caeterum setae minimae setis majoribus tuberculo impositis intermixtae, et ipso in calyce patulae, nec non corolla, praesertim junior et apice, minute pubescens, et antherae praesertim superiores serrulato-ciliatae, utrique speciei communes. Achenia laevissima sordide alba, fusco-punctata, nitida, ovata, acuminata, intus acute carinata. Diagnosis nostra differt haud parum a diagnosi Candolleana, praesertim antheris. An igitur planta ibidem descripta, quam div. Candolleus pater O. calycinam vocaverat, a nostra diversa?

1058. Onosma stellulata Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 2. p. 189 (1805). Vis. stirp. dalm. p. 42. Rchb. fl. exc. p. 339. Pett. bot. Wegw. n. 646.

O. hispida, setis longioribus tuberculo echinato-stellulato impositis patulis, minoribus interpositis, caulibus basi lignosis subsimplicibus, foliis inferioribus lanceolatis linearibusve obtusis, basi longe attenuatis, superioribus lanceolatis acutis basi ovata semiamplexicaulibus, racemis subbinis, calycis laciniis linearibus corolla dimidio brevioribus, antheris filamento paullo longioribus.

Syn. Onosma montana Sibth. et Sm. fl. graec. prodr. 1. p. 121 (1806). O. echioides L. sp. pl. ed. II. p. 196 (excl. var. β.). — Icon. Waldst. et Kit. l. c. tab. 173.

var. β. angustifolia: adpresse denseque setosa, foliis linearibus margine revolutis. — Syn. O. angustifolium Lehm. asper. p. 361. O. orientale Host fl. austr. 1. p. 237. ex loc. non L. O. echioides Alsch. fl. jadr. p. 46. non L. — Icon. Lehm. icon. asper. 2. tab. 14.

Hab. in saxosis apricis collinis totius Dalmatiae litoralis et insularis: var. locis siccioribus. Flores albidi aut flavidi. Floret aestate. ♄.

Obs. A specie nequeo varietatem distinguere nisi pube densiore, foliisque angustioribus: nam caules video suffruticosos, corollam nunc regulariter obconicam, nunc versus apicem subito ventricosam, antheras sub nexus statu filamento paullo longiores in utraque, quae nota ultima etiam in plantae hungaricae icone occurrit. Onosma erecta Sm. fl. graec. tab. 173, juxta specimina a cl. Sprunner ex Hymetto communicata, differt racemis molliter albo-lanatis, corollis canescentibus inferne angustato-cylindricis, antheris filamento duplo longioribus, apice membranaceo divaricato-bilobis; quae quidem nec cum O. stellulata Kit. cui O. erectam referunt plurimi, nec cum O. taurica, cui nuper eam retulit cl. Grisebach spic. fl. rum. 4. p. 81—82. ullo modo conveniunt. — In Hostii et Portenschlagi herbariis deest Onosma orientalis hujus auctoris fide ab illo prope Spalatum indicata, quo tamen loco O. stellulata solum occurrit.

CCCLXXIII. Lithospermum Tourn.

Instit. rei herb. p. 137. (excl. spec.) tab. 55.

Char. Calyx aequaliter quinquepartitus. Corolla infundibuliformis vel hypocraterimorpha pervia. Stamina tubo inserta, antheris ovatis. Achenia ovata basi plana. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

Sect. I. Eulithospermum *DC.*

Prodr. syst. nat. X. p. 76.

Faux corollae quinquegibba: filamenta medio tubo corollae affixa, brevissima: achenia laevissima alba.

1059. Lithospermum officinale L. sp. pl. ed. II. p. 189. Host fl. austr. I. p. 229. Rchb. fl. exc. p. 336. Alsch. fl. jadr. p. 45. Pett. bot. Wegw. n. 564.

L. adpresse strigosum, caule herbaceo erecto superne ramosissimo, foliis lanceolatis acutis trinerviis, corollae tubo calycem aequante, acheniis ovatis.

Icon. Spenn. in Nees gen. pl. fasc. XVII. n. 8. Sow. engl. bot. tab. 134. Oed. fl. dan. t. 1084. Lam. enc. bot. pl. 91. Matth. sopra Diosc. ed. cit. p. 968. — Illyr. Prosso vrebçie, divje.

Hab. ad sepes et vineas circa Zara, Sebenico, Traù, Spalato, Ragusa, Cattaro, et in insulis Veglia et Cherso. Flores albidi. Floret a vere in aestatem. ⊙.

Sect. II. Rhytispermum *Lk.*

Handb. der bot. p. 579.

Faux corollae quinqueplicata: filamenta brevissima infra medium tubi corollae affixa: achenia scrobiculata aut tuberculata fusca.

1060. Lithospermum arvense L. sp. pl. ed. II. p. 190. Vis. stirp. dalm. p. 40. Host fl. austr. 1. p. 228. Rchb. fl. exc. p. 336. Alsch. fl. jadr. p. 45. Pett. bot. Wegw. n. 562.

L. adpresse strigosum, caule herbaceo erecto apice ramoso, foliis oblongo-lanceolatis, superioribus acutiusculis, fructuum racemis inferne laxioribus, pedicellis basi tenuibus, corollis calycem subaequantibus, acheniis ovato-attenuatis lacunoso-tuberculatis fuscis.

Syn. Rhytispermum arvense Lk. loc. cit. Spenn. gen. pl. fasc. XVII. n. 9. — Icon. Spenn. loc. cit. Sow. engl. bot. t. 123. Oed. fl. dan. t. 456. Rivin. mon. irr. tab. 9. Columm. ecphr. p. 185. — Illyr. Prezliçicza. Broçianicza.

Hab. in agris et campis vulgare. Flores albidi. Floret Majo, Junio. ⊙.

1061. Lithospermum incrassatum Guss. ind. sem. h. Boccadif. 1826. p. 6. et fl. sic. syn. 1. p. 217. Alsch. fl. jadr. p. 45. Pett. bot. Wegw. n. 563.

L. adpresse strigosum, caulibus herbaceis subsimplicibus, foliis inferioribus obovato-oblongis petiolatis majoribus, superioribus oblongo-linearibus, fructuum racemis inferne laxioribus, pedicellis a basi incrassato-clavatis, corollis calyce sublongioribus, acheniis ovato-attenuatis lacunosis granulatis fuscis.

Syn. Lithospermum tenuiflorum Host fl. austr. 1. p. 230. ex herb. Host et Portenschl.! Rchb. fl. exc. p. 336, nec L. fil. — Icon. Vis. fl. dalm. tab. XXIII. f. 2. *a.* cal. *b.* cor. *c.* cal. fruct. *d.* achen.

Hab. in saxosis collinis circa Zara, in Zagorje prope Dernis, circa Sebenico, Castelli, Spalato, et inter S. Giovanni et Neresi in ins. Brazza. Flores caerulei. Floret Majo, Junio. ⊙.

Obs. Foliis caulinis duplo angustioribus, pedicellis fructus elongatis et jam a basi valde incrassatis, ita ut fere crassitiem calycis aequant, et corolla caerulea lobis duobus superioribus minoribus a praecedente diversum. Radix annua simplex fibrosa. Herba palmaris vel minor, tota strigis nitidis albis obtecta. Caules simplices vel ramosi, erecti vel adscendentes vel etiam decumbentes, basi purpurascentes, apice floriferi

ibique ante anthesim circinnati. Folia sessilia, subtus magis canescentia et costa prominente instructa, enervia, alterna, ad apicem caulis fere disticha, basi ciliata. Flores caerulei, solitarii, axillares, secundi. Pedicelli breves, fructiferi valde incrassati et longiores. Calyx quinquepartitus laciniis linearibus, duabus minoribus, corollae tubo paullo minor. Corolla hypocraterimorpha quinqueloba, lobis duobus minoribus, fauce pervia nuda, tubo sub fauce paullo angustiore, basim versus dilatato, extus strigoso. Antherae 5 sessiles in ima tubi parte insertae. Achenia 4 ovata apice acuta, hinc costata, verrucosa, opaca.

1062. Lithospermum tenuiflorum L. fil. supp. p. 130. Roth. catal. bot. 3. p. 32. Griseb. spic. fl. rumel. 4. p. 86. not.

L. adpresse strigosum, caule herbaceo superne ramoso, foliis inferioribus oblongo-ovatis petiolatis, superioribus oblongis, fructuum racemis inferne laxioribus, pedicellis basi tenuibus, corollis calyce longioribus, acheniis ovato-attenuatis muriculato-granulatis fuscis.

Syn. L. minimum Moris stirp. sard. elench. fasc. 2. p. 7. Bertol. fl. ital. 2. p. 280.

Hab. in saxosis insulae Lesina et circa Traù. Flores caerulei. Floret aestate. ⊙.

Obs. Ex comparatione speciminis e Graecia missi a cl. Sprunner cum descriptionibus auctorum superne citatorum liquet hoc esse L. tenuiflorum L. fil., inter quod et L. minimum Moris, cujus quoque specimina authentica coram habeo, nullam differentiam invenio: hinc praeeunte cl. Grisebach copulavi. Icones Jacquini ic. rar. 2. tab. 159, et Vivian. fl. lybic. tab. 1. f. 2. (Myosotis tenuiflora Viv.) nostram plantam sat bene referunt, sed ob flores albos saltem dubiae. — Lithospermum tenuiflorum Sibth. et Sm. fl. graec. 2. tab. 159, seu L. Sibthorpianum Gris. differt a specie Linnaeana corolla alba calycem paullo superante, corollae tubo basi ventricoso nec subcylindrico, et acheniis rugoso-lacunosis laevibus ex cl. Grisebach spic. fl. rum. p. 86. Haec discrimina tamen desunt in speciminibus a cl. Heldreich sub L. Sibthorpiani Griseb. nomine communicatis, in quo tubus corollae calycem aequat, basi est cylindricus, et ad insertionem staminum caerulescit, reliqua corolla albida, achenia sunt tuberculato-aspera et lacunosa, nec mihi diversum videtur a L. arvensi.

Sect. III. Oxyspermum.

Faux corollae penicillis pilorum quinis praedita: filamenta brevissima imo tubo affixa: achenia tuberculata fusca.

1063. Lithospermum apulum Vahl symb. pl. 2. p. 32. Host fl. austr. 1. p. 229. Rchb. fl. exc. p. 336. Alsch. fl. jadr. p. 45.

L. villis patentibus hispidum, caule herbaceo erecto apice ramoso, foliis oblongo-linearibus acutis, inferioribus in petiolum attenuatis, racemis fructiferis densis, pedicellis brevissimis, corollae tubo exserto, acheniis ovato-acuminatis triquetris nitidis tuberculosis, dorso laevibus.

Syn. Myosotis apula L. sp. pl. ed. II. p. 189. — Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. II. p. 158. Colum.. ecphr. p. 185. Pluken. phyt. tab. 6. f. 5. Lobel. ic. 312.

Hab. in siccis apricis, saxosis circa Zara, ad Draçane prope Traù, ad Stobrez prope Spalato, et in insulis Ossero, Selve, et Lesina. Flores flavi. Floret aestate. ⊙.

Obs. Planta inter Myosotidem et Lithospermum media: illi accedit fauce fasciculis pilorum quinis paullulum coarctata, recedit vero harum appendicum forma, quae a fornicibus Myosotidis omnino aliena, corollae aestivatione imbricata nec convoluta, et acheniis Lithospermi. — Ab hoc discrepat fauce dictis fasciculis angustata, qui a plicis aut gibbis Lithospermi diversi, et plicis crassiusculis in imo corollae tubo staminum filamentis transverse subjectis. Habitus tamen et affinitates plantam hanc huic generi accensent.

Sect. IV. Margarospermum *Rchb.*

Fl. exc. p. 337.

Faux corollae laevis glabra: filamenta brevissima summo tubo inserta inclusa: achenia laevissima alba.

1064. Lithospermum purpureo-coeruleum L. sp. pl. ed. II. p. 190. Vis. stirp. dalm. p. 40. Host fl. austr. 1. p. 230. Rchb. l. c. Alsch. fl. jadr. p. 45. Pett. bot. Wegw. 565.

L. caule herbaceo patenter piloso, florifero, erecto, sterilibus prostratis, foliis adpresse pilosis lanceolato-acuminatis basi attenuatis, racemis fructiferis laxis, corolla calycem duplo excedente, acheniis ovatis obtusis.

Syn. Rhytispermum purpureo-caeruleum Spenn. in Nees gen. pl. XVII. n. 9. — Icon. Spenn. l. c. f. 18. coroll. Sow. engl. bot. t. 117. Jacq. fl. austr. 1. tab. 14. Roem. fl. eur. fasc. 8. ic.

Hab. in umbrosis sylvaticis prope Zara, Scardona, Traù, Spalato, Poljzza et in Dalmatia montana, nec non in insulis Veglia, Pago. Floret vere. Flores primo rubri, dein azurei. ♃.

Sect. V. Echianthus.

Faux corollae laevis glabra, lobi erecti: filamenta filiformia elongata infra medium tubi affixa, exserta; achenia laevissima fusca.

1065. Lithospermum petraeum A. DC. in DC. prodr. X. p. 82.

L. adpresse pilosum, caule basi ramoso suffruticoso, superne canescente, foliis oblongis linearibusve obtusis, basi attenuatis, supra strigulosis, subtus incanis, margine revolutis, racemis cymosis confertis, calycis incano-sericei laciniis lanceolatis, corolla tubuloso-infundibuliformi glabra triplo brevioribus, acheniis ovatis oblique attenuato-rostratis.

Syn. Echium petraeum Trattinn. thes. bot. p. 8. Lehm. ic. et descr. Asperif. 2. p. 16. Vis. stirp. dalm. p. 34, et Sem. h. pat. 1836. p. 4. Host fl. austr. 1. p. 241. excl. syn. Pett. bot. Wegw. n. 354. Lithospermum rosmarinifolium Rchb. fl. exc. p. 337. non Ten. — Icon. Tratt. en. pl. dalm. Portenschl. tab. 7. Lindl. bot. reg. 1843. tab. 26. Lehm. ic. asperif. 1. tab. 20.

Hab. in rupestribus apricis circa Clissa, Almissa, inter Duare et Macarsca, in monte Biokovo, nec non in montibus altioribus circa Ragusa, in Vermaz et Krivoscie prope Cattaro, ad Pastrovichio, et in Montenegro. Flores prius rubentes, dein laete azurei, vel albi. Floret aestate. ♄.

Obs. Corolla paullulum in latus deflexa, lobis erectis aequalibus: filamenta exserta antheris oblongo-linearibus rectis obtusis, basi acute bilobis, dorsi medio vel paullo infra affixa: stigma capitulatum, truncatum vel obsolete bilobum: acheniorum basis margine acuto prominulo cincta. Stirps media inter Echium et Lithospermum: illi filamentis longis exsertis, corolla vix curva, ejusque lobis erectis, et acheniis basi concavis: huic notis caeteris similis, L. graminifolio affinis, nec ab hujus genere separanda. Differt ab Echio insuper corollae limbo horizontaliter nec oblique secto, lobis aequalibus, et acheniis laevibus nec rugosis: a Lithospermis tantum corollae lobis erectis, filamentis exsertis. Magis vero distat a Moltkia, cujus habitum gerit, in qua antherae basifixae, demum incurvae, et stigma acutum. Lithospermum rosmarinifolium Ten. fl. nap. 3. p. 178. tab. 114 nullam habet cum nostro similitudinem In nostro folia nunc oblongo-linearia, ut in optima icone Trattinnickii, nunc oblonga latiora, ut in illa Lindley, in qua vero et in Lehmanniana stigma nimis crassum et biglobosum, quod a veritate recedit. Genus Lithospermum, quale hic proponimus, ob notas L. petraei, non differt ab Echio nisi corollarum limbo non oblique sed horizontaliter secto, nam et in Echio corolla aliquando est infundibularis, ut in illo: stigma non semper bifidum, sed interdum obscure bilobum

etiam in Lithospermo, ex. gr. in L. petraeo, in quo variat integrum vel sub-bilobum, et achenia margine acuto circa basim concavam instruuntur in hoc ferme ut in Echio. Attamen habitu et affinitate planta nostra, quamquam Lithospermi characteres genericos valdopere infirmet, potius Lithospermo quam Echio pertinet.

CCCLXXIV. Echium Tourn.

Instit rei herb. p. 135. tab. 54.

Char. Calyx subaequaliter quinquepartitus. Corolla infundibularis aut subcampanulata, intus nuda glabra, limbo oblique inaequaliterque quinquelobo. Stamina filamentis filiformibus elongatis inaequalibus tubo inferne adnato-decurrentibus, antheris oblongis exsertis. Achenia rugosa, basi acute marginata concava. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

* floribus secus ramos terminales racemosis.

1066. Echium parviflorum Moench. meth. pl. p. 423. excl. syn. L. Host fl. austr. 1. p. 242. Pett. bot. Wegw. n. 353. excl. syn.

E. decumbens, tuberculato-hispidum pilis patentibus, foliis obovato-oblongis aveniis obtusis basi attenuatis, calycis in fructu aucti campanulati laciniis ovato-lanceolatis, corollis tubulosis, staminibus corollae tubum aequantibus.

Syn. Echium calycinum Viv. ann. bot. 1. pars 2. p. 164. et fl. ital. fragm. 1. p. 2. (excl. syn. Bocc. Barrel. et Cup.). Rchb. fl. exc. p. 335. E. prostratum Tenor. fl. neap. prodr. p. 14. nec alior. E. creticum γ. Griseb. spic. fl. rum. 4. p. 84. — Icon. Viv. fl. ital. 1. tab. 4. Ten. fl. nap. tab. 12. Till. hort. pis. tab. 23. f. 3.

Hab. in sterilibus insularum Cherso, Morter, Bètina, Lesina, Lissa, in Forte S. Nicolò, prope Sebenico, circa Traù, Spalato, Salona, Clissa, et Ragusa. Flores caerulei, basi albi. Floret vere. ⊙.

Obs. Caules semper prostrati, nec erecti quales describunt Moench l. c. et Roth cat. bot. 2. p. 14. ex planta culta.

1067. Echium plantagineum L. mant. alt. p. 202. Host fl. austr. 1. p. 242. ex herb! Rchb. fl. exc. p. 335.

E. erectum, minute tuberculato-hispidum pilis patentibus, foliis subtus venosis obtusis, radicalibus petiolatis majoribus ellipticis, caulinis oblongo-lanceolatis basi cordatis sessilibus, bracteis cordato-lanceolatis acutis, calycis in fructu immutati laciniis lanceolato-acuminatis, corolla infundibuliformi-campanulata, staminibus corollae limbum aequantibus longioribusve.

Syn. Echium violaceum Koch! syn. fl. germ. ed. II. p. 578. ex loc. non L. E. creticum β. violaceum Griseb. sp. fl. rum. 4. p. 84. ex loc. — Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. II. tab. 179. Jacq. h. vind. 1. tab. 45. Barrel. ic. pl. 1026.

Hab. in maritimis circa Ossero, Traù, Spalato, Ragusa. Flores caeruleo-violacei magni. Floret Majo, Junio. ♂.

Obs. Species foliis imis venoso-lineatis majoribus, superioribus bracteisque basi cordata semiamplexicaulibus ab affinibus distinctu facilis.

** florum racemis in thyrsum terminalem dispositis.

1068. Echium vulgare L. sp. pl. ed. II. p. 200. Vis. stirp. dalm. p. 34. Host fl. austr. 1. p. 242. Rchb. fl. exc. p. 336. Pett. bot. Wegw. n. 356.

E. setis conformibus hispidum, foliis lanceolatis acutis, floralibus lineari-lanceolatis, racemis simplicibus, tubo corollae calycem subaequante, staminibus a stylo divaricatis, limbo corollae adpressis multoque longioribus.

Syn. Echium molle PETT. in RCHB. fl. exc. p. 336. obs. nec POIR. E. vulgare δ. molle POIR. enc. bot. ed. Pat. VIII. p. 223. — Icon. SPENN. in NEES gen. pl. fasc. XVII. n. 11. OED. fl. dan. t. 445. CLUS. hist. pl. 2. RIVIN. mon. irr. tab. 7. f. 1.

Hab. in sterilibus, arvis, et viis cum sequente, quo rarius. Flores prius rubentes dein caerulei. Floret aestate. ♂.

Obs. Variat pilis mollibus longioribus densis subsericeis, et haec forma ex loco minus sterili et minus arido circa Clissa est E. molle PETT. nec POIR. enc. bot. VIII. p. 219.

1069. Echium pustulatum SIBTH. et SM. fl. graec. prodr. 1. p. 125. VIS. stirp. dalm. p. 34. RCHB. fl. exc. p. 335. KOCH. syn. fl. germ. ed. II. p. 578.

E. pube densa minima cinerascens, setis longioribus intermixtis, foliis oblongo-lanceolatis, inferioribus obtusis, floralibus ovato-lanceolatis, racemis simplicibus, tubo corollae calycem superante, staminibus stylo adpressis, corollae lobo superiori aequilongis.

Syn. Echium tuberculatum HOFFMSGG. et LK. fl. port. 1. p. 183. NOE herb! E. vulgare ε. γ. BERTOL. fl. ital. 2. p. 348. E. vulgare ALSCH. fl: jadr. p. 46. ex herb! nec L. — Icon. SIBTH. et SM. fl. graec. II. tab. 180. — Illyr. Kràstavacz.

Hab. in apricis sterilibus circa Zara, Sebenico, Traù, Spalato, Macarsca, Ragusa, Budua, et in insulis Ossero et Lesina. Flores caerulei, striis quinque violaceis. Floret vere et aestate. ♂.

Obs. Species a quibusdam praecedenti conjuncta, a qua pubescentia duplici, altera minima densa cinerea, unde specificus plantae color (in icone Fl. gr. amoene viridis falsus), altera e setis rigidis longis patulis tuberculo crasso impositis; foliis inferioribus obtusis oblongisque, floralibus basi latioribus; et staminibus coadunatis nec patulis diversum video. Cfr. etiam discrimina alia ap. KOCH. syn. fl. germ. l. c. E. tuberculatum LK. ex descriptionibus ab hoc non differt. H. dalmaticum TAUSCH. in bot. zeit. 1831. p. 220 staminibus corolla brevioribus, huc forsitan referendum. E. pustulatum PETT. bot. Wegw. n. 355 quoad specim. cujus meminit cl. RCHB. l. c. E. plantagineo pertinet.

1070. Echium italicum L. sp. pl. ed. II. p. 200. VIS. stirp. dalm. p. 34. HOST. fl. austr. 1. p. 241. RCHB. fl. exc. p. 336. ALSCH. fl. jadr. p. 46. PETT. bot. Wegw. n. 352.

E. setoso-hispidissimum, strictum, foliis lanceolatis, racemis inferioribus bifidis trifidisve, tubo corollae calycem superante, staminibus divaricatis corolla multo longioribus.

Syn. Echium pyrenaicum DESF. fl. atl. 1. p. 164. E. asperrimum LAM. ill. gen. p. 413. BIEB. fl. taur. 1. p. 135. E. altissimum JACQ. fl. austr. 5. p. 35. E. pyramidatum A. DC. in DC. prodr. X. p. 23. — Icon. JACQ. fl. austr. 5. tab. 16. CAMER. epit. p. 738. — Illyr. Lissìçina.

Hab. in asperis, incultis, sterilibus totius Dalmatiae, praesertim litoralis. Flores albidi, aut roseo vel caeruleo colore leviter suffusi. Floret aestate. ♂.

Obs. Spicae thyrsi superiores non raro simplices, inferiores bifidae, quandoque trifidae vel rarius quadrifidae. Icon SOW. engl. bot. tab. 2081. huc spectat, sed tum haec tum illa E. vulgaris tab. 181, quippe quae e culta planta desumptae, luxuriantes et minus verae.

CCCLXXV. Pulmonaria Tourn.

Instit. rei herb. p. 136. tab. 55.

Char. Calyx tubulosus pentagonus, limbo qninquefidus, fructifer ampliatus. Corolla infundibuliformis, fauce nuda pilosa. Stamina inclusa filamentis brevissimis, antheris oblongis utrinque bilobis. Achenia ovata laevia, basi vix concava, strophiolata. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1071. Pulmonaria angustifolia L. sp. pl. ed. II. p. 194. Host fl. austr. 1. p. 235. Rchb. fl. exc. p. 357. Alsch. fl. jadr. p. 46. Pett. bot. Wegw. n. 741.

P. hirsuta, foliis omnibus lanceolatis utrinque angustatis.

Syn. Pulmonaria media Host fl. austr. 1. p. 235! P. azurea Bess. prim. fl. galic. 1. p. 150. Pett. bot. Wegw. n. 742. excl. syn. Linn. P. mollis Wolff. in Hell. fl. wirc. supp. p. 13. Rchb. fl. exc. p. 338. — Icon. Sow. engl. bot. t. 1628. Oed. fl. dan. tab. 483. Rchb! ic. bot. VI. f. 694, 695, 697, 698. Clus. hist. pl. V. p. 169. — Illyr. Gavez. Konsul. Pluç.

Hab. in sylvaticis montium Vellebith, Promina, Beljak. Flores primo rubentes, dein caerulei. Floret vere. ♃.

Obs. Variat foliis omnibus aequaliter lanceolatis, vel radicalibus ovali-lanceolatis latioribus, et haec forma posterior exhibet P. mollem Wolff. P. mediam Host. Caeterum nulla interest differentia nec in pube, quae nunc rigida patula rara, nunc intertexta crebra glandulosa in utraque: nec staminum insertione, quae ludit nunc summo tubo, nunc medio in ambabus.

CCCLXXVI. Alkanna Tausch

in Bot. Zeit. 1824. p. 234.

Char. Calyx quinquepartitus. Corolla infundibuliformis, fauce squamulis transversis, convexis, exiguis, glabris munita, pervia. Stamina inclusa, filamentis anthera brevioribus. Achenia ovata verruculoso-aspera, basi plana margine que angusto plano circumdata. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1072. Alkanna tinctoria Tausch l. c. Griseb. spic. fl. rum. 4. p. 88. A. DC. in DC. prodr. X. p. 99.

A. hirsuta canescens, caulibus procumbentibus, foliis imis spathulato-lanceolatis obtusis in petiolum attenuatis, caulinis lanceolatis floralibusque subcordatis acutis sessilibus, racemis foliosis distichis, calycis laciniis linearibus corollae tubo paullo brevioribus, acheniis incurvis.

Syn. Lithospermum tinctorium DC. fl. fr. 3. p. 624. excl. syn. L. Vis. stirp. dalm. p. 40. Host fl. austr. 1. p. 231. Anchusa tinctoria Desf. fl. atl. 1. p. 156. Sibth. et Sm. fl graec. prodr. 1. p. 116. Rchb. fl. exc. p. 342. Viv. pl. aeg. dec. IV. p. 18. non L. Alkanna Matthioli Tausch l. c. — Icon. Spenn. in Nees gen. pl. XVII. n. 20. Sibth. et Sm. fl. gr. II. tab. 166. Viv. l. c. tab. 2. f. 11. a—d. J. Bauh. hist. pl. 3. p. 584. f. 1.

Hab. in argillosis apricis circa Sebenico, in agris sterilibus circa Cittavecchia in insula Lesina. Floret primo vere. Flores rubentes, dein caerulei. ♃.

Usus. Radix tinctoria rubro colore inficit.

Obs. Squamulae minutae glabrae transversae quaerendae sunt oculo armato inter stamina, quorum duo inferiora et infra squamas affixa, optime docente cl. A. DC. l. c. p. 100 in not., nec omnia ad idem planum inserta, ut in citatis iconibus falso exhibentur. Squamae insuper glabrae sunt, nec ciliatae ut pinxit Vivianius, nec achenia video profunde excavata ut pinxit et descripsit Spennerus, sed plana et margine acuto cincta, prout in Lithospermis quibusdam, a quibus Alkanna differt squamis transversis glabris, dum in illis plicae, ubi adsunt, sunt longitudinales et pubescentes. — Huic generi etiam referri debet Alkanna obtusa, seu Lithospermum obtusum Vis, pl. quaed. Aegypt. ac Nub. Pat. 1836. 8. p. 10. tab. II. f. 2. tamen ubi squamulae omissae.

CCCLXXVII. Nonnea Medik.

Phil. bot. 1. p. 31.

Char. Calyx quinquefidus, demum inflatus auctus. Corolla infundibuliformis, fauce squamulis exiguis piloso-ciliatis munita, pervia. Stamina inclusa. Achenia rugosa

aut nervosa, basi excavata, strophiolata et annulo marginata. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1073. Nonnea lutea Rchb. fl. exc. p. 338. DC. prodr. syst. nat. X. p. 28. non Fl. fr. supp.

N. pubescens, setis longioribus intermixtis, foliis radicalibus oblongo-spathulatis obtusis, mediis semiamplexicaulibus oblongis, floralibus ovato-lanceolatis acutis, calycis laciniis acuminatis tubo corollino subaequalibus, limbo corollae exserto, acheniis oblongis longitudinaliter nervosis, apice compressis, intus acute carinatis, areola basilari obliqua margine acuto plano circumdata.

Syn. Anchusa lutea Bieb. fl. taur. 1. p. 126. non Vis. nec Pett. A. dubia Nocc. hort. ticin. p. 5. Lycopsis lutea Lam. enc. bot. ed. Pad. 3. p. 629. — Icon. Nocc. l. c. tab. 3.

Hab. circa Ragusa ubi legit Jos. Rubrizius. Flores pallide flavi, majusculi. Floret vere. ⨀.

1074. Nonnea ventricosa Griseb. spic. fl. rum. 4. p. 93. excl. ic. Buxb. A. DC. in DC. prodr. X. p. 33.

N. hirto-setosa, foliis oblongo-linearibus obtusis basi attenuatis, superioribus semiamplexicaulibus, floralibus ovato-lanceolatis acutis, calycis laciniis acuminatis corollam subaequantibus, acheniis reniformibus tranverse reticulato-venosis, utrinque rotundatis, sub apice intus carinatis, areola in sinu renali margine obtuso circumdata.

Syn. Anchusa ventricosa Sibth. et Sm. fl. gr. prodr. 1. p. 117. non Viv. fl. lyb. A. lutea Pett. bot. Wegw. n. 58. excl. syn. A. lutea β. Bieb. fl. taur. 1. p. 126. excl. syn. Vis. stirp. dalm. p. 25. Lycopsis Sibthorpiana Lehm. asperif. 2. p. 258. L. obtusifolia Portenschl. herb! Host fl. austr. 1. p. 249. non W. L. ciliata Host fl. austr. 1. p. 239. ex herb! non W. — Icon. Sibth. et Sm. fl. gr. II. tab. 168.

Hab. in agris argillosis circa Sebenico, Traù, Salona, Spalato, Clissa, et in insula Lesina. Floret vere. Flores minuti ochroleuci, albidi. ⨀.

Obs. Radix carnosa perpendicularis, apice divisa. Caulis erectus solitarius apice bifidus, vel lateralibus aut ramis inferioribus decumbentibus vel adscendentibus, hispidus, angulatus. Folia caulina lingulata sessilia subdecurrentia enervia bullata, bullis apice hirtis, margine setis raris serrulato-ciliata, suprema amplexicaulia. Calyx ad tertiam partem quinquefidus, hirtus, pentagonus, dentibus lanceolato-acuminatis, demum in calyce ampliato latioribus. Corolla albida, tubo basi parum ampliato, fauce in latus deflexa subcampanulata, squamulis quinis viridibus apice piliferis praedita, limbi lobis rotundatis aequalibus paullo calycem superantibus. Antherae sessiles plumbeae tubi apice insertae. Achenia nigrescentia reniformia obtusa, areola in sinu renis exculpta strophiolata, annulo crassiusculo obtuso cincta. — Differt a descriptione et icone Fl. graec. fauce corollae pervia, squamis non fornicatis nec albis, antheris tubi apice nec medio insertis, acheniis venosis nec laevibus: quibus de causis olim diversam censui, et Lycopsidis Portenschlagii nomine misi. Specimina graeca autem synonimi Sibthorpiani certitudinem induxere. Icon Buxb. cent. II. tab. XIII. f. 2. corollae magnitudine a nostra aliena. —

CCCLXXVIII. Anchusa L.

Gen. pl. ed. II. p. 47.

Char. Calyx quinquefidus aut quinquepartitus. Corolla hypocraterimorpha aut infundibuliformis, fauce appendicibus convexis velutinis aut setosis clausa. Stamina inclusa, antheris subsessilibus. Achenia lacunoso-rugosa, basi excavata, strophiolata et annulo crasso plicato circumdata. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

Sect. I. Euanchusa.

Griseb. sp. fl. rum. 4. p. 96.

Calyx quinquefidus: corolla regularis: achenia depressa apice obliqua.

1075. Anchusa microcalyx Vis. in bot. Zeit. 1829. erg. bl. 1. B. p. 8. Al. DC. in DC. prodr. syst. nat. X. p. 43.

A. hispida, caulibus debilibus adscendentibus diffusisve, foliis planis, inferioribus oblongo-spathulatis basi attenuatis subrepandis obtusis, caulinis lanceolatis acutis sessilibus integris, racemis conjugatis laxis, calycibus hispidissimis, fructiferi ampliati bracteisque ovato-lanceolatis duplo longioris dentibus lanceolatis acutis, corollae tubo recto calycem superante, appendicibus obovato-oblongis truncatis pubescentibus, acheniis reticulato-rugosis granulatis, apice oblique producto bicostatis.

Syn. Anchusa leptophylla Rchb. fl. exc. p. 343. non R. S. quoad pl. dalm. A. arvensis Vis. stirp. dalm. p. 25. non Bieb. — Icon. Vis. fl. dalm. tab. 23. *a.* cor. *b.* cor. apert. *c.* achenium.

Hab. in herbidis ad margines agrorum circa Sebenico, secus aquas alla Fontana prope Verlika, nec non circa Arxanò ubi legi aestate. Flores purpureo-caerulei. ♃.

Obs. Radix fibrosa perennis. Herba pilis canescentibus rigidis hispida. Calyces campanulati in flore parvi, in fructu parum, vel etiam quidam duplo triplove ampliores, breviter pedunculati, laxe erecti, vel subnutantes. Corolla hypocraterimorpha tubo recto vix fauce ampliato ibique staminifero, limbo patente, appendicibus crassis apice truncatis pubescentibus, prominulis, faucem claudentibus basi attenuatis. Stylus calyce longior, stigma capitatum. Achenia 3—4, vel abortu pauciora, depressa, apice oblique incurva, ibique costa acuta utrinque marginata, undique nervoso reticulata et inter nervos granulato-scabra, basi annulo crasso rugoso cincta, excavata, strophiolata. — Acheniis depressis in apicem obliquum productis, rugis valde prominulis reticulatis, bicostatis, inter rugas albo-granulatis, supra annulum crassum brevissimum non constrictis, et cavo baseos multo minore ab A. officinali, A. arvali et A. leptophylla diversa. Icon plantae, quam cl. Pohl faciendam curaverat, et de qua loquitur cl. Bertol. fl. ital. 2. p. 287, a nostra supra citata diversa.

Sect. II. Buglossum.

Rchb. fl. exc. p. 343.

Calyx quinquepartitus: corolla regularis: achenia oblonga erecta.

1076. Anchusa italica Retz obs. 1. p. 12. Bertol. fl. ital. 2. p. 289. Host fl. austr. 1. p. 232. Rchb. fl. exc. p. 344.

A. setoso-hispida, caule superne ramoso-paniculato patulo, foliis ovato-lanceolatis lanceolatisve integris, inferioribus in petiolum attenuatis, superioribus sessilibus, racemis conjugatis, bracteis lanceolato-linearibus, calycibus tubulosis, laciniis linearibus tubum corollae rectum subaequantibus, appendicibus oblongis setis subclavatis exserte barbatis, acheniis complanatis reticulato-rugosis obtusis.

Syn. Anchusa paniculata Ait. h. Kew. ed. I. vol. I. p. 777. Sibth. et Sm. graec. prodr. 1. p. 115. Vis. stirp. dalm. p. 25. Rchb. fl. exc. p. 343. Alsch. fl. jadr. p. 47. Pett. bot. Wegw. n. 59. Anchusa azurea Rchb. fl. exc. l. c. Buglossum amoenum Gaertn. de fr. et sem. 1. p. 323. B. vulgare Spenn. ic. fl. germ. XVII. n. 16. — Icon. Spenn. l. c. Sibth. et Sm. fl. graec. 2. tab. 163. Rchb. ic. bot. X. fig. 1229. Gaertn. l. c. tab. 67. f. 2. — Illyr. Volujak. Jeziçak voluj. Voluçak. Buràxina divja. —

Hab. ad vias, et in cultis totius Dalmatiae frequens. Flores azurei. Floret a vere in aestatem. ♃.

1077. Anchusa Barrelieri DC. fl. fr. 3. p. 632. Host fl. aust. 1. p. 232. Rchb. fl. exc. p. 343. Alsch. fl. jadr. p. 47. Pett. bot. Wegw. n. 57.

A. molliter hispida, caule superne ramoso-paniculato stricto, foliis oblongo-lanceolatis integris dentatisve, inferioribus in petiolum attenuatis, superioribus sessilibus, racemis conjugatis canis, bracteis lanceolatis, calycibus campanulatis obtusis tubum corollae rectum aequantibus, appendicibus oblongis margine ciliatis apice glabris, acheniis reticulato-rugosis granulatis, intus acute bicostatis.

Syn. Buglossum Barrelieri All. fl. ped. I. p. 48. Myosotis obtusa Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 1. p. 103. — Icon. Curt. bot. mag. tab. 2349. Waldst. et Kit. l. c. tab. 100. Barrel. ic. pl. tab. 333.

Hab. in campestribus, herbidis inter Sign et Ribarich, et in convallibus montis Dinara. Flores parvi caerulei. Floret a vere in aestatem. ♃.

Obs. Folia radicalia margine crispa.

Sect. III. Lycopsis.

L. gen. pl. ed. II. p. 49.

Calyx quinquepartitus: corollae tubus incurvus, limbus obliquus vel inaequalis, achenia depressa, apice obliqua.

1078. Anchusa variegata Lehm. monogr. asperif. 223. Vis. stirp. dalm. p. 25. Alsch. fl. jadr. p. 47. Pett. bot. Wegw. n. 60.

A. verrucoso-hispida, caulibus simplicibus adscendentibus, foliis oblongo-lanceolatis bullatis, repando-dentatis, calloso-ciliatis, racemo terminali solitario, calycis campanulati laciniis linearibus corollae tubum aequantibus, limbo corollino irregulari obliquo, appendicibus rotundatis hispidis, acheniis reticulato-rugosis granulatis.

Syn. Lycopsis variegata L. sp. pl. ed. II. p. 198. Host fl. austr. 1. p. 240. Rchb. fl. exc. p. 342. L. bullata Cyr. pl. rar. 1. tab. 11. f. 3. Anchusa verrucosa Rchb. fl. exc. p. 344. non Lam. et excl. syn. — Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. 2. tab. 178. Tenor. fl. nap. tab. 115. Cyr. l. c. tab. 13. f. 3. Zanon. ist. p. 46. tav. 18.

Hab. in apricis, in cultis, ad vias totius Dalmatiae litoralis et in insulis. Corollae limbus prius roseus demum caeruleus, vel semper albus. Floret a vere in aestatem. ⊙.

CCCLXXIX. Myosotis Dillen.

App. ad Cat. pl. Giss. p. 99.

Char. Calyx quinquefidus vel quinquedentatus. Corolla hypocraterimorpha aut subrotata, fauce squamis convexis glabriusculis clausa. Stamina inclusa, filamentis brevissimis. Achenia ovata laevissima, intus obtuse carinata, areola punctiformi oblique suprabasilari. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

* calycibus adpresse setosis.

1079. Myosotis palustris With. arr. of brit. pl. 2. p. 225. Host fl. austr. I. p. 226. Rchb. fl. exc. p. 342.

M. rhizomate et caulis angulati basi repente, foliis lanceolato-oblongis, inferioribus basi attenuatis, racemis nudis, calycis fructiferi turbinato-campanulati quinquedentati pedunculo tereti deflexo brevioris dentibus ovatis.

Syn. Myosotis scorpioides β. L. sp. pl. ed. II. p. 188. M. scorpioides W. sp. pl. I. p. 746. M. perennis α. DC. fl. fr. 3. p. 629. — Icon. Coss. et Germ. fl. par.

atl. pl. XV. f. 1—4. Spenn. in Nees. gen. pl. XVII. n. 7. f. 21. 22. Sow. engl. bot. t. 1973. f. 1. Oed. fl. dan. t. 1988.

Hab. in humidis, et ad aquas et ripas. Flores prius rosei, dein amoene caerulei, vel albi. Floret vere et aestate. ♃.

1080. Myosotis pusilla Lois. not. p. 36. Bertol. fl. ital. 2. p. 265.

M. radice annua, foliis obovato-oblongis, inferioribus in petiolum attenuatis, racemis inferne bracteatis, calycis fructiferi turbinato-campanulati quinquefidi pedunculo erecto-patulo superne incrassato brevioris dentibus oblongo-linearibus acutiusculis.

Hab. in siccis, incultis circa Sebenico, ubi legi vere. Flores minuti coerulei. ⊙.

Obs. Affinis M. incrassatae Guss. syn. fl. sic. 1. p. 214, quae differt potissimum racemis brevissimis ebracteatis. Deest adhuc bona icon hujusce plantae, nam illa a Loiseleurio data e specimine juniore et macro desumpta, ac omni analysi destituta, nec habitum nec characteres ejusdem exhibet.

** calycibus patule villosis, pilis inferioribus uncinatis.

1081. Myosotis arvensis Roth fl. germ. 2. p. 222. Vis. stirp. dalm. p. 41. Host fl. austr. 1. p. 227. Rchb. fl. exc. p. 340. Alsch. fl. jadr. p. 46. Pett. bot. Wegw. n. 623.

M. radice annua, foliis inferioribus obovato-oblongis basi attenuata petiolatis, caeteris oblongo-lanceolatis sessilibus, racemis nudis, calycis fructiferi campanulati quinquefidi pedicello patente subaequalis dentibus lineari-lanceolatis acutis, corolla calycem paullo excedente.

Syn. Myosotis scorpioides α. L. sp. pl. ed. II. p. 188. M. hispida Schlecht. mag. d. naturf. berl. 8. p. 229. M. collina Rchb. fl. exc. p. 341. nec Ehrh. — Icon. Coss. et Germ. atl. fl. par. pl. XV. n. 5. 6. 7. Sow. engl. bot. tab. 2558. Bull. herb. de la Fr. pl. 355. A. — Illyr. Miscia ditelina.

var. β. intermedia: pedunculis calyce longioribus. — Syn. M. intermedia Lk. en. h. berol. 1. p. 164. Rchb. fl. exc. p. 341. — Icon. Bull. herb. de la Fr. pl. 355. B.

Hab. in agris totius Dalmatiae. Flores parvi caerulei. Floret a vere in aestatem. ⊙.

Obs. Calyces nunc conniventes, nunc semiclausi, nunc aperti variant in eadem planta, et saepius video juniores clausos, interdum vero seniores, quin ulla appareat lex constans. In M. intermedia Lk. calyces describuntur clausi, et omnino clausi pinguntur in Coss. et Germ. atl. fl. paris XV. n. 8. 9., quales nunquam vidi in speciminibus plurium regionum, et invito ipso speciei auctore, qui eos loc. cit. semiclausos vocavit. Pedicellorum longitudo ipsa summopere variat.

1082. Myosotis alpestris Hopp. in W. en. h. berol. 1. p. 175. Sm. engl. fl. 1. p. 252.

M. radice perenni, foliis inferioribus obovato-oblongis petiolatis, caeteris oblongo-lanceolatis sessilibus, racemis nudis, calycis fructiferi campanulati quinquepartiti pedicello patente, dentibus lineari-lanceolatis acutis subinaequalibus, corolla calycem duplo excedente.

Syn. Myosotis rupicola Sow. engl. bot. vol. XXXVI. M. sylvatica Host fl. austr. 1. p. 227. Rchb. fl. exc. p. 341. ex part. M. decumbens Host l. c. p. 228. M. lithospermifolia Horn. hafn. 173. Rchb. fl. exc. p. 341. M. suaveolens Rchb. fl. exc. l. c. — Icon. Sow. engl. bot. t. 2559. Oed. fl. dan. t. 583. f. sin. Barrel. ic. 404. Zanon. rar. stirp. hist. tab. 151. 152.

Hab. in umbrosis demissis montium Promina, Lemess, Biokovo, Sniesniza, ubi legi a vere in aestatem. Corollae prius roseae dein laete azureae, fauce albae. ♃.

CCCLXXX. Symphytum Tourn.

Inst. rei herb. p. 138. tab. 56. excl. spec.

Char. Calyx quinquepartitus. Corolla tubo cylindrico, limbo inflato breviter quinquelobo, fauce squamis lanceolato-subulatis, glanduloso-serrulatis, conice conniventibus clausa. Stamina inclusa, antheris oblongo-linearibus. Achenia laevia aut rugosa, in media basi excavata, strophiolata et annulo dentato circumdata. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1083. Symphytum officinale L. sp. pl. ed. II. p. 195. Host fl. austr. 1. p. 235. Rchb. fl. exc. p. 347. Alsch. fl. jadr. p. 47.

S. radice fusiformi cauleque alato ramosis, foliis ovato-lanceolatis acuminatis, basi contractis decurrentibus, superioribus lanceolatis, corollae dentibus recurvatis, antheris filamento longioribus.

Icon. Spenn. in Nees gen. pl. XVII. n. 14. Sow. engl. bot. t. 817. Oed. fl. dan. t. 664. Matth. sopra Diosc. ed. cit. pag. 1012. — Illyr. Sòdula vella. Konsul velli. Svatovçi. Kiloliç.

Hab. in herbidis circa Zara, unde misit prof. Alschinger. Flores ochroleuci aut purpurei. Floret vere et aestate. ♃.

Usus. Radix mucilaginosa ex aqua decocta prodest in haemoptoe, dysenteria, haematuria.

1084. Symphytum tuberosum L. sp. pl. ed. II. p. 195. Host fl. austr. 1. p. 236. Rchb. fl. exc. p. 346.

S. rhizomate tereti crasso carnoso nodoso, caule semialato simplici, foliis ovatis petiolatis, superioribus ovato-oblongis acuminatis, infimis semidecurrentibus, corollae dentibus recurvatis, antheris filamento duplo longioribus, squamis inclusis.

Icon. Jacq. obs. bot. 3. t. 63. et fl. austr. 3. t. 225. Sow. engl. bot. t. 1502. Zannich. ist. piant. ven. t. 218.

Hab. in sylvaticis montium Svilaja, ad Mavize prope Verlicca, in monte Mossor, in fruticeto Bossanka prope Ragusa. Flores ochroleuci. Floret a vere in aestatem. ♃.

1085. Symphytum bulbosum Schimp. in bot. zeit. 1825. p. 17. Rchb. ic. bot. 3. p. 17. Koch syn. fl. germ. ed. II. p. 575. Pett. bot. Wegw. n. 919.

S. rhizomate gracili elongato tubera subrotunda gerente, caule semialato subramoso, foliis ovatis petiolatis, superioribus ovato-oblongis acuminatis semidecurrendibus, corollae dentibus erectis rotundatis, antheris filamento subaequalibus, squamis exsertis.

Syn. Symphytum tuberosum Alsch. fl. jadr. p. 47. et Pett. bot. Wegw. n. 920 non L. S. macrolepis Gay in Rchb. fl. exc. p. 347. S. tuberosum β. exsertum Lois. fl. gall. ed. 2. v. 1. p. 152. — Icon. Rchb. ic. bot. III. tab. 220.

Hab. in herbidis circa Zara, Spalato, Salona. Floret vere et aestate. Flores ochroleuci. ♃.

Obs. Symphytum Zeyheri Schimp. in bot. zeit. 1829, quod S. brochum Bory et Chaub exp. de Morée p. 65. tab. 7, ab hoc non differt.

CCCLXXXI. Borrago Tourn.

Instit. rei herb. p. 133. tab. 53.

Char. Calyx quinquepartitus sub anthesi patentissimus. Corolla rotata, fauce squamis brevibus crassis erectis emarginatis obsita. Stamina exserta filamentis crassis

brevissimis, appendice longiore subulata extus praeditis, antheris lanceolato-linearibus mucronatis conice conniventibus. Achenia verrucosa erecta, in media basi excavata, strophiolata et annulo crasso plicato circumdata. — Class. Pentandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1086. Borrago officinalis L. sp. pl. ed. II. p. 77. VIS. stirp. dalm. p. 28. HOST fl. austr. 1. p. p. 239. RCHB. fl. exc. p. 346. ALSCH. fl. jadr. p. 46. PETT. bot. Wegw. n. 155.

B. hispida, caule ramoso, foliis inferioribus ovatis basi attenuatis, floribus in racemo secundis distichis, corollae laciniis ovatis planis, squamis intus villosis.

Icon. SPENN. in NEES gen. pl. XVII. n. 15. SOW. engl. bot. t. 36. BLACKW. herb. t. 36. MATTH. disc. sopra DIOSC. ed. cit. p. 1245. — Illyr. Buràxina. Poreç. Buràxa. Kraska. Kràstavicza.

Hab. in cultis oleraceis totius Dalmatiae. Flores azurei. Floret aestate. ⊙.

Usus. Herba oleracea: succus mucilaginosus refrigerans: aqua stillatitia ophthalmica.

Ordo LX. GENTIANEAE.

JUSS. Ann. du Mus. V. p. 260. XV. p. 343.

Flores hermaphroditi regulares. Calyx liber persistens monophyllus 4—10—fidus aestivatione valvatus vel contortus. Corolla hypogyna marcescens, lobis numero laciniarum calycis aequalibus alternisque, aestivatione contortis. Stamina corollae tubo vel fauci inserta, ejusque lobis numero aequalia et alterna, antheris introrsis bilocularibus. Pistillum ovario e carpellis duobus valvatim connatis uniloculari, aut adaxim productis biloculari, placentis suturalibus, ovulis horizontalibus, stylo terminali interdum subnullo, stigmatibus binis. Capsula unilocularis vel bilocularis bivalvis, valvis margine placentiferis, seminibus plurimis margine membranaceis, albumine carnoso, embryone orthotropo minimo, radicula hilo proxima.

Herbae glabrae, foliis oppositis simplicibus integerrimis exstipulatis, floribus terminalibus vel axillaribus.

Clavis analytica generum.

Capsula unilocularis . . vid. Nr. 1	Capsula bilocularis. Erythraea.
1. Stylus subnullus. Gentiana.	Stylus filiformis. Chlora.

CCCLXXXII. Erythraea Renealm.

Spec. hist. pl. p. 77.

Char. Calyx tubulosus angulatus quadri-quinquefidus. Corolla infundibuliformis, tubo cylindrico, limbo quadri-quinquepartito erecto. Stamina quinque, antheris demum spiraliter tortis. Capsula linearis bilocularis, stylo filiformi. — Class. Pentandria. Ord. Digynia Syst. sex. —

1087. Erythraea Centaurium PERS. syn. pl. 1. p. 243. VIS. stirp. dalm. p. 34. HOST fl. austr. 1. p. 295. RCHB. fl. exc. p. 423. ALSCH. fl. jadr. p. 49. PETT. bot. Wegw. n. 378.

E. caule ramoso, foliis radicalibus obovatis, caulinis oblongo-lanceolatis, floribus corymbosis, stylo indiviso, stigmate bigloboso.

Syn. Gentiana Centaurium L. sp. pl. ed. II. p. 332. Chironia Centaurium W. sp. pl. 1. p. 1068. — Icon. Sow. engl. bot. t. 417. Oed. fl. dan. t. 617. Bull. herb. de la Fr. pl. 253. Matth. disc. sopra Diosc. p. 692. Renealm. spec. p. 76. f. 1. — Illyr. Kitticza czarljena. Kitticza mala. Kitticza gorka. Gher. Gherçicza. Ghirka trava. Gorko zelje. Gorkicza.

var. β. ramosissima: α basi ramosa, laxiflora, pedicellis solitariis, supremis longiusculis. — Syn. Erythraea ramosissima Pers. syn. 1. p. 283. E. emarginata Waldst. et Kit. pl. hung. 3. p. 305. Host fl. austr. 1. p. 296. Rchb. fl. exc. p. 422. E. pulchella Fries nov. fl. sv. ed. II. p. 74. Host l. c. p. 297. Rchb. fl. exc. p. 422. Chironia pulchella W. sp. pl. 1. p. 1067. Gentiana ramosissima Vill. pl. dauph. 2. p. 330. G. pulchella Sw. in Act. holm. 1783. G. Centaurium β. L. sp. pl. p. 333. — Icon. Oed. fl. dan. t. 1637. Waldst. et Kit. l. c. tab. 275. Sow. engl. bot. t. 458. Vaill. bot. paris. tab. VI. f. 1.

Hab. in uliginosis et pascuis totius Dalmatiae. Floret aestate. Flores rosei vel albi. ⊙.

Obs. Transitiones innumerae a forma densiflora, basi simplici, ad ramosissimam laxifloram plantarum harum conjunctionem suadent. Confer icones a cl. Schmidt exhibitas in Linnaea 1832 tab. XII. et multiplices speciei status invenies, quibus rite observatis differentiae omnes inter supra dictas species propositae penitus evanescunt. — Adest in Dalmatiae collibus forma hujus stirpis ex omni parte major, quam cl. Grisebach in DC. prodr. IX. p. 58. n. 5. E. majori Lk. fl. port. I. p. 349. tab. 69. retulit: differt vero ab hac, inflorescentia densissima floribusque minoribus, nec quales pinguntur in icone cl. Rchb. pl. crit. III. tab. 388. et quales reapse video in specimine hispanico a cl. Boissier communicato.

Usus. Herba amara contra febres intermittentes et dyspepsiam forma pulveris, decocti et extracti adhibita.

1088. Erythraea spicata Pers. syn. pl. 1. p. 283. Host fl. austr. 1. p. 296. Rchb. fl. exc. p. 422. Alsch. fl. Jadr. p. 49.

E. caule ramoso, foliis inferioribus oblongis, superioribus oblongo-lanceolatis acutis, floribus longe laxeque spicatis alternis, stylo indiviso, stigmate subbilobo.

Syn. Chironia spicata W. sp. pl. 1. p. 1069. Gentiana spicata L. sp. pl. ed. II. p. 333. — Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. 3. tab. 238. C. Bauh. prodr. p. 130. Barrel. icon 1242.

Hab. in pratis, et locis uliginosis etiam maritimis circa Zara, ad lacum Morinje prope Sebenico, circa Traù, Riviera dei Castelli, et Ombla prope Ragusa. Flores rosei vel albi. Floret ab aestate in autumnum. ⊙.

1089. Erythraea maritima Pers. syn. pl. 1. p. 383. Rchb. fl. exc. p. 422. Koch syn. fl. germ. ed. 2. p. 567. Bertol. fl. ital. 2. p. 646.

E. caule ramoso, foliis inferioribus ovatis, superioribus oblongo-lanceolatis, supremis acutis, cyma pauciflora, stigmatis bipartiti laciniis oblongis stylo longioribus

Syn. Gentiana maritima L. mant. 1. p. 55. Chironia maritima Sibth. et Sm. fl. gr. 3. p. 31. Chironia lutea Bertol. rar. ital. pl. dec. 2. p. 32. Erythraea lutea Roem. et Sch. syst. veg. 4. p. 171. — Icon. Sibth. et Sm. fl. graec. III. tab. 237. Columm. ecphr. alt. p. 77. f. 2. Barrel. ic. 468.

Hab. in pascuis insulae Ossero ad Punta Gerilla, et in collibus circa Ragusa. Floret a vere in aestatem. Flores flavi. ⊙.

Obs. Gentiana maritima Cav. ic. et descr. pl. 3. tab. 296. f. 1. foliis corollaeque laciniis angustioribus acutioribusque a nostra quidquam recedit, sed cum hae notae varient in speciebus affinibus, discrimen valde anceps suppeditant, quo plantae simillimae specifice distinguantur. Plantam Cavanillesii jam pinxerat Barrelierus in icone 467.

CCCLXXXIII. Gentiana Tourn.

Instit. rei herb. p. 40.

Char. Calyx tubulosus vel campanulatus 4—5—partitus, vel dimidiatus spathaceus. Corolla rotata, infundibuliformis aut campanulata, limbo aequaliter 4—5—fido, vel 6—10—fido alterne inaequali. Stamina 4—5 antheris semper rectis. Capsula unilocularis, stylo subnullo, stigmatibus binis. — Class. Pentandria. Ord. Digynia. Syst. sex. —

Sect. I. Asterias.

Ren. spec. pl. p. 63.

Calyx spathaceus dimidiatus. Corolla rotata nuda. Stigmata distincta.

1090. Gentiana lutea L. sp. pl. ed. II. p. 329. Vis. stirp. dalm. p. 36. Host fl. austr. 1. p. 332. Rchb. fl. exc. p. 429. Alsch. fl. jadr. p. 245.

G. foliis ellipticis nervosis, inferioribus petiolatis, floribus verticillatis pedunculatis, corollis fauce nudis, antheris liberis.

Icon. Lam. enc. bot. pl. 109. f. 1. Mill. icon. t. 139. f. 2. Clus. hist. pl. 1. p. 311. Lobel. icon. stirp. 308. f. 2. Matth. disc. sopra Diosc. p. 680. — Illyr. Sarçenik. Linçjura. Kossutje uho.

Hab. in pascuis subalpinis montium Vellebith ad Paklenicza, et in Biokovo. Flores lutei, laciniis saepius fusco punctatis. Floret aestate. ♃.

Usus. Planta a primis medicinae incunabulis percelebris, et a Gentio Illyrii rege ejusdem inventore nomen sortita, radice praestat amara, ideoque utili contra febres, dyspepsiam, icterum, verminationem, forma pulveris, decoctionis, tincturae aut extracti: Europae Cinchona.

Obs. In icone Milleri figura calycis falsa.

Sect. II. Amarella.

Gris. gen. et sp. gent. p. 238.

Calyx tubulosus. Corolla infundibuliformis, appendicibus capillaceo-multifidis fauce praedita. Stigmata distincta ovali-oblonga.

1091. Gentiana crispata Vis. pl. dalm. in Bot. zeit. 1830. n. 4. Rchb. fl. exc. p. 865.

G. caule a basi ramoso tetragono, foliis oblongo-spathulatis, superioribus ovato-lanceolatis, supremis subcordatis undulatis acuminatis, floribus fasciculatis, calycis laciniis subaequalibus ovato-lanceolatis acuminatis apice subulatis, margine incrassato crispis, corollae 4—5 fidae appendicibus setaceo-multipartitis, ovario oblongo-lineari capsulaque stipitata.

Icon. Vis. fl. dalm. tab. XXIV. f. 1. *a.* cal. *b.* cor. *c.* ovar. *d.* caps.

Hab. in devexitatibus jugorum demissiorum montium Ghnjat et Biokovo. Flores violacei. Floret Jul. Aug. ⊙.

Descr. Radix simplex aut ramosa, annua, fusca, vel fusco-flavescens, amaricans. Caulis a basi ramosus, ramis strictis tetragonis vel subalatis. Folia trinervia obtusa, inferiora oblongo-spathulata, basi in petiolum attenuata, superiora sessilia oblongo-lanceolata, suprema subcordato-lanceolata amplexicaulia, margine crassiusculo fusco undulata vel crispa, apice valde acuminata. Flores fasciculati, axillares subsolitarii, terminales subterni, pedunculis angulatis, apice compressis

latioribus bialatis. Calyx quinquefidus, rarius quadrifidus, basi flavescente cuneatus, multi-angulatus, laciniis late lanceolatis attenuato-acuminatis, apice subulatis, margine crassiusculis crispis fuscis. Corolla tubuloso-infundibuliformis, lobis ovatis acutiusculis acutisve, erectis, basi intus fimbriis capillaribus coronatis, tubo striato calycem fere duplum longo. Stamina quinque corolla dimidio breviora, antheris ovalibus lividis, polline citrino. Ovarium fusiforme breviter stipitatum, stigmatibus binis planis obliquis revolutis. Capsula lineari-oblonga, stipiti quadruplo breviori imposita, apice bivalvi dehiscens, seminibus orbicularibus crassiusculis.

Obs. Species G. germanicae similis, hujusque vices in Dalmatia gerens, cum qua a cl. Grisebach in DC. prodr. IX. p. 97. conjuncta, sed a qua certe differt foliis supremis calycisque laciniis acuminato-subulatis, margine crassiusculis, dense crispatis, fuscis, quod et constans est in omnibus et quidem plurimis speciminibus plantae nostrae, quae legi egomet vel lecta vidi, et numquam datum fuit observare, nec ullus quod sciam notavit, in G. germanica vera, nec in simillima G. Amarella, quae in Dalmatia omnino desunt, et cujus specimina plurima italica et germanica comparavi. Insuper sub quovis corollae lobo adest in G. Amarella, et in G. germanica squama membranacea, margine tantum in fimbrias fissa, aut quandoque bipartita vel irregulariter lacera, dum in nostra nulla adest squama, sed fimbriae capillares omnino inter se liberae et aequales ab ipsa corollae fauce oriuntur, quales in citata icone exhibentur. Datur forma flore quadrifido in sicco lutescente, quam loco supra citato pro varietate dedi, nullibi autem G. flavescentem dixi, sub quo nomine videntur habuisse cl. Rchb. et cl. Grisebach, qui varietatem hanc ad G. germanicam veram adduxere, speciem vero nostram cl. Grisebach ad ejusdem varietatem praecocem traxit, quin calyce aut foliis inter se differant.

Sect. III. Gentianella.

Col. ecphr. p. 221.

Calyx tubulosus. Corolla infundibuliformis, lobis margine fimbriatis, fauce glandulis cum staminibus alternis praedita. Stigmata distincta orbiculata.

1092. Gentiana ciliata L. sp. pl. ed. II. p. 334. Host fl. austr. 1. p. 340. Rchb. fl. exc. p. 423.

G. flexuosa, foliis lanceolatis linearibusve, floribus terminalibus solitariis, corolla quadrifida, lobis serratis medio utrinque fimbriato-ciliatis.

Icon. Jacq. fl. austr. 2. p. 113. Barrel. ic. 97. f. 2., et 121. Col. ecphr. 1. p. 221.

Hab. in devexitatibus montium Vellebith ad Pakleniza ubi legit Jos. Kargl. Flores caerulei. Floret ab aestate in autumnum. ⊙.

Sect. IV. Cyclostigma.

Griseb. gent. p. 259.

Calyx tubulosus. Corolla infundibuliformis aut hypocraterimorpha, fauce plicis aucta. Stigmata contigua orbiculata.

1093. Gentiana utriculosa L. sp. pl. ed. II. p. 332. Host fl. austr. 1. p. 338. Rchb. fl. exc. p. 426. Pett. bot. Wegw. n. 440.

G. caule a basi ramoso, foliis inferioribus elliptico-ovatis, superioribus oblongo-lanceolatis, calycis ovalis inflati angulis late alatis, laciniis ovato-lanceolatis tubo triplo brevioribus.

Icon. Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 3. tab. 206. Barrel. ic. 48. et 122. f. 1. Columm. ecphr. p. 221. f. 2.

Hab. in pascuis elatioribus montis Biokovo. Flores caerulei. Floret aestate. W.

1094. Gentiana nivalis L. sp. pl. ed. II. p. 332. Host fl. austr. 1. p. 338. Rchb. fl. exc. p. 426.

G. caule a basi ramoso vel simplici, foliis inferioribus elliptico-ovatis, superioribus oblongo-lanceolatis, calycis cylindrici angulis acute carinatis, laciniis lanceolato-linearibus tubum subaequantibus.

Syn. Gentiana humilis Roch. pl. banat. p. 61. non Stev. G. aquatica Rchb. fl. exc. p. 425 non L. nec W. — Icon. Sow. engl. bot. t. 896. Oed. fl. dan. t. 17. Hall. hist. stirp. hel. t. 17. Clus. hist. pl. 3. p. 316. Barrel. icon. 103. f. 3. Roch. l. c. fig. 47.

Hab. in summis jugis montis Biokovo. Flores amoene caerulei. Floret a Majo in aestatem. ⊙.

Obs. Icon cl. Rochel formam exhibet vernalem caule simplici hujusce plantulae, uti icon Ammann. stirp. ruth. tab. 1. f. 1. similem formam exhibet G. humilis Stev.

1095. Gentiana verna L. sp. pl. ed. II. p. 331. Host fl. austr. 1. p. 336. Rchb. fl. exc. p. 426. Alsch. fl. jadr. p. 58.

G. caule simplici bifidoque, foliis inferioribus ovatis, aut omnibus lanceolatis acutis, calycis cylindracei angulis alato-carinatis, laciniis lanceolatis tubo triplo longioribus.

Syn. Gentiana angulosa Bieb. fl. taur. cauc. 1. p. 197. Rchb. l. c. p. 426. G. aestiva Roem. et Sch. syst. veg. 6. p. 156. G. verna γ. alata Gris. gent. p. 263. Hippion aestivum, et Hippion vernum Schmidt in Roem. arch. 1. p. 15. — Icon. Sow. engl. bot. t. 493. Curt. bot. mag. t. 491. Roem, fl. eur. fasc. VI. Rchb. ic. bot. II. tab. 129. f. 446—447. et IX. tab. 826—827. Barrel. icon. 109. f. 1. Schmidt. l. c. tab. IV. f. 8—9.

Hab. in pascuis elatioribus Vellebith ad Sveto-bărdo, et in Prologh ad Kamesnicza. Floret a vere in aestatem. Flores caerulei. ♃.

Obs. Gentiana angulosa Bieb., cui nostra propius accedit, non differt a specie nisi alis calycinis paullo, nec tamen semper pari gradu, latioribus.

Sect. V. Pneumonanthe.

Neck. elem. 2. p. 12.

Calyx tubulosus. Corolla subcampanulata, fauce plicis aucta. Stigmata distincta oblonga, demum revoluta.

1096. Gentiana asclepiadea L. sp. pl. ed. II. p. 329. Host fl. austr. 1. p. 334. Rchb. fl. exc. p. 428.

G. caule simplici multifloro, foliis ovato-lanceolatis acuminatis quinquenerviis, margine scabris, floribus axillaribus terminalibusque sessilibus, corollis basi angusta campanulatis.

Syn. G. Pneumonanthe Alsch. herb! nec L. — Icon. Jacq. fl. austr. 4. tab. 328. Curt. bot. mag. tab. 1078. Lam. enc. bot. pl. 109. f. 3.

Hab. in sylvaticis montium Vellebith, ubi legit prof. Alschinger. Flores caerulei. Flores aestate. ♃.

Sect. VI. Thylacitis.

Ren. spec. hist. pl. p. 70.

Calyx tubulosus. Corolla subcampanulata, fauce plicis aucta. Stigmata orbiculata, margine fimbriato-lacera, subcontigua, demum distincta.

1097. Gentiana acaulis L. sp. pl. ed. II. p. 330. Host fl. austr. 1. p. 335. Rchb. fl. exc. p. 427.

G. caule simplici unifloro, foliis ovalibus lanceolatisve acutis trinerviis, corollis basi angusta campanulatis.

Syn. Gentiana angustifolia VILL. hist. des pl. du Dauph. 2. p. 526. RCHB. fl. exc. p. 427. excl. syn. JAN, et p. 865. G. excisa PRESL in bot. Zeit. 1828. p. 268. G. acaulis β. L. l. c. — Icon. Sow. engl. bot. t. 1594. CURT. bot. mag. tab. 52. JACQ. fl. austr. 2. tab. 135. BARREL. icon 47. et 106. LOBEL. icon. 310. f. 1.

Hab. in pascuis elatioribus ad Sveto Bărdo in monte Vellebith. Flores magni, corollae limbo caeruleo. Floret a vere in aestatem. ♃.

Obs. Variat foliis radicalibus ovatis aut ovato-lanceolatis, plus minusve obtusis, margine scabris vel laeviusculis, calycis laciniis angustioribus latioribusve, corollae adpressis vel patulis.

Sect. VII. Tretorrhiza.

RBN. spec. p. 74.

Calyx tubulosus. Corolla subclavata, fauce plicis bifidis aucta. Stigmata oblonga integerrima revoluta.

1098. Gentiana Cruciata L. sp. pl. ed. II. p. 82. VIS. stirp. dalm. p. 36. HOST fl. austr. 1. p. 334. ALSCH. fl. jadr. p. 58. RCHB. fl. exc. p. 428.

G. caule simplici, foliis oblongo-lanceolatis tri-quinquenerviis, decussatis, basi vaginantibus, floribus axillaribus subverticillatis, terminalibus fasciculatis, corollis tubuloso-clavatis.

Icon. JACQ. fl. austr. 4. tab. 372. BARREL. icon. 65—66. DOD. pempt. p. 343. MATTH. disc. sopra DIOSC. p. 681. RENEALM. spec. t. 73. — Illyr. Vladislavka. Sarçenik mali.

Hab. in pascuis demissis montium Vellebith, Promina, Dinara, Biokovo. Czerquicze, Montenegro. Flores caerulei, intus saturatiores. Floret ab aestate in autumnum. ♃.

Usus. Radix annua, nuper contra hydrophobiam commendata, a drachmis senis ad unciam contusa, cum aqua in pultis speciem coacta, oreque ingesta.

CCCLXXXIV. Chlora Adans.

Famill. des. pl. 2. p. 503.

Char. Calyx 8—10—partitus, laciniis linearibus. Corolla hypocraterimorpha, tubo ventricoso, limbo 8—10—partito. Stamina laciniis calycis numero aequalia. Stylus deciduus, stigmatibus binis emarginatis aut bipartitis. Capsula unilocularis bivalvis, valvularum marginibus introflexis, seminiferis. — Class. Octandria. Ord. Monogynia Syst. sex. —

1099. Chlora perfoliata L. syst. nat. ed. XII. tom. 2. p. 267. HOST fl. austr. 1. p. 471. RCHB. fl. exc. p. 421. ALSCH. fl. jadr. p. 90. PETT. bot. Wegw. n. 251.

Ch. foliis inferioribus ellipticis, caulinis triangulari-ovatis connato-perfoliatis majoribus, floribus octandris, corolla calycem superante.

Syn. G. perfoliata L. sp. pl. ed. II. p. 335. — Icon. RCHB. ic. bot. III. tab. 349. Sow. engl. bot. t. 60. LAM. enc. bot. pl. 296. f. 1.

var. β. serotina: foliis caulinis ovatis basi rotundata connatis. — Syn. Chlora serotina KOCH in RCHB. ic. bot. 3. p. 6. et fl. exc. p. 421. KOCH syn. fl. german. ed. II. p. 558. Chl. perfoliata β. sessilifolia GRISEB. gent. p. 117. — Icon. RCHB. ic. bot. III. t. 351.

Hab. in pascuis siccis et collibus totius Dalmatiae, etiam in insulis: var. legi circa Sebenico, et habui ex insula Sansego. Flores aurei. Floret aestate. ⊙.

Obs. Varietas non recedit a specie nec laciniis calycinis latioribus basique trinervibus, nec calyce corollam subaequante, nec corollae lobis acutis, nam haec discrimina utrique promiscua utramque jungunt: sed foliis basi ovatis nec triangularibus, quod etiam interdum ludit. Chlora grandiflora Viv. append. alt. p. 4, quam habui e marginibus agrorum prope Cagliari lectam a cl. Müller, ideoque Florae italicae addenda, videtur diversa foliis infimis majoribus, corolla calycem decempartitum quadruplo superante, et staminibus denis. Corollae tubum apice contractum, laciniarum basim rugosam, et calycis partitiones interdum trinerves video etiam in nostra, ideoque speciebus hisce distinguendis haud conferunt.

Obs. Monopetalae quae supersunt, Polypetalas antecedent sequenti volumine comprehendendas.

INDEX I.

ORDINUM, TRIBUUM, ET GENERUM

HOC IN VOLUMINE CONTENTORUM.


INDEX II.

NOMINUM ILLYRICORUM CUM SYNONIMIA BOTANICA.

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEUBNER.




Anthriscus trichosperma SCHULT.





Anthriscus sicula DEC.





Libanotis nitida Vis.




Seseli promonense Vis.

G. Alboth sc.



Seseli globiferum Vis.

A. Alboth sc.






Helleborus multifidus Vis.



1, Draba elongata HOST. 2, Vesicaria microcarpa VIS. 3, Farsetia dalmatica VIS.

J. Alberti sc.



XXXIII.



Campanula caudata VIS. *Veronica saturejoides* VIS.



1. *Alsine lancifolia* VIS. 2. *Silene graminea* VIS.

G. Langer sc.


a
b
2, Silene Tommasinii
Vis.
a
b
c
d
e
1, Dianthus racemosus.


a
b
c
2. D. int. β. grandiflorus.
1. Dianthus sanguineus Vis.
3. Dianthus integer Vis.












Rhamnus infectoria L.



Pyrus cuneifolia Guss.






Cytisus Weldeni Vis.



1. Cytisus spinescens SIEB. 2. Genista pulchella Vis.






Centaurea divergens Vis.



Anthyllis aurea Vis.






Medicago crassispina Vis.



Trifolium succinctum Vis.



XLV.



Trifolium dalmaticum Vis.




Astragalus argenteus Vis.




Lathyrus aristatus Vis.

A. Weidenbach sc.





Centaurea Friderici VIS.





1. *Centaurea incompta* VIS. 2. *Carduus bicolor* VIS.

J. Clementi del. Zampe sc.





1. *Anthemis Pseudo-Cota* Vis.
2. *Pterotheca nemausensis* Cass. 3. *Trichocrepis bifida* Vis.

LI.



1. *Chamaemelum uniglandulosum* Vis.
2. *Crupina vulgaris* Cassin. 3. *Crupina Crupinastrum* Vis.





Echinops Neumayeri Vis.

Clementi del.



Amphoricarpos Neumayeri VIS.

Clementi del.

